



BIBLIOTHECA THEOLOGICA.

BIBLIOTHECA THEOLOGICA

SEPTEM LIBRIS DISTINCTA.

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, tàm secundùm se, quàm secundùm diuersa eius munera, *deducendi* conclusiones beneficio Artis Syllogisticæ: vndè *Scholastica*, vel *Argumentatiua*: *Ordinandi* & *explicandi* locos Theologicos, vndè *Positiua*, siue *Thetica*, & *fundamentalis*: *Defendendi* sua principia aduersus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Disponendi* suas materias, vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Mystica*.

AVTHORE

F. DOMINICO A SS.^MA TRINITATE (Vandy.)

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMVS PRIMVS.

Complectens duos priores libros, in quorum primo S. Doctrinæ, seu Theologiæ natura, causæ, & attributiones explicantur: in secundo verò agitur de ea, quantùm ad munus deducendi conclusiones beneficio artis syllogisticæ, vndè Scholastica potissimum, vel argumentatiua nuncupatur.



ROMAE,


Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMAE, ET AVGVSTISSIMAE

TRINITATI PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO

VNI SOLIQVE DEO.



AD Te, ò Beatissima Trinitas, in cuius manu & nos sumus,& sermones nostri, & omnis sapientia & operum scientia & disciplina Sap.7. ad Te, inquam, à qua velut ab inexhausto omnium gratiarum fonte, earumdem ad nos riuuli perenniter decurrunt, recurrit hoc qualecumque, prius à Te collatum & acceptum munus,quam meum factum opus; quod vt ad maiorem tui gloriam & honorem, proximique vtilitatem, Te inspirante primum suscepi, Te comite & auxiliante ad optatum finem perduxi, Te etiam, quæso, vlterius benedicente fiat, vt si quid in eo rectè, vel vt melius dicam, minus male scriptum sit, non scientiæ inflantis ventus inanis, sed charitatis ædificantis Tu sola, Tu plena, Tu perpetua mihi sis merces. Quid enim mihi est in cælo,& à te quid volui super terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Psalm.72.

Qua de causa potentissime Pater adiuua in manu forti, & in brachio excelso infirmitatem meam; robora attenuatas vndequàque naturæ vires, vt de inhærente tanto, tamque tuto mihi adiutore tutus, sumptaque virtute omnia possim in eo qui me confortat. Tu vero sapientissime fili, candor lucis æternæ, mentis, in quibus sedeo tenebras, vmbramque mortis veritatis tuæ radijs illustra; Sanctissime quoque Spiritus, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis, quia mutuus, quo genitus à gignente diligatur, generatoremque suum diligat, amor, eius in me, suauiter vt ardeam, ignem accende. Magnum autem super omnia, quodque terra nostra dare non potest, perseuerantiæ donum mihi misericorditer impertiri digneris Deus meus Trinus & Vnus; vt sicut in hac valle miseriæ de te procul & à longe audiui, ita in ciuitate tua, Domine virtutum, lætanter videre merear; sicut nunc per speculum & in ænigmate te Trinum in vnitate perfectissimæ essentiæ, & vnum in Trinitate personarum firmiter credo, atque venerabunde adoro, tunc tua Te coronantem dona, facie ad faciem intueri, amare, cumque omnibus Sanctis tuis in sæcula sæculorum gratanter collaudare valeam. Amen.

ADMO-

ADMONITIO AD LECTOREM.



V M tam in præsenti, quam in superiori sæculo, omnes fere Theologi, suppositis plerumque Sacræ doctrinæ seu Theologiæ principijs ac regulis, non tam ea, eorumque vim & authoritatem dilucidare, quam ex illis suas conclusiones deducere, vel etiam eas confirmare studuerint; è re Theologica esse putaui, eiusque etiam amatoribus & studiosis fore apprimè proficuum, si consideratà Sacra doctrina siue Theologia secundum omnia quæ habet munera, tam illa explicarentur, quam etiam vbi illis fungitur, quantam & qualem in probando vim & efficaciam habeant omnia, quibus ipsa vtitur, principia. Id igitur in præsenti opere præstare, vtcumque conatus sum, quod si non ea qua par est, materiæque dignitas exigebat, felicitate, spero tamen alijs longè perspicaciori excultiorique ingenio præditis, viam saltem ad meliora & maiora tentanda per modum isagoges aperturum, in amplissimo Sacræ doctrinæ vel Theologiæ campo.

Libri etiam tertij huius operis Sectione Septima egi de ratione naturali, disciplinisque Philosophicis in illa fundatis, non solum vt ostenderem, quantum vnaquæque sit necessaria, referatur ad perfectum Sacræ doctrinę studium, adducto breui illarum compendio, nec non pręcipuis rerum in eis tractatarum, tam quid nominis, quam quid rei definitionibus ac diuisionibus, quæ prima sunt & immediata scientiarum principia; sed vt inde etiam pateret Sacræ Theologiæ studiosis media incedendum esse via, inter duas extremas opiniones, quarum prima vni dumtaxat scientiæ liberaliue disciplinæ vacandum esse docet, ita vt quemadmodum in cæteris humanæ vitæ rebus finis aliquis vbique præscriptus inuenitur, ita quoque in comparandis scientijs modus aliquis adhiberi debeat: Altera verò ideo putat hominem diuinum animal à sapientibus, in primisque à Trismegisto, atque ab Hebræo Philone mundum alterum, aut mundum quemdam angustiorem appellatum fuisse, quod illius ex omnibus conciliatæ doctrinæ, & in orbem circumcurrentis eruditionis beneficio, mundum ipsum animo ac mente veluti conceptaculo claudere, atque circumferre possit; vnde forsan eadem vox elhalem, *quæ apud Arabes mundum, apud eosdem etiam doctum vel scientificum significat.*

Inter has, inquam, duas extremas sententias, ea ratione qua dicitur artem esse longam, vitam autem breuem, qua in statu naturæ corruptæ non solum determinatæ, sed etiam attritæ sunt ingenij humani vires, sphæraque insuper actiuitatis earum limitata, non omnibus, sed vni dumtaxat scientię simpliciter & absolutè nauandam esse operam censeo; ad quam vel propriæ quis fertur inclinationis pondere; vel obligatur attenta sui status suæque conditionis ratione,

tione, vel se tandem ab ipsa natura comparatum agnoscit, nemini enim dubium esse potest, quin naturalis plerumque hominum complexio eos vni potius quam alteri scientiæ magis idoneos reddat; hæ sunt namque potissimæ regulæ, quibus prudenter vti, & in aliqua, præ alia, scientia comparanda delectum habere debemus: Vt igitur ex communi dicto, pluribus intentus minor est ad singula sensus, ita per oppositum, vbi semel omnes eius vires in vnum collectæ studium reperiuntur, non minus vero profertur adagio, timendum esse hominem vnius libri, hoc est, vt intelligo, vni scientiæ acquirendæ totaliter applicatum. Attamen quia sicut causæ sunt sibi inuicem causæ, ita disciplinæ sibi inuicem prosunt, iamque illis longo hominum studio partis & explicatis, paucorum mensium vel annorum curriculo frui possumus improbo eorum per multos annos labore, qui in vnaquaque tradenda felicius insudarunt; ita vni simpliciter & absolute arbitror esse vacandum, vt tamen cęteræ negligi aut prætermitti non debeant, præsertim vbi agitur de perfecto Sacrę doctrinæ, vel Theologiæ studio, quę vt omnes scientias, sicut regina ancillas vocat ad arcem, vel vt earum, si qui sint errores superiori fidei lumine corrigat, vel etiam veritatibus vtatur ad sua interdum explicanda mysteria, sic in ea, & cum ea sola potest haberi orbiculata illa, quam Gręci encyclopędiam dixere, scientiarum series, circulus orbisque numeris omnibus absolutus; indeque constat cur de illa, deque omni scibili in ordine ad illam acturus in hoc opere, nomen ei Bibliothecæ Theologicæ imposuerim, quod omnia siue directè, siue indirectè ad completam Sacræ doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, in eo collocare, & comprehendere meliori & clariori quo potui ordine vel methodo intenderim.

IESVS

IESVS ✠ MARIA.

Facultas Ordinis.

F. ALEXANDER A IESV MARIA VICARIVS GENERALIS Carmelitarum Discalceatorum.

CVm opus, cuius titulus *Bibliotheca Theologica septem Libris distincta &c.* ab Admodum R. P. F. Nostro Dominico à Sanctissima Trinitate Congregationis Nostræ Ex generali compositum duo Theologi ex nostris, quibus id commissum fuit recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si superioribus placuerit. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas Romæ in Conuentu Nostro S. Mariæ de Scala die 10. Aprilis 1666.

Fr. Alexander à Iesu Maria Vicarius Generalis.

Fr. Saluator à S. Francisco Secretarius.

Approbatio Ordinis.

EX Superiorum Nostri Ordinis iussu Bibliothecam Theologicam à R. Adm. P. N. Fr. Dominico à Sanctissima Trinitate olim Pręposito Generali, atque Sacræ Theologiæ Pręlectore compositam ego infrascriptus perlegi, quam multarum varietate eruditionum, Theorijs cum Theologicis, tum Philosophicis, materiarum amplitudine, sacrarum Scripturarum copia refertam, non tam librum, quam multorum librorum repositorium, vbi quot quęstiones tot libri, tot sententiæ Veritati & Religioni conformes, quot dicta, adinueni, inre merito igitur Bibliothecæ Theologicæ sibi nomen vendicet; atqui ad vtilitatem Fidelium, ad commune omnium documentum ab omnibus legendam publicè exponi censeo ego

Fr. Io. Thomas à S. Philippo Carmelita Excalceatus Sacra Theologia Praelector.

IESVS

IESVS ✠ MARIA.

Bibliothecam sacræ Theologiæ septem libris distinctam à Reu. Adm. Patre nostro Fr. Dominico à SS. Trinitate Carmelitarum Discalceatorum Pręposito Generali, & olim meo Præceptore compositam, eiusdem iussu summa animi voluptate lustraui. Opus sane nomini consonat, suumque refert authorem. Nescis quid in ea mireris magis, an totius structuræ Ideam, nobilis videlicet artis architecturam, an spectabilem in dicendi nitore ornatum, vel in materiarum, quæstionum dubiorumque ordine, pulcherrimam rerum dispositionem, siue tandem in eorundem copia, quasi prædiuitem librorum abundantiam, præcipuum nempe Bibliothecæ decus. Hanc adeat, hanc frequentet, qui vniuersæ sacræ Doctrinæ peritiam adamat, siquidem in ea noua, & vetera tam Ecclesiasticæ historiæ eruditioni, quam diuinarum Scripturarum notitiæ, tam hęresum peremptioni, quam catholicarum veritatum intelligentiæ, siue denique erudiendo intellectui, siue pijs inflammandis affectibus, Theologo scitu & digna, & necessaria congesta reperiet. Publicæ igitur vtilitati eam adaperiri non solum dignissimam censeo, verum & eundem Patrem nostrum obnixè deprecor, vt seposita animi sui modestia, litteratorum omnium bono consulens, communis iuris faciat, ac suam hanc Bibliothecam typis diuulgari permittat. Romæ in hoc nostro Collegio S. Mariæ de Victoria die 7. Martij anno 1665.

Fr. Philippus Maria à S. Paulo Carmelita Discalceatus, & sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Ex commissione Reuerendissimi Patris Hyacinthi Libelli Sacri Palatij Apostolici Magistri perlegi & accuratè perlustraui, *Bibliothecam Theologicam septem Libris distinctam &c.* compositam à Reu. Adm. Patre Dominico à SS. Trinitate Ex generali Patrum Carmelitarum Discalceatorum, in qua nihil Orthodoxæ Fidei dissonum & bonis moribus aduersum deprehendi: immo tanquam locupletissimum veræ & perlucidæ multiplicis eruditionis catholicæ armamentarium ad Rempublicam Christianam contra quascunque nouitates propugnandam sollicito apparatu elaboratum, habendam & publicandam esse censeo. Romæ 4. Septembris 1666.

Fr. Ioannes Malgoires in facultate Parisiensi Theologiæ Doctor, & Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis in Curia.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

Errata

Errata sic corrigito.

Pag.	Col.	Linea	Mendum	Emendatio.
4.	1.	41.	eruditiones	eruditionis.
8.	1.	3.	pater	patet.
8.	2.	50.	accepi	accipi.
16.	2.	15.	pater	patet.
31.	2.	28.	rationis	rationes.
57.	2.	2.	inductiorem	inductionem.
61.	1.	10.	quorum	quarum.
66.	1.	33.	tamen	earum.
68.	2.	23.	huius	habitus.
69.	1.	2.	post *quod* adde	ad.
69.	2.	27.	virtuales	naturales.
99.	2.	43.	fallacis	fallacias.
107.	1.	33.	medium	modum.
122.	2.	39.	reuelatiori	reuelationi.
137.	2.	11.	tunc	hinc.
141.	1.	3.	innitur	innititur.
142.	2.	6.	nimirum	nimium.
143.	1.	43.	itaque	itque.
149.	2.	32.	extrinsecæ	intrinsecæ.
172.	1.	37.	desumptam	desumptum.
193.	1.	29.	compilati	compilato.
273.	2.	18.	Exodi 8.	Geneseos 18.
289.	2.	24.	suscepitur	suscipitur.

IDEA

IDEA TOTIVS OPERIS

In ſeptem Tomos diſtributi.

TOMVS PRIMVS.

COmplectitur duos priores libros; in quorum primo S. doctrinæ, ſeu Theologiæ natura, cauſæ & attributiones explicantur: in ſecundo vero agitur de ea quantum ad munus deducendi concluſiones beneficio artis ſyllogiſticæ, vndè Scholaſtica potiſſimùm, vel argumentatiua nuncupatur.

TOMVS SECVNDVS.

COmplectitur libri III. in quo agitur de ſacra doctrina, quo ad munus ordinandi & explicandi locos Theologicos, Sectionem primam de Verbo Dei ſcripto, & ſecundam de non ſcripto, ſiue de ſacris traditionibus.

TOMVS TERTIVS.

COmplectitur eiuſdem libri III. Sectionem tertiam de Eccleſia militante toto orbe diffuſa in ſtatu legis Euangelicæ; quartam de ſummo Pontifice Romano ſupremo eius Paſtore; quintam de ſacris Concilijs; ſextam de SS. Patribus, Doctoribus Scholaſticis, & Iuris Pontificij.

TOMVS QVARTVS.

COmplectitur eiuſdem libri III. Sectionem ſeptimam de ratione naturali, diſciplinisque Philoſophicis in illa fundatis; & octauam de Hiſtoria: Oſtenditurque quantum vnaquæque referat ad perfectum ſacræ doctrinæ ſtudiũ, adducto breui illarũ compendio.

TOMVS QVINTVS.

COmplectitur librum IV. in quo agitur de doctrina ſacra, quatenus propugnando ſua principia aduerſus omnia infidelium genera dicitur Polemica.

TOMVS SEXTVS.

COmplectitur librum V. in quo agitur de ſacra doctrina, quatenus diſponit ſuas materias, præſcribitque modum & rationem illas tractandi, vndè vocatur Methodica.

TOMVS SEPTIMVS.

COmplectitur duos poſteriores libros, ſextum videlicet, in quo agitur de ſacra doctrina Metaphoris vtente, vnde ſymbolica; & ſeptimum, quo ad eius munus prouocandi, vel dirigendi affectum in Deum, vndè Myſtica appellatur.

IN-

INDEX

Librorum, Sectionum & Capitum huius primi Tomi Bibliothecæ Theologicæ.

LIBER PRIMVS.

In quo sacræ doctrinæ, seu Theologiæ natura, causæ, & attributiones explicantur.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QVARTA.

SECTIO QVINTA.

SECTIO SEXTA.

LIBER SECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QVARTA.

SECTIO QVINTA.

SECTIO SEXTA.

SECTIO SEPTIMA.

INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, quæ in hoc primo Bibliothecæ Theologicæ tomo continentur.

Ex Veteri Testamento, ordine librorum eius seruato.

Ex nouo Testamento, librorum eius ordine seruato.

Ad





BIBLIOTHECAE THEOLOGICAE

LIBER PRIMVS.


In quo ſacræ doctrinæ, ſeu Theologiæ natura, cauſæ, & attributiones explicantur.

SECTIO PRIMA.

Quid intelligatur ſacræ doctrinæ, ſeu Theologiæ nomine; quantaque ſit eius antiquitas, & neceſſitas.

CAPVT PRIMVM.

Quod ſacræ doctrinæ nomine intelligatur totum aggregatum ex fide, & habitu Theologico.



HEOLOGIAE nomen vetuſtiſsimũ apud Græcos, indè tranſijt ad Latinos, idemque ſonat, vel ſignificat, ac ſermo de Deo: vndè quia varius, ac multiplex eſſe poteſt ſermo de Deo, ideo etiam multiplex Theologia diſtingui debet. Theologia igitur latiſsimè ſumpta, alia eſt naturalis, alia ſupernaturalis, ſaltem obiectiuè, & præſuppoſitiuè, quatenus ex habitu fidei procedit.

Prior, cuius meminit Scriptura, dum ait Sap. 13. *A magnitudine creaturæ poterit creator videri*; & ad Roman. 2. *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles*, pertinet ad Philoſophos, qui ſolo naturæ ductu, ac lumine, ex ſolis philoſophicis principijs, accurataque libri creaturarum conſideratione, potuerunt ſe ſe erigere in aliqualem Dei notitiam, quatenus eſt author naturæ, primumque rerum omnium principium, & cauſa. Sic enim Diuinus Plato multa de Deo naturaliter

conclusit, præcipuè in Timæo, sic Aristoteles tàm in Metaphysicis, quàm libro Physicorum octauo, verùm vnius Dei cognitionem, ex rebus inferioribus, earumque motu comparauit, & docuit. Hanc Theologiam Marcus Varro apud D. August. lib. 6. de ciuitate Dei cap. 5. tripliciter diuisit, seu triplicem fecit, *Mythicam*, seu, *fabulosam* propriam Poëtarum, qui arcana sua fabulis inuoluebant; *Physicam*, seu, *naturalem* Philosophorum, qui vt statim dixi solo rationis naturalis ductu aliqua de Deo inuestigabantur; *Ciuilem* denique, seu *Politicam* ad sacerdotes, & gubernatores populi pertinentem, quod illi potissimum ad diuinum cultum instruerentur. Primam prædictus author asserebat conuenire Theatro, secundam Mundo, tertiam Vrbibus.

Posterior, longèq; nobilior, ac præstantior Theologia supernaturalis scilicet, est illa, quæ diuinam supponit reuelationem, quæque primò, ac per se de supernaturalibus agit mysterijs omnem intellectus creati naturalem facultatem superantibus, quæ vel in scripturis sacris, vel indubitatis Ecclesiæ traditionibus continentur. Ita vt in præsenti nomine Theologiæ supernaturalis, quā sacræ doctrinæ nomine insigniuit D. Thomas 1. p. quæst. 1. quamque sic deinceps cum illo vocabimus, nihil aliud intelligatur, nisi totum aggregatum ex habitu fidei, & habitu Theologico. Cum enim Theologia sit scientia, vt dicetur infra, quæ ratiocinatur de Deo, rebusque diuinis, oportet, quod concurrat ad illam aliqua cognitio per modum principiorum, & ex eis deducatur alia cognitio per modum conclusionis, sicut in omni scientia naturali, & in omni cognitione probatiua, aut discursiua requiruntur indispensabiliter aliqua principia ex quibus per consequentiam inferatur conclusio. Est autem differentia inter Theologiam naturalem, quam vnico verbo Metaphysicā appellamus, & Theologiam supernaturalem, siue Christianam; quod in Theologia naturali quidquid à Philosophis cognoscitur de Deo, se habet per modum conclusionis, & non per modum primi in cognoscendo principij: sed sic se habent dumtaxat creaturæ, tanquam proprij effectus Dei, eo quod pro præsenti statu non possumus naturali scientia Deum cognoscere nisi ex creaturis, quam propterea ascensum hominis ad Deum, siue cognitionem via inuentionis communiter appellamus. At verò Christiana Theologia, ita agit de Deo, veritatibusque diuinis, vt pro principijs non amplius assumat creaturas, sed ipsum Deū loquentem, fideique mysteria reuelantem, ex quibus postea tanquam ex proprijs principijs ratiocinando procedit: vndè necesse est, quod in hac vita, quādiu peregrinamur à Domino, Theologia nostra procedat ex creditis; quia de Deo vt est in seipso, siue vt est author supernaturalis gratiæ, non possumus aliquid vel minimum cognoscere, nisi per reuelationem diuinam, & non ex creaturis ordinis purè naturalis; de Deo autem, vt est in seipso, duplex tantùm habetur reuelatio, vel per visionem claram Patriæ in verbo diuino & increato, vel per obscuram cognitionem viæ, qualis est assensus fidei, in verbo diuino creato, siuè scripto, siuè tradito.

Igitur ad nostrum propositum distinguendus est duplex assensus, siue possumus considerare, quod intellectus noster dupliciter feratur circa res à Deo reuelatas; primò assentiendo immediatè ipsis veritatibus à Deo reuelatis propter authoritatem diuinæ reuelationis, tanquam propter rationem formalem, & medium assentiendi. Secundò ex his primis assensibus, adhibitis etiam vbi opus fuerit, alijs naturalibus assensibus, inferendo aliquas conclusiones per discursum. Et quidem primi assensus pertinent ad fidem diuinam, suntque ipsissimet assensus fidei, quibus correspondet habitus fidei; secundi verò assensus, vt deducti ex primis sunt propriè assensus Theologici, & illis correspondet habitus Theologiæ; ita vt habitus fidei, ad habi-

habitum Theologiæ se habeat, sicut habitus principiorum, qui etiam dicitur habitus intellectus, ad habitum scientiæ. Et licet vtrique assensus conuenienter appellari possint nomine doctrinæ sacræ, primi quidem, quia immediatè versantur circa diuinam authoritatem docentem, secundi verò, quia originem ab illa trahunt, & in illam vltimò tandem resoluuntur; nihilominus tamen melius per sacram doctrinam intelligitur, totum aggregatum ex fide, & Theologia, seu ex primis, & secundis assensibus, quatenus integrant vnam sacram doctrinam, veluti vnam, ac perfectam scientiam, constantem ex suis principijs, & conclusionibus, ad similitudinem vnius scientiæ naturalis, v. g. Physicæ, vel Mathematicæ, quæ coalescit simul & integratur ex principijs, & conclusionibus. Dixi *ex principijs*, quia licet prima principia sub illa ratione formali, qua subiectum, & prædicatum dicuntur habere necessariam, & immediatam inter se connexionem, nequeant esse pars integralis habitus sciẽtifici; aut quid ad eum pertinens, sed sic spectãt ad habitum intellectus, seu primorum principiorum, tanquam obiectum formale ipsius; tamen si considerentur eiusmodi principia, quatenus in formam syllogisticam redacta, sunt illatiua conclusionum, sic pertinent ad illum habitum, cuius conclusionum sunt illatiua.

Vnde etiam aduertendum est, quod si sumatur habitus Theologicus præcisè, quatenus versatur circa cõclusiones, pertinentque consequenter ad sacram doctrinam, tanquam pars ad suum totum, quod vt iam diximus coalescit ex ipso, & habitu fidei; diuersimodè potest dici procedere eiusmodi habitum ex principijs fidei; & doctrinam sacrã, pro vt includit vtrumque habitum fidei, & Theologiæ, procedere item ex fidei principijs. Ille enim prior habitus dici potest procedere ex principijs fidei, non tanquam ex cognitionibus suos assensus integrantibus, sed solum ad illos præerequisitis in genere causæ efficientis; at verò doctrina sacra dici potest procedere ex ijsdem principijs, tanquam intrinsecè integrantibus ipsam, ad inferendum ex ipsis prædictas cõclusiones; sicuti proportione seruata, alio modo caput humanum dici potest, esse caput aliorum membrorum in homine, & alio esse caput hominis; nam primo modo est caput, non vt pars aliorum membrorum; secundo verò modo est caput, vt pars integralis corporis humani. Quod totum pertinet potius ad modum loquendi, quam ad rem ipsam; sacra enim doctrina præcisè prout est scientia, non distinguitur ab habitu Theologico, sed est eadem penitus cum illo. Secus verò si consideretur, prout se extendit ad quamcumque cognitionem diuinam supernaturaliter habitam, atque adeò ad habitum etiam, vel assensum fidei immediatum, cum enim talis habitus, vel assensus distinguantur specie ab habitu Theologico, secundum quod est scientia; ab illo etiam distinguetur sacra doctrina modo statim dicto considerata, saltem per modum includentis, ab incluso.

Porro supernaturalis hæc Theologia, siue doctrina, quomodocumque sumatur, vel pro habitu fidei, vel pro simplici habitu scientifico, vel denique pro aggregato ex vtroque, pro vt his omnibus modis sumi posse, nemini dubium esse debet, hæc, inquam, sacra doctrina suscipit magis, & minus, vt satis patet ex eo, quod inter Catholicos alij sint alijs in ea doctiores, ac perfectiores; plerique enim solùm tenent Cathechismum, fidemque implicitam plurium fidei veritatum, vt imperiti & rudes, qui etiam ex principijs fidei inferũt aliquas conclusiones maximè in ordine ad praxim, vt statim dicetur cap. tertio, & ideo dicuntur Theologi secundum quid, & impropriè: alij verò multò doctiores, præterquàm quod fidem habent magis explicitam, legerunt insuper Scripturas, Concilia, Sanctorum Patrum libros, ita vt plurimotum etiam discursuũ admix-

tione reddant ex professo fidei nostræ rationem omni poscenti, illam explicando, confirmando, persuadendo, & contra aduersarios defendendo: hosque simpliciter, & maximè propriè doctores sacros, vel Theologos appellamus; iuxta illud 1. Corinth.cap.12. *Nunquid omnes doctores, nunquid omnes Propheta*, & Ephes.4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam verò pastores, & doctores in opus ministerij*. Vnde etiam illud D.Augustini lib.14.de Trinitate cap.1. dicentis, scientia Theologica non omnes fideles præditos esse, sicut habitu fidei, sed quosdam dumtaxat: *Hac scientia*, inquit, *non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum, aliud enim est scire, quid credere debeamus, quod docet fides, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus*. Itaque per fidem nudè simpliciter credimus, & profitemur nos credere hoc vel illud, quia Deus dixit, vel per Ecclesiã nobis reuelauit; at verò per scientiam Theologiæ propriè sumptam, qualis est in veris Ecclesiæ pastoribus, & doctis catholicisque Theologis, qui diuturno studio assiduisque laboribus, fauente Deo, & supposita fide, illam sibi pepererunt; per hanc, inquam, partim ex assertionibus fidei, partim ex alijs etiam rebus naturaliter notis ratiocinãdo, admiscentur discursus ex professo, & redduntur fidei rationes, & fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, inquit, eodem loco citato Diuus Augustinus.

Quamuis etiã inter clarissimos Theologos, Ecclesiæque doctores, varij adhuc sint eruditiones gradus, sicut differt stella à stella in claritate 2. ad Corinth. cap.15. Quod satis patet ex speciosis titulis, & encomijs, quibus ab initio nascentis Ecclesiæ plures celebrati sunt Patres in vnoquoque sæculo, vt videre est apud Magistrum Grauina sacri ordinis Prædicatorum Catholicarum præscriptionum lib.4. controuersia prima generalissima de Patrum sensu, & authoritate, vbi sigillatim illa refert, & à curioso lectore facilè consuli possunt.

CAPVT II.

De antiquitate sacræ doctrinæ, primaque eius origine.

EX dictis superiori capite facilè intelligitur sacram doctrinam, vel Theologiam quomodocumque consideratam, si spectetur causa eius efficiẽs prima, nullum alium habere potuisse doctorem, & authorem, quàm Deum, cuius solo innititur testimonio, cùm sit de veritatibus omnem intellectus creati virtutem naturalem superantibus; vndè etiam ex Apostolo 2. ad Timoth. cap.3. vocatur à D.Thoma, scientia diuinitus inspirata, seu doctrina secundum reuelationem.

Difficultas igitur in præsenti tota est, de prima eius origine quo ad antiquitatem, seu temporis prioritatem: pro cuius resolutione dico Sacram doctrinam, vel Theologiam, ab ipsis mundi incunabulis, simul ac primus parens creatus est, exordium habuisse; non solùm ea ratione, qua Adamus, vnà cum alijs gratiæ donis, accepit à Deo cognitionem fidei quã nunc profitemur saltẽ quoad generaliora, & præcipua illius arcana, alioqui sine fide impossibile ei fuisset placere Deo, ad Hebræos 11. Sed etiam quia valde verisimile est, illum plures ex præmissis reuelatis, & fide diuina creditis conclusiones argumentando deduxisse, tàm vt filios suos facilius scientiam salutis doceret; quàm vt ipsi cõstantes & firmi in vera religione permanerent, dubijsque vel scrupulis tum suis, tùm aliorum occurrere, & fidei hostes, quibus Ecclesia nunquam caruit, sufficienter confutare possent; nisi velimus dicere Deum tunc fidelibus suis, eorumque Ecclesiæ defuisse, nec omnia ad salutem necessaria sufficienter illis prouidisse; quod est valde absurdũ, & contra id, quod asserit D. Gregorius homil.19. in Euang. docens, Patremfamilias,

milias, qui exijt primo manè, & circa horam tertiam, sextam, nonam, vndecimam, conducere operarios in vineam suam, vt habetur Matth.20. esse Deum conditorem nostrum, qui in vniuersalem Ecclesiam, *à mundi huius initio vsque in finem, ad erudiendam plebem fidelium, prædicatores congregare, ac mittere non desistit; quia & prius per Patres, & postmodum per legis doctores, & Prophetas, ad extremum verò per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vinea cultû laborauit.* Quod prius docuerat Theodoretus lib. 3. de curatione affectionum Græcarum, Theologiam videlicet vnà cum primis ortam fuisse parentibus, indèque ad posteros deductam, & nouis ritibus, ac quasi luminibus illustratam; Gilbertus quoque Genebrardus Chronographia Parisijs excusa 1585. eiusdem originem, ac progressum per singulas ætates plenissime monstrat.

Et certè, vt ab origine mundi vera fides, veraque Ecclesia nunquam defecit in terris, licet magis in vno, quàm in alio floruerit tempore; sic etiam tenendum est in illa pro quocumque statu considerata, hoc est, tàm legis naturæ, quàm legis Mosaicæ, & Euãgelicæ suos nunquam defuisse doctores, ac Theologos sacros, qui fidei doctrinam, aut sine scripto, aut in scripturis tam veteris, quàm noui testamenti traditam explicarent, ac defenderent, quantùm opus esset; ad *consummationem Sanctorum*, id est, salutem fidelium; *& vt non circumferrentur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris*; ad Ephes. 4.

Loquendo igitur de rebus Ecclesiæ antediluuianis vsque ad Noachum; possunt inter præcipuos illius doctores, ac Theologos annumerari Protoparens Adamus, Seth, Enoch, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathusalem, omnes iustitiæ præcones, ac principes populi Dei. A diluuio vsque ad egressum populi Israelitici ex Aegyptiaca seruitute, fuerunt Noë, Abraham, Melchisedech, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, cæterique Patriarchæ, & Sancti legis naturæ. Ab egressu populi Israelitici vsque ad Reges, quo tempore primum incæpit lex scripta; præter Moysem, qui primus sacram doctrinam litteris consignauit; vt fuerunt innumeri Sacerdotes, Scribæ, ac Legisperiti, ita etiam plures inter illos sacræ doctrinæ, ac Theologiæ professores fuisse non est dubitandum; cum tunc maximè floreret vera religio, ac fides; nec Scribæ iudicandi duntaxat curam, aut munus haberent, sed potissimum, sacras scripturas, & legem Mosaicam interpretandi, vndè etiam nomikoi, & nomodidaskaloi *legum Doctores* sunt appellati; quod totum sine Theologiæ, clauisque scientiæ ope præstari non poterat.

A Regibus autem, vsque ad aduentum Christi Domini, inter insigniores Theologos recenseri potest, ingens ille celebrium Prophetarum numerus, qui toto illo tempore vixerunt; etsi enim nullo vnquam sæculo Prophetæ defuerint, nam antè legem scriptam propheta fuit Adamus, qui Genes. 2. in extasi cognouit connubium Christi cum Ecclesia, & illud suo cum Eua præsignauit. Henoch etiam spiritu Prophetico fuit imbutus, de quo B. Iudas in sua Epistola v.14. scribit: *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Henoch dicẽs: Ecce venit Dominus in Sãctis millibus suis facere iudicium &c.* Noë etiam propheta fuit, qui prædixit diluuium, & arcam ædificauit, qua illud euasit. Abraham præterea de multis futuris à Deo fuit edoctus, de Isaac filio, quem erat habiturus, de Christo ex eius semine nascituro &c. Isaac etiam, & Iacob prophetæ fuerunt, quorum prophetiæ narrantur Genes.26. 27. & 49. Etsi, inquam, res in vnoquoque sæculo ita se habuerint; nihilominus tamen in lege Mosaica, totoque præsertim illo temporis interuallo à Regibus ad aduentum Christi, longè plures floruerunt Prophetæ, inter quos illi, quorum scripta habemus in sacris litteris, Isaias, Ieremias, Da-

Daniel, Eſechiel, qui prophetæ maiores appellantur, & duodecim minores, ſic dicti, quod illi prolixius ſcripſerint, hi vero breuius; vt ſuo loco fuſius tractabitur.

Tandem vt poſt aduentum Chriſti Domini, cæpit Eccleſia magis, ac magis creſcere; eaque creſcente, & inualeſcente aduerſus Idololatriam, cæpit etiã Satanas copias ſuas ardentius inſtruere, quibus illam oppugnaret, excitatis in vnoquoque ferè ſæculo innumeris hæreticis; has quoque ob cauſas Dei ſapientia prouidit de ſacris doctoribus, ac Theologis, qui eo magis ſubtiliter, ac ſimul eminenter res diuinas exponerẽt, & ab infidelium nebulis vendicarent. Sic Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 10. & 11. refert ſub S. Marco Euangeliſta, apertam fuiſſe Alexandriæ ſcholam Theologiæ, in qua erudirentur fideles de diuinis Myſterijs: Primiſque tribus ſæculis vſque ad exortam hæreſim Arrianam Theologiæ laude potiſſimum floruerunt Hierotheus, & Dionyſius Areopagita, vt ſatis patet ex eius operibus, de quibus infra lib. 5. deinde Pantænus, & Clemens Alexandrinus, quorum primus Scholam Alexandriæ ſub D. Marco prius apertam reſtaurauit, ſecundus verò Theologiæ locos ad dialecticorũ artem diſputationibus diſtinctè pertractauit, vt colligitur ex D. Hieronymo lib. de Scriptor. Eccleſiaſt.

Poſtea cùm à principio quarti ſæculi, vſque ad finem ſeptimi, funeſtæ potiſſimum Arianorum, & Pelagianorum peſtes in orbe Chriſtiano graſſarentur, exciti ſunt diuinitus viri Theologi præſtantiſſimi, qui Theologiam in aciem adhuc apertiorem educerent, Athanaſius, de quo Photius ad fratrem ſuum Tharaſium ait, *In ſermonibus vbique locutione clarus eſt, & breuis, & ſimplex; Acutus tamen, & altus, & argumentationibus omnino vehemens, & in his tanta vbertas, vt admirabilis ſit; logicis autem methodis nihil tenuiter, nihil iuueniliter, vt pueri, & rudes, ſed Philoſophicè, ſed magnificè vtitur*. Baſilius, Ephrem Syrus, Epiphanius, Theodoretus, Gregorij Niſſenus, & Nanſianſenus, Cyrillus Alexandrinus, Ioannes Chriſoſtomus, & alij inter Græcos. Inter Latinos verò Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus in dialecticis verſatus egregiè, adeo vt hæretici palam dicerent illum non eſſe audiendum, ſed fugiendũ, quemadmodum ipſe notat lib. 4. contra Creſconium cap. 13. Proſper, Saluianus, Fulgentius, Caſſiodorus, Gregorius Magnus, & alij plures.

Septimo deinde ſæculo, vt in Hiſpania ab Iſidoro Hiſpalenſi, eiuſque diſcipulis Theologia conſeruata eſt ad vſum; ita & in Anglia à Venerabili Beda; è cuius ſchola plerique docti viri prodierunt, inter quos fuit Albinus, ſiue (vt alij notant) Alcuinus, quo à Carolo Magno Francorum Rege adhibito ad inſtituendam Pariſienſem academiam, mirum eſt, quot illa peperit Theologos inſignes; vt vſque ad annum Domini 1160. circiter, ſub Alexandro III, vix alicuius nominis Theologus alibi extaret, quàm in Gallia; quando etiam Reuerendiſſimus Epiſcopus Pariſienſis Petrus Lombardus vniuerſam Theologiam certa via, ac methodo colligere ſtuduit, cunctas eius materias per quatuor ſententiarum libros Scholaſticè diſponẽs, præſtanſque inter Latinos, quod iam antè Beatus Damaſcenus circa annum Chriſti octingenteſimum præſtiterat inter Græcos. Vndè per Antonomaſiam Magiſter Sententiarum appellari cæpit, eiuſque textus vt potè continens ipſam originem totius Scolaſticæ Theologiæ, quæ ex Sanctorum Patrum, Diui præſertim Auguſtini fontibus deriuata eſt ad nos, ſummam ſibi in omnibus Scholis authoritatem vendicauit; vt pote quem alij doctiſſimi viri, vel commentari, vel imitari cæperunt.

Denique, cum ad exiens duodecimum ſæculum ita res Theologica proceſſiſſet, incepit liberali S. Ludouici Galliarum Regis pietate viuidiores reſumere vires. Nam tunc extitere Alexander Alenſis, Albertus Magnus, & tan-

tandem Doctor Angelicus D.Thomas, omnium Theologorum facile princeps, si non prioritate temporis, certe sublimitate, claritate, & soliditate doctrinæ, qui nouum alium à Magistro Theologiæ ordinem cogitauit, & circa annum Domini 1260. sub Alexandro IV. maxima studiosorum vtilitate,& sapientum plausu protulit, & vulgauit summam Theologicam, quâ Sanctus Doctor, vt dicitur omne tulit punctum, & viam reliquis omnibus præclusit, augustius, aut plenius, aut breuius in eo genere aliquid faciendi. Vndè meritò Ioannes XXII. Pont. Max. cum D. Thomã Sanctorum numero adscribi mandasset, diuinitus in hæc verba prorupisse dicitur. *Nisi Beatus Thomas alia edidisset miracula, vnusquisque articulus eorum,quos scripsit, habendus pro miraculo esset.*

CAPVT III.

De causa finali, seu necessitate, & vtilitate sacræ doctrinæ.

CVm vtile, vel necessarium pro vt in præsenti sumitur, sit idem, ac illud, quod refertur in finem; satis constat idem esse, agere de causa finali sacræ doctrinæ, ac de necessitate, & vtilitate eiusdem. Pro cuius difficultatis solutione distingunt Theologi 1. p. q. 2. duplex necessarium, aliud absolutè,siue ad esse; aliud secundum quid, siue ad melius esse. Rursus aliud necessarium omnibus, aliud singulis. Tertiò alia sunt obiecta, quæ solo lumine naturali cognosci possunt, fuere tamen à Deo reuelata; alia verò, quæ sola reuelatione diuina cognosci possunt. Denique aliud est loqui de sacra doctrina generaliter, & in vniuersum; aliud de illa, secundum quod tali via, vel methodo ab aliquo tradita fuit; his breuiter insinuatis.

Dico primò, stante ordinatione diuina, & hominis eleuatione ad statum supernaturalem, necessariũ hominibus fuisse, præter Philosophicas disciplinas, quæ ratione humana inuestigantur, aliquam instructionem diuinam, & sacram doctrinam, qua ad cognoscendas plurimas veritates instituerentur. Sic enim multis sacræ scripturæ locis testatũ habemus plura esse hominibus reuelata, quæ erant supra facultatem naturæ, & quæ alioqui absque diuina reuelatione erant penitus ignota. Eccles. 13. *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum huius sæculi nouit.* Et ad Galatas 1. *Notum vobis facio euangeliũ, quod non ab homine accepi neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* alibique passim. Et quamuis ratione probari non possit,hominem de facto eleuatum, & ordinatum fuisse ad statum, & finem supernaturalem: nam hoc ipsum non nisi reuelatione, & instructione diuina potuit innotescere: hac tamen ordinatione, & eleuatione supposita demonstratiuè infertur necessitas doctrinæ sacræ in vniuersum, de qua loquimur in præsenti. Non enim potest homo operari ad beatitudinem,suumque vltimum finem supernaturalem assequendum,nisi illum & media ad ipsius consecutionem necessaria præcognoscat, vt per se constat; sed necesse est hominem taliter operari, si quidem fides nos docet salutem hominis de facto consistere in beatitudine supernaturali assequenda ab adultis, per quædam media ab ipsis adhibenda; ergo necesse est vt illa præcognoscat. Non potest autem homo præcognoscere, talem suum finem, & media ad illum adipiscendum, absque diuina reuelatione & instructione, cum enim hæc dependeant à sola Dei voluntate, non possunt certò cognosci,nisi ipso reuelante: sed ex superiori discursu debet totum illud præcognoscere vt assequatur, ergo ad hoc requiritur diuina reuelatio. At doctrina fundata in hac diuina reuelatione est præter philosophicas disciplinas, igitur si ipsa est necessaria, vt demonstratiuè probant duo superiora argumenta, erit etiam necessaria

ſaria aliqua doctrina præter philoſophicas diſciplinas: Quod autem hæc doctrina rectè vocetur ſacra, maximè pater, quia eſt præcipuè de rebus ſacris, & ſanctis, cuiuſmodi eſt inter alia omnia ſacroſanctũ auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium, & ad morum ſanctitatem maximè prouehit, habeturque per ſacri numinis reuelationem, rectè ergo dicitur ſacra.

Vlterius Doctrina Sacra eſt de eſſentia regni Chriſti, ergo vt illud ſubſiſtat debet illa dari: conſequentia pater, quomodo enim aliquid ſubſiſtere poteſt ſine ſua eſſentia: probatur antecedens nam quicquid eſt de forma alicuius, eſt etiam de eſſentia illius, ſed doctrina ſacra eſt de forma regni Chriſti, ergo & de eſſentia illius. Probatur minor, quod pertinet ad gubernationem regni Chriſti, eſt de forma illius, ſed ad gubernationem regni Chriſti pertinet doctrina ſacra, ergo eſt de forma regni Chriſti. Maior eſt certa, forma enim cuiuſcumque regni maximè in gubernatione poſita eſt, ex Ariſtotele Polit. lib. 1. Minor autem probatur, ſupponendo quod in gubernatione duo principaliter conſiderantur, vnum ſunt leges, aliud executio legum, quæ à Magiſtratibus procuratur, leges regni præſcribunt primò finem, ad quem populi gubernati tendere debent, ſecundò actiones quibus finem illum comparare poſſint, tertio media opportuna ad eiuſmodi actiones exercendas, & ſic de cæteris; quæ cũ omnia præſtet doctrina Sacra in regno Chriſti, nemo credo ſanæ mentis eſt, qui non facile perſentiſcat, quomodo ad illius gubernationem neceſſario pertineat, ex ſuppoſitione beatitudinis ſupernaturalis acquirendæ ab adultis per propria opera, & merita.

Dico ſecundo, ſi loquamur de doctrina Sacra, pro vt verſatur circa obiecta ſupernaturalia, ea eſt neceſſaria ſimpliciter, & abſolutè omnibus adultis vſum rationis habentibus, quo ad vtramque ſui partem, nempè tam quo ad aſſenſum fidei, quod eſt certum apud omnes, quam quo ad aſſenſum Theologicum, non quidem, vt logici loquuntur, quo ad ſingula generum, ſed quo ad genera ſingulorum, quia ſcilicet ſaltem aliquis aſſenſus fidei, & aliquis aſſenſus Theologicus, eſt neceſſarius ſimpliciter cuique adulto ad ſuam ſalutem conſequendam: Ratio fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex hoc, quod homo debet ordinare, & dirigere ſuas operationes, in finem ſupernaturalem ſibi per fidem præcognitum; ita vt illa fidei notitia, quæ eſt ſecundum omnes neceſſaria, non ſit ſimplex notitia, ſed ſe habeat vt principium, & cauſa ordinationis operationis humanæ in talem finem; re vera enim ſi homo eſſet ordinatus à Deo vt in ſuum finem, non tamen haberet neceſſitatẽ ordinandi ſuas operationes in illum, non eſſet illi neceſſaria talis præcognitio, vt patet in pueris ante vſum rationis morientibus, qui ſaluãtur per gratiam in Baptiſmo receptam ſine operibus: Hæc autem ordinatio nõ poteſt fieri ſine aliquo aſſenſu Theologico, deducto ex principijs fidei, & ſæpe etiam ſine multis; niſi enim quiſque ex principijs fidei inferat, quid ſibi hic, & nunc ſit agendum ad glorificandam ſanctiſſimam Trinitatẽ, quomodo oranda, quomodo amore ipſius tentationibus reſiſtendũ, & ſimilia, nunquam conuenienter operabitur ad ſuum vltimum finem conſequendum, nam particularia, quæ ſpectant ad actiones huius, vel illius, non ſunt nobis immediatè reuelata, ſed debent deduci ex principijs reuelatis, in quibus deducendis conſiſtit diſcurſus Theologicus, & multæ ex his cõcluſionibus, ſunt etiam rudibus, & idiotis hominibus in promptu; quamuis ad alias requiratur maior doctrina, & conſultatio doctiorum.

Nec refert, ſi quis obijciat inde ſequi, quod quiuis adultus neceſſitate ſalutis teneretur eſſe Theologus, quod videtur abſurdum: non inquam hoc refert, facile enim reſpondetur, ſi nomine Theologi intelligatur, vt communiter accepi ſolet, homo perfectus in

Theo-

Theologia, sic non esse necessarium vt quilibet fidelis sit Theologus, at si per Theologum intelligamus diminutè, & secundum quid eum, qui ex principijs fidei multa inferat sibi ad salutem necessaria, sic omnis Christianus, qui secundum fidem operatur est Theologus, non tamen absolutè; sicut non vocatur quilibet homo, absolutè philosophus, aut mathematicus, licet omnis homo naturaliter aliquem discursum philosophicū, aut mathematicum habeat.

Dico tertiò, si sit sermo de doctrina sacra; pro vt præcisè versatur circa ea obiecta, & veritates, quæ de Deo rebusque diuinis possunt quidem naturali ductu rationis inuestigari ac cognosci, fuere tamen à Deo reuelata; etiam quo ad hoc fuit hominibus necessaria ad salutem, non tamen absolutè, & simpliciter in ordine ad singulos homines, sed vt conuenientius, & certius proueniret illis salus; dictum fuit in ordine ad singulos homines; nam si aliquis homo quocumque casu non posset habere notitiam illam naturalem certam, huic esset omnino necessaria instructio de illis rebus per reuelationem, colligiturque ex loco D. Pauli ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod remunerator sit inquirentibus se.* Qui locus si intelligatur præcisè de existentia Dei, vt volunt aliqui, non vero de existentia Dei, secundum quod talis est, qualem Christiana religio docet, nempe Trinus, & vnus, & author supernaturalis, vt opinantur alij; debet principaliter applicari omnibus illis, qui ex quocumque casu non cognoscunt certò naturaliter illam veritatem; non enim vt statim explicabo, est simpliciter necessarium vt qui habet scientiam existētiæ Dei, prouidentiæque ipsius in remunerando, habeat de hoc ipso fidem. Dictum est etiam in assertione absolutè, & simpliciter, quia sine hac instructione diuina posset aliquis homo consequi salutem, si harum rerum certam notitiam haberet aliundè, posita fide aliarum rerum. Vt enim iam dixi, in casu quo aliquis v. g. Gentilis haberet euidentem scientiam existentiæ Dei, vt authoris naturæ, non esset simpliciter necessarium, vt conuersus ad fidem haberet eiusdem rei, vt sic præcisè, fidem, vt habet S. Doctor 2. 2. q. 2. art. 4. ad 2. & Clarius quæst. 1. art. 5. ad 3. alibique passim. Immo repugnat ob incompossibilitatem quam habent illi duo habitus respectu vnius, & eiusdem obiecti, directè sumpti, pro vno, & eodem tempore, ratione euidentiæ, quam includit scientia, & obscuritatis, quam habet fides.

Nec inde sequitur Philosophum, aut Theologum Christianum esse peioris conditionis, quam rusticum fidelem; quia melius est habere actum entitatiuè supernaturalem circa aliquod obiectum, cuiusmodi est in rustico actus fidei de existentia Dei, quam habere tantùm actum naturalem, aut ad summum quo ad modum supernaturalem cuiusmodi est assensus Theologicus de existentia Dei. Non inquam hoc sequitur, nam primo in esse moris, & in ordine ad meritum, nō est deterioris conditionis philosophus, aut Theologus Christianus, qui quantum est ex se, habet semper in præparatione animi voluntatem credēdi, quod Deus sit, ex suppositione, quod euidentem de hac re scientiam, aut notitiam non haberet; imò taliter est dispositus, vt pluris longe faciat testimonium Dei circa veritatem hanc, & alias quas naturali lumine cognoscit, quàm quamcumque euidentiam scientiæ naturalis, quam possit habere de illis, quod sufficit in viatore ad rationem meriti ex actu fidei prouenientis. Secundo etiam potest dici non esse peioris conditionis in esse entis, si quidem nulla est entitas supernaturalis in rustico, quæ non sit in Philosopho; Licet enim scientia, quam habet Philosophus, aut Theologus, quod Deus sit, tollat ab eo fidem veluti directè de eadem propositione, non tamen indirectè vt ita loquar; & ratio est, quia impossibile est vt Deus reuelet de seipso veritates supernaturales necessario credendas per fidem, quin etiam implicitè

reuelet alias veritates naturales, si enim Deus reuelet, v. g. se esse Trinum & Vnum, iam reuelat se esse: igitur si est simpliciter necessaria, reperiaturque de facto in aliquo fides rerum supernaturalium, & earum reuelatio, erit etiam & naturalium, quatenus veluti imbibuntur, & includuntur in alijs veritatibus supernaturalibus, & simul cum illis per modũ vnius obiecti supernaturalis credi possunt. Ita ad præsens institutum, si consideretur existentia Dei præcisè vt authoris naturæ, præscindentis à Deo vt authore Supernaturali, ad illam veritatem per se, & directè cognitam, sicut non requiritur fides, sed sufficit solum naturale lumen, vt affirmãt omnes Theologi, paucis exceptis, quos alij temeritatis, & erroris damnant, sic nec etiam remanet fides respectu eiusdem obiecti directè sumpti, in homine habente scientiam illius, de facto enim subtrahitur ab obiecto fidei per euidentiam scientiæ, remanet tamen eadem fides respectu illius eiusdem obiecti veluti indirectè, quia fides nostra non est de Dei existentia quomodocũque, siue quatenus præcisè est existentia Dei, vt authoris naturæ præscindentis à Deo vt authore supernaturali, vocaturque à D. Thom. loco citato 22. quæst. 1. art. 5. ad 3. præambulum quoddam ad fidem: Sed de existentia Dei, vt facit Deum existere, tam vt est author naturæ, quam vt est author supernaturalis, tam vt est vnus, quam vt est Trinus. Vnde sicut posset haberi fides de gradu animalis pro vt formaliter continetur in homine, licet haberetur scientia de animali considerato secundum se, vt præscindit à tali coniunctione; & sicut de facto habemus fidem de natura humana pro vt continetur in Christo, secundum quam vnionem homo est Deus, & Deus est homo, quod est obiectum, solum per diuinam reuelationem cognitum; quamuis Deum esse, sit per se notum: & etiam, hominem esse sit notum lumine naturæ; ita similiter fides potest remanere in aliquo de Dei existentia tam vt author est naturæ, quam vt est author supernaturalis, licet habeat scientiam de eius existentia quatenus præcisè est author naturæ. Hinc quando diximus scientiam, & fidem esse habitus, & actus incompossibiles, respectu vnius, & eiusdem obiecti, addidimus directè sumpti, & cogniti. Et quando etiam in assertione diximus doctrinam sacram non esse absolutè, & simpliciter humano generi necessariam respectu illarum veritatum diuinarum, quæ solo naturali lumine cognosci possunt, ideoque obiecta naturalia vocantur, non debet intelligi assertio de illis obiectis naturalibus, quatenus modo explicato imbibuntur in obiectis supernaturalibus, sic enim obiectum naturale vt inclusum in supernaturali necessario creditur per fidem, sed est sermo de illis obiectis præcisè, & seorsim, quatenus ratione naturali sciri possunt, & attingi, ad ea enim sic sumpta, se habet tantùm doctrina sacra, vt salus hominibus, & certius, & conuenientius proueniat. Nam alioqui stando, in sola industria rationis, pauci homines, & adhuc cum magno labore, & longo tempore, ac non sine admixtione errorum, tales veritates assequerentur: & ita quidem de facto manifestè constat experientia, & inductione in ijs qui lumine fidei destituti, fuerunt tamen in humanis scientijs apprimè eruditi. Instructione autem diuina hominibus communicata factum est, vt passim homines, faciliter, ac breui tempore, & sine vllius erroris periculo, has quoque veritates assequi possint; sic ergo fuit hominibus admodum vtilis, siue necessaria ad melius esse huiusmodi diuina instructio, & doctrina sacra. De quo vide S. Thom. 1. contra Gentes cap. 4. vbi latè prosequitur tres rationes statim insinuatas.

Dico quarto, si nomine doctrinæ sacræ intelligatur ipsa Theologia, pro vt à fide distinguitur, significatque disciplinam, seu scientiam proprio studio, & labore comparatam, per quam ex fidei principijs speculatiuè inferuntur variæ, & multæ conclusiones circa res diuinas, & hu-

& humanas, & per quam ipsamet fides defenditur, & impugnantur errores contrarij, & similia quæ propriè spectant ad Theologiæ munus, dico hanc sacram scientiam per se generaliter spectatam, attenta ordinaria Dei prouidentia circa suæ ecclesiæ gubernationem, semper fuisse, & esse necessariam absolutè omnibus; non tamen singulis; vel toti ecclesiæ ad rectum, & conuenientem ipsius statum, sed non cuilibet priuatæ personæ, immediatè loquendo.

Dixi in assertione accuratam scientiam Theologiæ per se generaliter spectatam esse absolutè necessariam, quia vt vidimus supra, Theologia siue doctrina sacra modo in conclusione explicato accepta, sub duplici statu considerari potest, primo pro vt est nunc, & fuit post Sanctum Thomam, & Magistrum, scilicet digesta per ordinem, & quæstiones modo prorsus scientifico; secundo sine hoc ordine, & perfectione, sed sparsim tradita, pro vt se se occasio offerebat, & fuit in Sãctis Patribus, alijsque doctissimis viris antiquioribus; & altero ex his modis dico sacram Theologiam esse absolutè necessariam. Dixi etiam spectata de facto prouidentia Dei ordinaria, nam sine dubio potuisset alio modo Deus prouidere indemnitati Ecclesiæ ipsiusque conseruationi; maximè per nouas, & nouas semper reuelationes, absque necessitate Theologiæ; vel etiam alijs modis: de facto tamen voluit Deus, vt ordinarius modus subueniendi necessitatibus fidei, & Ecclesiæ, cui infallibilem assistentiam promisit, esset per doctorum hominum conuentus, & consilia, vel etiam priuatorum doctrinam, & disputationes, vt experientia huc vsque comprobatum est. Insuper dixi doctrinam sacram semper fuisse, & esse necessariam, semper inquam, sed non ad semper, aut pro semper, vt dici solet de præceptis affirmatiuis; non enim si vno die, vel mense deessent tales Theologi, statim, vel momento periret Ecclesia; sed dicitur semper necessaria propter pericula, variasque occasiones, quæ possunt occurrere, in quibus fides, & Ecclesia periclitaretur. Vltimo tandem in assertione dixi doctrinam sacram, siue Theologiam sic accuratè sumptam, non esse necessariã singulis hominibus immediatè, quia non desunt multi asserentes esse necessariam mediatè, non quidem simpliciter, & rigorosè pro quouis tempore; sed pro illo quo ex defectu Theologiæ, iam desijsset esse fides, & Ecclesia; posito enim, quod Deus de facto sua ordinaria prouidentia, ita conseruet in mundo fidem suam, & Ecclesiam, nempe ministerio, & ope Theologorum, si hoc medium omnino cessasset aliquando, aut in posterum cessaret; nullo alio adhibito, cessaret etiam, & periret fides & Ecclesia, quo posito nullus esset, siue etiã puer, qui saluari posset, itaque in ordine, ad illud tempus, posset dici Theologia remotè, & mediatè necessaria ad cuiusque salutem in particulari. Quia ergò tale tempus potuisset esse quodcumque, si Deus voluisset Ecclesiam suam ex defectu talis medij perire, quãuis de facto noluerit; propterea etiam dici potest, quod semper fuit necessaria Theologia, licet remotè, & mediatè ad singulorum salutem.

Assertio sic explicata, & intellecta probatur primo ex diuersis sacræ scripturæ locis 1. Corinth. cap. 2. & 20. ad Titum 1. 1. Petri 3. alibique passim, vbi pro certo supponitur, debuisse in Ecclesia inueniri doctores, rerum diuinarum peritos, qui per scientiam, & sapientiã, atque interpretationem sacrarum litterarum, & exactam notitiam mysteriorum fidei instructi essent, ad docendũ & erudiendum alios; *quomodo enim credent sine prædicante?* Rom. 10. Quare & Christus eosdẽ doctores in Ecclesia instituit, voluitque esse de iure diuino ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdã Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores, & doctores, ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi*. additurque ratio, *vt non simus paruuli fluctuantes, & non circumferamur*

omni vento doctrinæ, in nequitia hominum. His sacrarum scripturarum authoritatibus, accedunt plura SS. PP. testimonia maximè D. Augustini lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi sacram doctrinam, Theologiæque scientiam, vocat saluberrimam, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. & lib. 2. contra Iulianum capite vltimo docet Doctores Theologos post tempora Apostolorum fuisse Ecclesiæ plantatores, rigatores, ædificatores, pastores, nutritores. Quæ omnia non debent intelligi de Theologis, aut Theologia quomodocumque, siue imperfecta, secundum quā Isaiæ 54. dicitur, *ponam vniuersos filios tuos doctos à Deo*, & Ioannis 5. *Erunt omnes docibiles Dei*; sed de accurata scientia Theologiæ per se generaliter spectata; de quà idem Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 1. ait: *Hac scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide: aliudque est scire, quid credere debeamus, quid doceat fides; aliud est scire, quemadmodum hoc ipsum & opituletur pijs, & contra impios defendatur.*

Etiam si igitur non teneatur vnusquisque excellere in scientia Theologica, immo hoc quibusdam sit impossibile, plebeis, rudibus, idiotis; & Ecclesiæ corpus varia membra habeat 1. Corinth. cap. 12. alij sunt oculi, alij manus, alij pedes; nihilominus tamen oportet semper aliquos esse peritos Theologos, pastores, doctores, qui cæteros erudiant, nec solum elementa fidei, sed difficiliores quæstiones pertractent, pro loco & tempore, diuersoque auditorum captu, & conditione. Sicut enim peccant infideles, qui doctrinam Euangelicam sufficienter propositā recipere nolunt; quia tunc resistunt Spiritui sancto; ita vicissim peccant, si nimis leuiter, ac temerè assensum ei præbeant contra dictamen conscientiæ suæ, antequam omnia diligenter expenderint, ac probata, & explicata viderint, vt dicitur Ecclesiast. 19. *Qui citò credit leuis est corde*, & Isaiæ 28. *Qui crediderit non festinet*. Ergo iam maximè necessarij sunt doctores in Ecclesia, qui docendi munere apud exteros defungantur, partim explicando, partim probando fidei mysteria, ex ipsis nonnunquam paganorum testimonijs, & ex philosophia naturali, cum nec scripturas nec authoritatem Ecclesiæ recipiant, partim etiam diluendo eorum argumenta, & sophismata. Quæ omnia præstari non possunt sine accurata scientia Theologiæ. Deinde spectata ordinaria Dei prouidentia, semper fuerunt, & sunt, & erunt mali homines in mundo, non solum extrà Ecclesiam, sed etiā intrà, qui ipsam, & eius doctrinam, ac mores oppugnent, aut qui petant rationem nostræ fidei, & doctrinæ, 1. Petri 3. Item etiam inter bonos oriri sæpè possunt, & solent difficultates circa ipsas res reuelatas, & ea quæ necessaria sunt homini ad salutem, an hoc, vel illud faciendum, fugiendum &c. ita vt opus sit conferre scripturas scripturis, & quæstionem vnam, vel partem vnam Theologiæ cum altera, & similia; cumque Deus non omnia explicitè reuelauerit, neque indicauerit expediens quotidie de nouo reuelare; alio modo his omnibus necessitatibus occurri nō potest nisi per accuratam Theologiæ disciplinam, ad quam pertinet omnes sectas contrarias confutare, omnes hæreticorum errores conuellere, veras conclusiones ex principijs fidei aptè deducere. Vndè in ipsismet generalibus comitijs, aut cum Summus Pontifex aliquid circa res fidei, aut mores definit, id non fit per nouam reuelationem, sed per peculiarem Spiritus sancti assistentiam, præmissa debita diligentia doctorum hominum, nec est alius modus ordinarius in Ecclesia, quo eius integritas, & perpetuitas conseruetur. Et ita prouidit Deus vt semper essent in ea Theologi, etiam in lege scripta, & lege naturæ vsque ad Adamum, quem fuisse perfectum Theologū diximus supra capite 2. Quamuis enim vsus Theologiæ minus fuerit ab initio necessarius, posteà verò magis, ingrauescentibus vitijs, tàm in lege naturæ, quā in lege scripta, ad diuertendos homines ab

ab idololatria, sed maximè in lege Euangelica; sicut enim creuit fides; quò ad maiorem explicationem, & credendorum distinctioné; ita maior fuit Theologiæ, ac doctrinæ sacræ necessitas, ad rectam ipsius conseruationem, explicationem, atque defensionem.

Dico quinto. Doctrinam sacram, siue scientiam Theologicam hoc vel illo modo traditam iuxta viam D. Damasceni, vel Magistri Sententiarum, vel D. Thomæ, esse quidem optimam, & vtilissimam, non tamen Ecclesiæ simpliciter, aut absolutè necessariam. Posterior huius assertionis pars non eget probatione, facile enim omnes animaduertunt talem methodum non semper fuisse in Ecclesia: Prior verò aduersus Hæreticos declarari potest, ex ipsis muneribus, quæ huic recentiori Theologiæ Scholasticæ maximè competunt; non enim intelligimus Theologiam Scholasticam, qualem sibi fingunt Hæretici in solis Metaphysicis, & curiosis quæstionibus occupatam (quamuis nec Metaphysica spernenda sit, rationesque quas ex ipsa adducit Theologia Scholastica, præsertim aduersus infideles, qui cùm nec scripturas nec Ecclesiæ traditiones recipiant, esset ridicula principij petitio, velle tunc ex his principijs solum disputare) Sed de ea loquimur, quæ idē præstet ac positiua, multo tamen exactius & accuratius, seruata semper methodo secundum rectum docendi ordinem. Quod quanti sit vtilitatis in omni disciplina, & consequenter etiam in doctrina sacra, non solum ostendunt crebra encomia quibus Summi Pontifices, & Concilia celebrarunt libros Magistri Sententiarum, summamque Theologicam doctoris Angelici D. Thomæ; sed ipsa etiam indignatio, inueteratumque odium quod Hæretici contra nostram Scholasticam Theologiam conceperūt. Etenim Vviclephus apud Valdensē tomo 1. lib. 2. cap. 64. vocat sacras Theologorum scholas, castra Cainitica: Et Lutherus lib. 2. de abroganda missa, lupanaria, Beatumque Thomam appellat phialam iræ Dei; quid plura Hæretici Vvitembergenses, vt refert Surius in appendice ad Nauclerū, anno 1520. Scholasticæ Theologiæ libros feretro inclusos instar funeris ad mediam Vrbis plateam detulerunt, sequentibus ministris, officiumque defunctorum per ludibrium canentibus, tandemque in ardentem rogum proiecerunt. Dolet quippe Hæreticis, quod videant suas fraudes & dolos, suas imposturas, suamq; ignorantiam, per Theologiam Scholasticam tanquam per fortissimū veræ fidei propugnaculum, diligenter ac neruosè confutari, vellentque si possent perturbare omnia, ac tenebris inuoluere, sicut mendacium odit lucem, & diabolus est princeps tenebrarum. Sed de his fusius infra libro secundo Sectione 1. cap. 3.



SE-

SECTIO SECVNDA.

Quid, & qualis sit doctrina Sacra.

CAPVT PRIMVM.

Quod doctrina Sacra sit vera, & perfecta scientia.

ET si plures Theologi existiment doctrinam Sacram, pro vt est in nobis viatoribus, quantum ad assensum Theologicum consideratam, non esse verè, ac propriè dictam scientiam, vt potè procedentem ex principijs fidei obscuris, & ineuidentibus, vel saltem ex vno principio reuelato, & altero cognito lumine naturali. Longè tamen probabilius oppositum defendunt cum D. Thom. omnes discipuli ipsius, in parte q. 1. artic. 2. Nobis igitur asserendum est, assensum conclusionis Theologicæ, cum sit assensus discursiuus & certus; quamuis careat formali euidentia, qua non carent scientiæ purè naturales, posse tamen dici in aliquo vero, & proprio sensu scientiam perfectam. Dicitur in aliquo vero & proprio sensu vocari posse scientiam perfectam; quia vt notant communiter Philosophi, perfectum seu integrum in aliquo ordine vel genere potest dici aliquid dupliciter; primo quia nullo careat essentiali principio talis generis constitutiuo, sed habeat omnia quæ essentialiter concurrunt ad ipsius constitutionem; sicut homo constitutus ex anima & corpore, potest appellari perfectus homo essentialiter, quamuis careat vno oculo, aut pede, vel alia parte integrali: secundo potest dici aliquid perfectum in aliquo genere, quod pertingit ad summam, vel ad maximam intra illud genus perfectionem, & sic homo cui nihil deest ex perfectionibus humanis, dicitur homo perfectus; quæ perfectio iterum potest esse maior & minor, ex maiori vel minori accessu ad perfectissimum, quod in vnoquoque genere debet esse regula & mensura cæterorum. Primo ergo modo dicimus, assensum Theologicū esse scientiam perfectam, non secundo; nam non solum talis assensus Theologicus est infinitè inferior scientiâ diuinâ, & increatâ, circa idem obiectum, sed etiam valdè inferior scientia beatorum; vndè in ordine ad hæc secundò dici potest Theologia nostra, scientia imperfecta, & inchoatio quædam scientiæ beatorum, vt constat ex D. Thom. in libro super Boetium de Trinitate quæst. 2. artic. 7. at verò primo modo, & in ordine, seu per comparationem ad scientias purè naturales, asserimus Theologiam esse perfectè, & propriè dictam scientiam.

Quod satis manifestè videtur colligi, tàm ex modo loquendi sacræ scripturæ, quàm SS. Patrum, qui absolutè, & sine vllo addito doctrinam sacram scientiam vocant. Ieremiæ enim cap. 3. legitur: *Dabo vobis pastores vt pascant vos scientia & doctrina*. Sapientiæ 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Lucæ 1. *Ad dandam scientiam salutis*. 1. Corinth. 12. *Alij datur sermo Sapientiæ, alij sermo scientiæ*. Sancti quoque Patres Ambrosius, & Hieronymus in cap. 12. & 13. citatæ Epistolæ ad Corinth. nec non & Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 1. Hanc doctrinam proprio vocabulo docent appellari scientiam à D. Paulo; non solùm ea ratione, quà scientia sumitur largo modo pro quacumque notitia intellectuali alicuius veritatis, sed etiam stricto modo, & propriè loquendo de scientia, pro vt scilicet condiuiditur cōtra alios habitus intellectuales, intellectum,

ctum, prudentiam, artem, fidem, & opinionem. Verba enim scripturæ, & Patrum, si absurditas non sequatur, in sensu proprio, & rigoroso debent explicari, quod autem Theologia pro vt reperitur in viatoribus, sit verè & propriè scientia, non modo nullum sequitur absurdum, sed potius rationes subsequentes id apertè demonstrare videntur.

Primo enim, scire est rem per suam causam certò cognoscere, sed in doctrina sacra, multa per suam causam certò cognoscuntur, deducit enim artificiosè suas conclusiones ex principijs fidei, quæ summam certitudinem habent ex diuino Testimonio; igitur doctrina sacra, quantum ad assensum suum Theologicum considerata est verè & propriè dicta scientia.

Secundò, quia si esset aliqua ratio quare Theologia in nobis viatoribus nõ esset verè ac propriè habitus scientificus, maximè quia vt obijciunt aduersarij, deficit ipsi euidentia, sed hoc non obstat quominus Theologia verè sit habitus scientificus, ex eo quod eiusmodi conditio non requiritur ad scientiam; quidquid enim sit de scientijs purè naturalibus, tamen de ratione scientiæ in communi, pro vt præscindit à naturali, & supernaturali, solum est attingere infallibiliter verum per discursum, si quidem per talem modum attingendi constituitur in esse virtutis intellectualis, & distinguitur à reliquis virtutibus. Vnde etiam ipse Aristoteles per differentiam certitudinis solet scientiam ab opinione distinguere 1. Poster. cap. 2. & 2. posterior. cap. 26. vbi ait: *Nullus arbitratur opinari, cum existimet impossibile aliter se habere, sed scire*. Quia tamen Philosophus Gentilis non agnouit cognitionem ita certam, & necessariam, quæ habetur per diuinum testimonium, sed solum agnouit illam quæ habetur per euidentiam rationis, ideo deinceps ipsi scientiæ tribuit euidentiam, & ita non ponitur, vt essentialis in definitione scientiæ, sed vt necessaria solum ad explicandam conditionem essentialem, scilicet certitudinem, quæ licet naturaliter non possit conuenire scientiæ sine euidentia formali, supernaturaliter tamen potest fieri; igitur defectus euidentiæ formalis non sufficit, vt aliqua cognitio vera & certa generata in nobis per discursum, lumini fidei innixum, qualis est Theologia, non sit verè & propriè scientifica.

Tertio idem probari potest hoc alio argumento, quod ferè in idem recidit, quia si aliqua conditio essentialiter requisita ad habitum scientificum, deesset Theologiæ viatrici; maximè esset euidentia, sed hanc, licet non habeat formaliter, æquiualenter tamen habet, quod sufficit, ergo nulla conditio essentialis illi deficit; ac proinde valet in aliquo vero & proprio sensu dici scientia perfecta. Minor quo ad primam partem probatur. Nam principia ex quibus procedit Theologus sunt assensus fidei formaliter ineuidentes, ergo conclusio ex illis illata est etiam formaliter ineuidẽs, si quidem ad scientiam euidentem non sufficit euidentia consequentiæ, nisi habeat simul euidentiam præmissarum & consequentis, nam hæc euidentia consequentiæ non est propria Theologiæ, aut cuiusuis alterius scientiæ sed logicæ solum, reperiturq; etiam in syllogismo probabili & apparenti dummodo sit in forma. Quia tamen fidei, ex qua procedit Theologia, tanquam ex habitu primorum propriorum, tanta est infallibilitas & certitudo, vt nulla naturalis euidentia sit illi cõparabilis, innititur enim lumini increato cui omnia sunt euidentissima, hinc fit, quod assensus ille præmissarum in intellectu Theologi ratione suæ certitudinis contineat virtualiter & æquiualenter quamcumque euidentiam naturalem, quam solemus habere circa principia naturaliter cognita; ita vt licet scientia excedat fidem quantum ad formalem euidentiam, qua fides caret, tamen in ordine ad finem scientiæ, videlicet vt homo sine errore aut erroris periculo, atque adeo infallibiliter & certò assentiatur & adhæreat alicui obiecto, excessus certitudinis fidei æquiualet,

let, imo superat euidentiam præmissarum scientiæ, vt habet D. Thom. in 3. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 1. & ad 2.; & consequenter certitudo illa assensus Theologici in conclusione, æquiualet euidentiæ assensus scientifici, licet careat formali illa perfectione euidentiæ; sicuti lumen solis dicitur æquiualere virtuti ignis ad calefaciendum, liceat careat calore formaliter. Quod autem hæc æquiualentia sufficiat ad perfectam scientiam, loquendo de perfectione scientiæ modo iam explicato in ordine ad scientias naturales, non verò ad scientiam beatorum; nec enim dicimus assensum fidei continere virtualiter, aut æquiualenter euidentiam, quam habent beati de eisdem obiectis; sed æquiualere naturali euidentiæ, quam habemus de alijs rebus naturalibus, circa quas est nostra scientia; quod hæc, inquã, æquiualentia sufficiat ad perfectam scientiam, quæ erat secunda pars minoris argumenti propositi, probatur; quia non ob alium finem rationabiliter exigi potest euidentia præmissarum in scientijs naturalibus, nisi vt assensus conclusionis sit infallibilis, & sine periculo errandi, atque adeò attingat rationem virtutis intellectualis, vnde etiam certitudo naturalis alicuius cognitionis definiri solet, quod sit firmus & immobilis assensus ortus ex euidentia connexionis terminorum propositionis, siue per se, & ex ipsis terminis, cuiusmodi sunt prima principia, immediata, & indemonstrabilia; vel ex talibus primis deductus per euidentem cõsequentiam qualis est assensus scientificus; ita vt ipsa euidentia nihil aliud sit in eodem assensu firmo, nisi claritas quædam veritatis intellectæ, vel ex ipsa terminorum apprehensione, & collatione inter se orta, vel ex tali aliqua notitia per certam consequentiam deducta. Sed hæc infallibilitas atque firmitas cognitionis habetur in assẽsu Theologico vt hic omnino certum supponitur, & inferius demonstrabitur; propter illam virtualem & æquiualentem præmissarum euidentiam; ergò Theologia non caret euidentiâ requisitâ ad scientiam propriè dictam, quantum sufficit ad finem scientiæ.

Quartò. Vt assensus Theologicus sit verè & propriè scientia non requiritur vt procedat ex principijs euidentibus ipsi Theologo, vt Theologus est; sed sufficit ad perfectam scientiam inferiorem, qualis est Theologia respectu scientiæ beatorum, vt principia ex quibus procedit sint euidentia scientiæ superiori, ita tamen vt fiat sufficiens continuatio intellectus inferioris ad superiorem, sicut patet in musico, qui licet ipsi vt musico non sint euidentia principia Arithmeticæ, verè tamen dicitur sciens posita illa cõtinuatione. Sed principia ex quibus procedit Theologus, sũt euidentia scientiæ superiori, cui subordinatur Theologus, & præterea in intellectu Theologi, est sufficiens continuatio & coniunctio cum scientia superiori, diuinâ scilicet, & beatorũ, nam Theologus per fidem supernaturalem certissimè & infallibiliter cognoscit, principia Theologiæ esse certa, & euidentia Deo, & beatis: ergo non est cur rationabiliter denegemus assensui Theologico veram & perfectam rationem sciẽtiæ.

Vltimo tandem probatur assertio; quia tunc aliquid vocari potest imperfectum comparatiuè ad alias res, quæ secundum aliquam rationem dicuntur perfectæ, quandò participat quidem multa ex perfectionibus talium rerum, sed est illis deterius simpliciter, ex defectu alicuius rei, quæ reperitur in illis, spectatque ad illarum perfectionem; quo pacto fides est imperfectior, simpliciterque deterior visione beatifica, in ratione cognitionis, quia deficit à perfectione visionis, ratione suæ obscuritatis & ineuidentiæ: sed assensus Theologicus ex carentia euidentiæ naturalis, quã habent aliæ scientiæ purè naturales circa sua principia, non est illis deterior in ratione assensus discursiui, sed simpliciter perfectior, assensus enim Theologicus

tus est multo certior & infallibilior cum carentia naturalis euidentiæ, quam sit quilibet alius assensus scientificus, cum naturali euidentia, ergò ex hac carentia non potest appellari doctrina sacra, sciẽtia secundum quid & imperfecta; sed potius perfectior, quam quælibet alia naturalis disciplina.

Superesset modo afferre contra dicta obiectiones aliquas, sed quia illarum solutio facilis est ex doctrina huc vsque tradita, non est quod in illis amplius immoremur.

CAPVT II.

Quod sacra doctrina subalternetur scientiæ beatæ, non tamen alijs scientijs purè naturalibus, quæ potius illi subalternantur, aliquo modo subalternationis impropriæ.

CVm inter scientias, aliæ sint subalternantes, hoc est, sub se alias scientias continentes; aliæ verò subalternatæ, hoc est sub alterà scientià contentæ; postquam superiori capite ostendimus Theologiam esse verè, ac propriè dictam scientiam, statim animũ pulsat inuestigare, num sit scientia subalternans, an verò subalternata, vel vtrũque simul?

Pro cuius intelligentia notandum est, quod, cum scientiam subalternari sit idem, vt iam monuimus, ac sub altera contineri, siue collocari, tot modis vna scientia dicetur alteri subalternari, quot modis continget sub illa contineri, & collocari. Tripliciter autem id fieri potest. Primo ratione finis, quando scilicet finis vnius, continetur sub fine alterius & ordinatur ad illum, quo sensu artes ministræ dicuntur subalternari dominis, vt frænefactoria, equestri, equestris militari, & militaris politicæ. Hic tamen modus subalternationis impropriius est, sicut & ille qui attenditur penes maiorem, vel minorem perfectionem vnius scientiæ respectu alterius, quo modo certissimum est apud omnes Theologiam subalternari scientiæ beatæ.

Secundo modo vna scientia collocatur sub alia ratione obiecti, siue subiecti, quando scilicet obiectum vnius continetur sub obiecto alterius, ita tamen vt obiectum inferioris scientiæ addat accidentalem differentiam ad obiectum superioris, vt sic maneat extraneum ab illo, & non essentialiter illi subiectum. Quo pacto Musica subalternatur Arithmeticæ: quia numerus sonorus qui est obiectum Musicæ, addit supra numerum, qui est obiectum Arithmeticæ; sonoreitatem, quæ est differentia omnino accidentalis, & extranea, non quæcumque tamen, sed ex cuius coniunctione cum numero, originantur speciales passiones & proprietates, quæ possint de ipsa demonstrari, sicut requiritur vt constituat speciale genus scibilis; quod propterea non potest cõstituere numerus coloratus, aut frigidus; & in hoc sẽsu certum est Theologiam non subalternari scientiæ beatæ; neque enim Theologus considerat aliquam conditionem in conclusione, quæ non pertinere possit ad scientiam beatam; sed tendit in easdem veritates diuerso modo, & per diuersam rationem obiecti formalis; tendit enim in præmissas per fidem ex reuelatione diuina, tanquam ex ratione formali assensus, & in conclusionem, per discursum procedentẽ ex veritate præmissarum, tanquam per rationem formalem assensus; at verò scientia beata specificatur solùm ab ipsa diuina essentia clarè & intuitiuè visa; in qua omnes aliæ veritates creatæ cognosci possunt.

Tertio tandem modo vna scientia collocatur sub alia ratione principiorũ, quando scilicet principia vnius scientiæ non possunt esse immediatè per se nota, sed manifestantur per lumen superioris scientiæ, & ita scientia inferior non resoluit immediatè in principia per se nota, benè autem superior. Et in hoc sensu certum est Theologiam subalternari scientiæ beatæ; fundamentum est quia principia Theologica, non solum

ſunt veritates, quæ de ipſo Deo in ſe, vt de re cognita habentur, ſed etiam veritates quæcumque, quæ per fidem immediatè ſunt creditæ, ſpectantque ad diuerſa myſteria, quæ rationes & cauſas ſuas habent in Deo, vt incarnatio, iuſtificatio, glorificatio, Sacramentorum inſtitutio, & ſimilia, ex quibus deducit Theologus ea, quæ virtualiter & mediatè reuelata dicuntur; ergò quo ad talia myſteria, ſeu veritates poteſt Theologia ſumere probationem, & manifeſtationem ab illa ſcientia quæ euidenter cognoſcit & penetrat in Deo cauſas & rationes talium veritatum, ſed ſcientia beata id cognoſcit, ergo talis ſcientia manifeſtat aliquas veritates; quæ ita ſunt principia in Theologia, vt tamen ſe habeant in ſcientia beata tanquam concluſiones; ad ipſam enim pertinet cognoſcere euidenter ea quæ in Theologia ſe habent vt principia, quædam immediatè videndo, vt obiectum primarium ſuæ viſionis, ſcilicet quæ pertinent ad Deum in ſe, quædam vt ſecundarium obiectum, quorum rationes & cauſas videt in Deo.

Inquiret aliquis, num ſubordinatio ſtatim explicata ratione principiorum ſit ſufficiens vt Theologia noſtra verè & propriè dici poſſit ſubalternata ſcientiæ beatorum? affirmant aliqui, negant verò alij; verum cum hoc videatur pertinere ad ſolam quæſtionem de nomine, nec importet perfectionem neceſſariam noſtræ Theologiæ, qua ſi careat, deijciatur à ſuo ſtatu, perfectioneque ſcientiæ, quam ipſi ſuperiori capite conceſſimus, non eſt quod amplius immoremur. Solum aduerto, quod licet eſſentialis, & præcipua ratio ſubalternationis attenderetur penes ſubordinationem principiorum iam explicatam, quia tamen Theologia habet multa principia, quæ ita per fidem immediatè creduntur, vt nullas habeant in Deo cauſas, & rationes, iam ſaltem ex hoc capite deficit aliquo modo à tali ratione eſſentiali.

Diximus Theologiam ſubalternari ſcientiæ beatæ quia vtitur principijs per ſe notis ſcientiæ beatæ; cum igitur non rarò contingat vt diſcurſus Theologici procedant ex vna præmiſſa de fide, & alia cognita lumine naturæ; rurſus inquiret aliquis, an aliqua etiam ex parte ſubalternetur Theologia ſcientijs naturalibus, quatenus vtitur principijs euidentibus eiuſmodi ſcientijs?

Reſpondetur negatiuè, nullo ſcilicet modo Theologiam ſubalternari ſcientijs naturalibus ſed potius omnes prorſus ſcientias naturales, illi ſubalternari, aliquo modo ſubalternationis impropriæ; quo pacto omnes ſcientiæ naturales ſubalternari dicuntur Metaphyſicæ. Ratio eſt quia tunc aliqua ſcientia ſubalternatur alteri, dum aliquo eius principio vtitur in ſuis concluſionibus eliciendis, quando alioqui ipſa ex ſe nō habet alia vniuerſaliora, altiora, digniora que principia tanquam propria, per quæ poſſit iudicare de omnibus principijs, concluſionibus, veritatibus & diſcurſibus alterius ſcientiæ; ſed Theologia ita vtitur principijs alicuius ſcientiæ, vt tamen habeat ſua propria principia reuelata, digniora, ſuperiora & vniuerſaliora quauis ſcientia creata, & ex quibus iudicare poteſt aliquo modo de omnibus ſcientijs naturalibus, illaſque ordinare ad proprium finem; ergo tantum abeſt quod Theologia ſubalternetur, aut ſubordinetur alijs ſcientijs naturalibus, quin potius vtitur illis tanquam ſeruis, & ancillis, & vt ſibi ſubordinatis & ſubiectis vt optime explicauit D. Thomas varijs in locis præſertim 1. parte q. 1. artic. 5. & 6. quæſt. 1. prologi artic. 1. in corpore. & quæſt. 2. artic. 2. ad 2. vbi omnino videndus eſt.

CAPVT III.

Quodnam ſit obiectum quod *ſiue materiale doctrinæ ſacræ.*

CVm doctrinæ ſacræ quatenus eſt ſcientia, proprius actus ſit aſſenſus concluſionum, id quod erit ſubiectum, ſeu obiectum concluſionū Theologi-

logicarum illud ipsum erit subiectum, seu obiectum doctrinæ sacræ, quatenus est habitus scientificus; obiectum autē assensus scientifici, seu conclusionis potest esse duplex, vnum complexū, aliud incomplexum, & in vtroque potest rursus considerari id quod est formale, & quod est materiale.

Obiectum igitur complexum, est tota illa veritas composita ex prædicato & subiecto conclusionis, quæ infertur per assensum scientificum, vt docet S. Thomas 2.2. q.1. artic.1. in corpore. Scientia enim non cognoscit nisi probando & inferendo. Quod autem infertur & probatur est conclusio illata: conclusio autem est aliquid complexum in quo aliquod prædicatum enuntiatur de aliquo subiecto, & illa conclusio, seu propositio illata dicitur obiectum scibile, siuè, id quod scitur, & infertur in aliqua sciētia; quo pacto in hoc discursu Theologico in quo ex duplici natura in Christo domino, infertur duplex voluntas, obiectum complexum erit tota hæc veritas complexa, quod in Christo sit duplex voluntas, & sic de alijs.

Obiectum verò incomplexum est illud de quo in conclusione prædicata aliqua, seu proprietates inferuntur & probantur; quod propterea non incongruè subiectum appellatur, non quia scientia subiectetur in illo; (etenim cōstat subiectum inhæsionis habituum scientificorum esse animam rationalem si agatur de subiecto *quod*, vel de subiecto remoto, proximum verò subiectum, vel subiectum *quo* esse intellectum) sed quia subijcitur prædicatis quæ de illo in tali scientia demonstrantur, estque veluti basis, fundamentum & materia, circa quam exercet suas operationes, seu speculationes, aliquid de illo affirmatiuè vel negatiuè inferendo, sicuti subiectum artium Mechanicarum dicitur illa materia, circa quā eiusmodi artes exercent suas operationes; v.g. frænefactoriæ ferrum; statuariæ, æs, aut lignum, & sic de cæteris. Quia autem conclusio, siue propositio illata in aliqua scientia deducitur ex alijs prioribus propositionibus, quæ circa idem subiectum aliquid continent, ex quo tanquam per cōnexionem infertur, id quod in conclusione de eodē subiecto prædicatur, ideo principia & conclusiones in scientia circa idem subiectum versari dicuntur: cū isto tamen discrimine, quod in principijs prædicantur de subiecto ea quæ sūt per se nota, sicut prædicata essentialia, seu definitiones quæ non probantur per aliud medium; in conclusione verò ea quæ ex istis inferuntur, passiones scilicet, aut proprietates. Hinc apparet quomodo rigorosè loquendo, in scientijs, imo & in quolibet alio habitu intellectuali differant inter se subiectū & obiectum, quod nempe obiectum dicatur complexum per modum propositionis, subiectū verò incomplexum per modum simplicis termini de quo enuntietur prædicatum; quamuis discrimen istud sæpè à Philosophis & Theologis negligatur, qui vnū pro altero passim vsurpant.

Distinctio autem materialis & formalis, tam in obiectis, quam in subiectis scientiarum, quomodocunque sumantur, ex eo explicatur, quod obiectū materiale est illa propositio quæ per illationem probatur, & scitur tanquam veritas illata, formale verò est ratio illa sub qua siue per quam illustratur & manifestatur talis conclusio, vel quod in idem recidit, medius terminus complexè acceptus in præmissis, propter quem illi veritati assentitur intellectus, vnde loco citato 22. D. Thomas hæc habet: *In scientia Geometria materialiter scita sunt conclusiones* (nempe veritates illæ complexæ ex prædicato & subiecto conclusionis quæ exprimuntur per ipsas conclusiones) *formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per qua conclusiones cognoscuntur.* Similiter subiectum materiale est res illa de qua aliquid probatur & demonstratur in aliqua scientia, formale verò, est illa habitudo seu ratio, secundum quam subiecta illa considerantur in tali scientia, & illud subiectum cui primò & per se conuenit ta-

lis habitudo dicitur subiectum principale seu attributionis; ex. grat. in Physica, quæ agit de tam diuersis corporibus, qualia sunt cælum, elementa & mixta, non quidem sub omni ratione, sed quatenus mobilia, ipsa corpora sunt subiectum materiale, & ly mobile formale. Inquiritur ergò in præsenti capite, quodnam sit obiectum, seu subiectum materiale doctrinæ sacræ quatenus est habitus scientificus ab omnibus alijs distinctus, de formali enim acturi sumus capite sequenti.

Et quidē loquendo de obiecto materiali complexo scientiæ Theologicæ certum est apud Doctores, esse omnes conclusiones Theologicas, quas per verum assensum Theologicū exprimi supponimus. Tota igitur difficultas versatur in assignando subiecto incomplexo omnium talium conclusionum; enimverò, si in vna scientia totali omnes eius conclusiones essent de eodem subiecto, ita vt subiectum conclusionum omnium esset vnum, & idem, facile esset ascribere subiectum in tali scientia, sicuti facile assignatur in illis artibus Mechanicis, quæ semper operantur circa vnam materiam, sed quia non ita accidit in illis, & maximè in Theologià; nam aliquæ conclusiones sunt de Deo, aliquæ de Christo Domino, & beatissima Virgine Maria, aliquæ de Sacramentis, aliquæ de creaturis diuersis, hinc est vt non ita facile assignetur subiectum Theologiæ, fueritq; circa illud plures ac variæ sententiæ excogitatæ; nam Magister Sententiarū qui primus inter Latinos Scholasticam Theologiam instituit, lib. 1. dist. 1. cap. 1. proposuit, se acturum de rebus & signis; hoc pacto res, & signa id est symbola rerum diuinarum & res significatæ per illa, facient sacræ Theologiæ subiectum. Durandus verò q. 5. prologi ait opus humanum meritorium esse obiectum adæquatum Theologiæ, quia præcipue per hanc scientiam intenditur meritum vitæ æternæ; iuxta quod vult Theologiam esse simpliciter practicam. D. Bonauentura quæst. 1. prologi affirmat Christum Deum & hominem esse subiectum integrale Theologiæ, eo quod integrè contineat omnes veritates fidei, quæ spectant siue ad articulos diuinitatis, siue ad articulos humanitatis. Gregorius autem & Marsilius, quibus consentit Albertus in 2. dist. 2. docent Deum sub ratione glorificatoris esse subiectum Theologiæ. At D. Thomas quem communiter sequuntur Theologi, constituit pro subiecto adæquato attributionis sacræ Theologiæ Deum, ad quod nempe obiectum alia omnia reducantur, & in ordine ad quod cuncta in hac sciētia considerētur.


Sit ergò nostra conclusio, subiectū materiale adæquatum attributionis totius Theologiæ est Deus, vt Deus, vel sub ratione deitatis, hoc est non solum vt consideratur bonus, verbi gratia, vel sapiens, vel omnipotens, vel iustificator, vel glorificator, sed generaliter absolutè quatenus Deus. Subiectum vero materiale adæquatum communitatis, seu cōmune & vniuersale, quod alij extensiuū vocant, est omne ens reuelatum, seu reuelabile, id est omne illud ens, de quo Deus aliquid reuelauit, aut reuelare potest.

Assertio habet duas partes, & quo ad vtramque est manifestè D. Thom. pluribus in locis, 1. parte q. 1. artic. 7. vbi docet Deum esse subiectum doctrinæ sacræ, & quamuis non addat particulas illas adæquatum & attributionis, tamen ex rationibus ipsius quas statim expendemus constat ipsum loqui de tali subiecto adæquato attributionis, ad distinctionem subiecti adæquati extensiuè siuè subiecti communitatis quod art. 3. 4. & 5. dixerat esse omne ens reuelatum seu reuelabile, quamuis non ita clarè & expresſè sicut 1. quæst. prologi artic. 4. vbi sic habet, *ens diuinum cognoscibile per inspirationē est subiectum huius scientiæ*, addit autem illam particulam, *diuinum, omnia enim*, inquit, *quæ in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea quæ ex Deo, aut ad Deum sunt in quantum huiusmodi*. Vnde postea ad 5. docet

cet Deum esse subiectum principale Theologiæ, pro eodem vsurpando subiectum principale & subiectum adæquatum attributionis. In aliqua enim scientia obiectum principale potest esse duplex: primum, quod licet sit principale, comparatum, siue per ordinem ad alia obiecta, non tamen est tale, vt alia in illa scientia non attingantur & considerentur, nisi per ordinem, & attributionem ad hoc principale, sed considerentur etiam absolutè secundum se, quo pacto quamuis homo dicatur species principalis obiecti physicæ, cum sit nobilissima corporis, & substantiæ naturalis species, non tamen appellatur subiectũ adæquatum physicæ, quia reliquæ corporum naturalium species non considerantur in physica in ordine ad hominẽ, sed etiam absolutè & secundum se. Aliud obiectum principale in aliqua scientia potest esse, vt non solum sit principale, sed etiam alia omnia non considerentur in tali scientia, nisi in ordine ad illud; & tale potest esse adhuc subiectum adæquatum attributionis in illa scientia; & talem putauit esse Deum Doctor Angelicus in ordine ad Theologiam, vnde dicere quod Deus sit subiectum principale in Theologia, & quod sit subiectum simpliciter & adæquatum; nulla est in D. Th. contradictio, aut doctrinæ variatio, vt volunt aliqui.

Probatur prima pars conclusionis primo ex ipso Theologiæ nomine, quod significat sermonem de Deo, inde enim rectè infertur Deum esse subiectum non quomodocumque sed subiectum adæquatum attributionis scientiæ Theologiæ. Probatur secundo ex ipsamet definitione obiecti attributionis, quia illud est subiectum adęquatum attributionis in qualibet scientia, cuius cognitio potissimum intenditur in tali scientia, & de quo omnia ad eam spectantia prædicantur, vel in recto, vel in obliquo; atqui Deus cõparatione totius Theologiæ est huiusmodi, ergò Deus vt Deus est subiectum adæquatum attributionis ipsius. Maior est certa ex ipso nomine & definitione subiecti adæquati attributionis, & in ipsius veritate fundantur omnes Philosophi, vt alijs scientis assignent subiecta adæquata attributionis. Probatur ergò minor, & primum quod inter omnia reuelata, circa quæ versatur doctrina sacra, Dei cognitio principalius intendatur ex fine scientiæ, patet ex eo quod sit obiectum infinitè superius omnibus alijs rebus quæ non sunt Deus; quod etiam singula quæ tractantur in Theologia reducantur ad Deum, prædicenturque de ipso, vel in recto, vel in obliquo, probatur; aut enim agit Theologus de his quæ sunt formaliter in Deo, v. g. de essentia diuina, attributisque ipsius, tuncque omnia enuntiantur de Deo in recto casu, Deus est sua essentia, Deus est sua scientia, aut bonitas &c. quicquid enim in Deo est Deus est; aut non existunt in Deo formaliter sed solum virtualiter eminenter, vt omnes res creatæ ad extra, tuncque prędicantur de Deo, & illi attribuuntur in obliquo casu, nam etiam si Deus non sit arbor, aut quid simile, est tamen Creator, & prouisor arboris, quamuis non sit gratia, tamen est author gratiæ, & inuoluit contradictionem dari aliquid creatum, quod non aliquo modo consideretur in ordine ad Deum, imo peccata ipsa, licet enim non referantur ad Deum finaliter, quasi Deus sit finis peccati, nihilominus, semper habent aliquam relationem ad ipsum, saltem obiectiuè & contrarie, quatenus peccata sũt contra Deum, eique iniuriam inferunt. Vnde etiam apparet mortem & infernum, aliaque id genus habere pariter respectum ad Deum, quia sunt effectus peccati, & ex iusta Dei vltione ob peccata commissa: Igitur, Deus vt Deus, hoc est Deus secundum se, & suam diuinitatem absolutè, secundum quam est radix omnium suorum attributorum, & omnium operationum tàm ad intra, quàm ad extra (hoc enim significatur nomine deitatis) erit subiectum adæquatum attributionis Theologiæ Christianæ & Catholicæ.

Dices



Dices. Sanctus Paulus Apoſtolus qui fuit Theologus tertij Cæli 1. epiſtolâ ad Corinth. cap. 2. aſſerit ſe nihil aliud ſcire niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, ergo Chriſtus eſt ſubiectum adæquatum Theologiæ, illud enim eſt adæquatum ſubiectum alicuius ſcientiæ, in qua non ſcitur niſi illud.

Reſpondeo cum D.Th.1. ad Anibald. diſt. 1. q. 1. artic. 2. ad 4. quod Paulus non agit ibi de ſubiecto fidei, vel Theologiæ ſecundum ſe, ſed de modo quo ſe geſſit erga Corinthios in prædicando fidem, quia ſcilicet non prædicauit illis ſtatim ea quæ ad miſteria diuinitatis pertinent ſed quæ ad humanitatem & paſſionem Chriſti, vt ſic paulatim manuduceret illos ad profundiorem deitatis cognitionem. Vnde ſignanter dicit *inter vos*, vt explicaret ſe loqui in caſu particulari ſuæ prædicationis. Ceterũ idem Apoſtolus eadem epiſtola cap. 3. conſiderauit Chriſtum in ordine ad Deum, dum dixit, *Omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Ipſe enim homo Chriſtus conſidetatur in Theologia vt præcipuum opus diuinæ omnipotentiæ, liberalitatis, miſericordiæ & iuſtitiæ, atq; adeo in ordine ad Deum vt optimè concludit D. Th. 1. par. q. 1. artic. 9. in corpore.

Probatur tertio aſſertio quia cum habitus primorum principiorum Theologiæ ſit fides, vt dicetur infra, non poteſt eſſe aliud ſubiectum in Theologia loquendo de ſubiecto incomplexo, niſi illud ipſum quod eſt ſubiectum incomplexum fidei Diuinæ; ſed fides diuina habet pro ſubiecto non ſolum primario, ſed etiam adæquato attributionis de quo credit, Deum Optimum Maximũ; ergò etiam Deus ſecundum ipſam rationem deitatis eſt ſubiectum Theologiæ. Maior eſt certa nam vt dicit S. Thomas, idem eſt ſubiectum principiorũ & totius ſcientiæ, vniuerſaliter loquendo, de eodem enim ſubiecto de quo aliquid cognoſcimus immediatè per lumen naturæ, & per habitum intellectus, de eodem inquam ex principijs cognitis inferimus aliquid per actum ſcientificum; ex ſuppoſitione igitur quod habitus principiorum Theologiæ ſit fides; illud ipſum erit ſubiectum adæquatum attributionis Theologiæ quod erit ſubiectum adæquatum attributionis fidei diuinæ, quod autem Deus vt Deus tale ſit ſubiectum fidei diuinæ; quæ erat minor primi argumenti, probatur, nam illud eſt ſubiectum fidei primarium & adæquatum attributionis, quod eſt ſubiectum viſionis in patria, id enim creditur per fidem, quod in illa viſione manifeſtatur, ſubiectum autem primarium & adæquatum veluti attributionis circa quod eſt viſio beatificans, eſt Deus in ratione deitatis, vt 1. parte q. 12. dicitur ergo. Vide D. Th. 1. 2. q. 1. artic. 5. & 3. p. q. 7. artic. 4. in corp.

Dices 1. Non ſolum Deus vt ſic, ſed multa alia ſunt obiecta principalia, ſeu principaliter credenda in fide, vt maxime eſt incarnatio Chriſti Domini, redemptio, iuſtificatio, ſecundum illud D. Aug. *In cauſa duorum hominum quorum per vnum ſub peccato venundati ſumus, per alterum à peccatis redimimur tota fides Chriſtiana conſiſtit*; ergo non eſt ſolus Deus ſubiectum principale in fide, & conſequenter neque in Theologiâ ex doctrina tradita.

Reſpondeo ad hoc argumentum, quod conſideratis omnibus fidei veritatibus, & ſubiectis, aliquid eſt principale abſolutè, & ſimpliciter in ordine ad omnia prorſus fidei articulorumque ipſius obiecta, & talis eſt Deus ſecundum ſe; omnes enim articuli fidei vel ſunt de Deo, vel de aliquo in ordine ad Deum; Alia verò dici poſſunt principalia & primaria comparatiuè ad quædam alia, & ad quoſdam determinatos fines; & hoc pacto omnia obiecta ſupernaturalia comparata & relata ad obiecta naturalia reuelata, dicuntur per ſe, & primaria obiecta fidei, & de quibus per ſe eſt fides, ad diſtinctionem aliorum quæ ſolum ſunt ſecundaria, & veluti per accidens. Item in ordine ad finem conſequendæ ſalutis; qui eſt finis ſcientis, illa

la obiecta, quorum notitia expressè & necessario exigitur, dicuntur obiecta primaria vt sunt illa de quibus Augustinus loco citato, & Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. dum ait impios ita disponi ad gratiam, *Dum liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*, & sic de alijs: nos ergo hic loquimur de subiecto absolutè, & simplicitèr principaliori ex ipso fine scientiæ, & ex ordine rerum scitarum inter se quod non potest esse, nisi Deus secundum se, vt dictum fuit.

Dices secundo. Quod obiectum fidei non est Deus sub ratione deitatis, sed sub ratione veritatis primæ vt testificantis; ergo similiter obiectū Theologiæ nō potest esse Deus sub ratione deitatis vt diximus, sed solum sub ratione limitata, primæ veritatis reuelantis.

Respondeo nos in præsenti conclusione non agere de obiecto formali *quo*, siue de ratione sub qua fidei & Theologiæ, sed solum de obiecto incomplexo materiali, siue vt alij dicunt, formali *quod* vtriusque habitus. Quamuis igitur veritas prima reuelans dicatur esse obiectum formale *quo* siue ratio sub qua fidei, cum sit ratio formalis testificandi, sub qua veritas fidei attingitur, Deus tamen sub ratione deitatis, seu secundum se est subiectum quod primarium de quo fides veritates istas credit, vel in ordine ad quem cognoscit illas: Similiter in Theologia, subiectum de quo demonstrat veritates, est Deus, & non solum attributum veritatis primæ, si quidem de omnibus perfectionibus diuinis accuratè pertractat, vt tamen per reuelationem veritatis primæ testificantis virtualiter & mediatè cognoscuntur, modo statim in sequenti capite explicando.

Ex dictis facile deducitur probatio secundæ partis conclusionis, videlicet quod obiectum adęquatum extensiuum siue communitatis doctrinæ sacræ sit omne ens reuelatum seu reuelabile; cum enim ex vna parte multa alia præter Deum in Theologia tractentur, debent de necessitate aliquo modo ad obiectum ipsius pertinere; cumque ex alia parte non agatur de illis nisi secundario, & vt sunt aliquid Dei, vel vt pertinent ad eius mysteria, rectè contineri dicuntur sub obiecto Theologiæ extensiuo seu, communitatis, quod D.Th. artic. 3. vocauit ens diuinum reuelabile, necesse enim erat, in assignatione formalis obiecti, de quo illo articulo agebat vt explicaret vnitatem scientiæ Theologicæ, fieret mentio non solum ipsius Dei sed etiam aliarum rerum quæ in ordine ad Deum cadunt sub ratione formali, non enim sufficienter diceretur quod diuina reuelatio mediata, est ratio formalis Theologiæ, quatenus ex illa vt sic possumus probatiuè multa inuestigare de Deo, sed omninò addi debet, & de alijs etiam rebus reuelatis, in ordine tamen ad Deum, quod aggregatum ex Deo & alijs vocatur à Diuo Thoma ens diuinum reuelatum, estque obiectum adæquatum extensiuum seu communitatis Sacræ Theologiæ, ad differentiam subiecti adæquati attributionis, quod est Deus.

Dices tertio Deus non est subiectum adæquatum attributionis Theologiæ naturalis seu Metaphysicæ, licet sit principale & primarium, sed ens in vniuersum, ex eo quod principia Metaphysicę, non solum Deo sed etiam alijs rebus applicari possunt: ergo ob eamdem rationem Theologia Sacra non habebit pro obiecto adæquato attributionis Deum, sed omne ens reuelabile.

Confirmatur nam illud est subiectum adæquatum attributionis alicuius scientiæ cui adæquatur formalis ratio sciendi, sed ratio formalis sciendi Theologię quæ est reuelatio virtualis, vt statim dicetur, non conuenit Deo tantum sed enti reuelabili, ergo ens reuelabile, erit proprium & adæquatum subiectum Theologiæ.

Resp. ad argumentum primo, concesso antecedenti negando consequentiam ideo

ideo enim Metaphysica non tractat de Deo tanquam de subiecto adæquato attributionis, licet agat de illo tanquam de subiecto principali dignitatis, sed subiectum eius est ens in communi, quia ad Deum non ascendit nisi per effectus, nec descendit ab ipso vt à cognito primario ad alia obiecta, vt ad secundaria. At Theologia non incipit ab effectibus creatis, vt tendat in Deum, sed incipit à Deo immediatè prout reuelatur per fidem, omnia alia per attributionem ad ipsum considerando. Secundo potest negari antecedens & dici, quod etiam Deus respectu Metaphysicæ quæ est Theologia naturalis, sit obiectum adæquatum attributionis illius: & quod obiectum adæquatum attributionis coincidat cum primario, aut magis principali.

Ad confirmationem Respondeo illud esse subiectum attributionis in aliqua scientia, cui adæquatur ratio formalis primario, & per attributionem, non verò cui adæquatur extensiuè solum & veluti materialiter. Cæterum reuelabilitas virtualis, seu ratio virtualis reuelationis, quam sequenti capite pro obiecto quo siue formali Theologiæ assignabimus, adæquatur Deo, vt subiecto attributionis, & primario; reuelatur enim Deus vt principale & primarium subiectum; reliqua autem vt ordinata, seu subordinata illi. Et ita tota ratio formalis doctrinæ sacræ desumitur à Deo tanquam ab obiecto primario, in alijs verò rebus, secundario solum inuenitur, vel participatiuè, & extensiuè; quatenus omnes veritates Theologicæ scibiles sunt mediatè, vel immediatè ex subordinatione ad Deum, vt ad obiectum primarium reuelatum, saltem si considerentur in ratione entis.

Possent aliæ plures obiectiones fieri, sed cum nullam habeant specialem difficultatem, resque de qua agimus non sit tam magni momenti, non est, quod in illis diutius immoremur; solum circa finem huius capitis obseruandum est; ita subiectum attributionis Theologiæ conuenire cum alijs in hoc; quod omnia in hac scientia considerentur in ordine ad ipsum; vt tamen in alijs multis diuerso modo se habeat; nam primò, cũ ipsum sit vnum numero indiuisibile increatum &c. non est necesse vt habeat partes, seu species, seu passiones aut principia & causas propriè dictas in ordine ad suas perfectiones; & sic de alijs, quæ ad præsens institutum parum referunt. Vbi solùm comparamus hoc subiectum ad alia subiecta, quo ad hoc præcisè quod omnia attingantur, & considerentur in hac scientia in ordine ad ipsum, & consequenter habeat conditionem subiecti principalis, & attributionis adæquati; licet in alijs, ex talis obiecti perfectione, & modo quo attingitur, sint aliqua discrimina.

CAPVT IV.

Quodnam sit obiectum Quo *siue formale Doctrinæ Sacræ.*

POstquam superiori capite stabiliuimus obiectum quod siue materiale tam attributionis, quàm communitatis doctrinæ sacræ, superest modo agere in præsenti de obiecto *quo* siue formali, ex illo enim maximè pendet vnitas doctrinæ sacræ, quàm sequenti capite explicaturi sumus. Igitur pro intelligentia difficultatis obseruandum est primò contra aliquos Theologos, necessariò admittendam esse distinctionem illam obiecti *quod* & *quo*, siue rationis *quæ* & *sub qua* in eodem obiecto. Constat enim ex vna parte varias, & diuersas res posse ab vna & eadem potentia, vel habitu attingi; vt de Musica, respectu vocis humanę, & soni corporum inanimatorum testatur D. Thom. lect. 41. lib. Posterior. & sic de alijs; ergo; è contra verò, de eodem obiecto *quod*, siue de eadem ratione formali *quæ* dantur plures habitus, vt de eadem natura Dei tractant Fides, & Theologia, Theologia, & Metaphysica; ergo necessarium est, quod respectu vnius & eiusdem potentiæ,

tiæ, vel habitus considerantis multas res valde diuersas, concurrat, & assignetur aliqua ratio, quæ diuersitatem illam ad vnitatem reducat, secundum quam determinato modo attingantur; & è contrà vbi plures habitus specie distincti versantur circa vnum, & idem obiectum quod incomplexum, siue circa vnam & eamdem rationem *quæ*, debent assignari aliquæ rationes per quas distinguantur eiusmodi habitus, diuersisque modis tendant in vnum, & idem obiectum; & hasce rationes vocamus obiectum formale *quo*, seu rationem formalem *sub qua* potentiæ, vel habitus.

Obseruandum est secundo distingui rationem formalem sciendi, à formali ratione repræsentandi, siue in ipsis conceptibus, siue in speciebus quibus vtitur scientia, repræsentatio enim hæc potest esse diuersa & multiplex, secundum diuersitatem rei repræsentatæ, ratio autem assentiendi potest esse vna circa plures res repræsentatas, quia spectat ad iudicium de illis efformatum, quod potest procedere sub eodem lumine, & principiis circa res entitatiuè diuersas, & diuersimodè repræsentatas.

Tertio notandum est, quod cum Deus voluerit, vt homines multas veritates cognoscerent, illisque certissimam fidem adhiberent, propter diuinum suum testimonium, necesse fuit vt tales veritates hominibus reuelaret & interponeret suam authoritatem propter quam illis assentirentur; Hæc autem reuelatio, quæ est veluti diuina locutio, non fuit facta omnibus hominibus immediatè, sed tantum aliquibus, veluti capitibus, quales præsertim fuerunt Apostoli, & prophetæ qui canonicos libros scripserunt, vt habet D. Th. 1. par. q. 1. art. 8. Hæc ergo reuelatio, quæ vt docet Theologi 2. 2. quæst. 171. & sequentibus, communiter fiebat à Deo, per infusionem cuiusdã luminis in intellectu prophetæ; siuè infusis etiàm nouis speciebus intelligibilibus, siue antiquis dispositis & ordinatis iuxta exigentiam rei reuelandæ aut modum diuinæ reuelationis, hæc inquam reuelatio sic passiuè sumpta pro vt scilicet importat aliquid ad extra & creatũ in intellectũ prophetæ, potest considerari dupliciter, primò per se solitariè, vt est tale lumen creatum huius vel illius essentiæ & modi; secundo vt habet adnexam diuinam authoritatem, nempè infinitam scientiam, & veracitatem Dei, ita enim Deus tale lumen infundebat, vt significaret se per talem reuelationem testificari veritatem illam, tanquam Deum infinitæ scientiæ, & veracitatis, atque adeo infinitæ authoritatis. Quando igitur in tota hàc materia fidei & sacræ doctrinæ fit mentio diuinæ reuelationis semper accipitur hoc secundo modo, vt idem sit ac diuinum testimonium, atque adeo vt includit Deum testem illius veritatis.

His prænotatis, dico quod obiectum *quo* siue formale huius scientiæ quæ dicitur doctrina sacra, pro vt ab habitu fidei distinguitur, sit diuina reuelatio virtualis & mediata, seu authoritas diuina reuelans virtualiter & mediatè, siue remotè; Dixi pro vt ab habitu fidei distinguitur; quia si consideretur doctrina sacra quo ad vtrumque suum assensum, id est pro vt comprehendit, tam habitum principiorum, quam conclusionum, & ita constituit vnam scientiã modo sect. 1. cap. 1. explicatò, sic obiectum *quo* siue formale ipsius est diuina reuelatio, seu authoritas diuina reuelans tàm immediatè, quàm mediatè, tàm proximè quàm remotè, immediatè quidem & proximè respectu principiorum quæ sunt propositiones fidei, mediatè verò & remotè respectu conclusionum. Sed loquimur modo de doctrina sacra, pro vt est habitus scientificus formaliter ab habitu fidei distinctus; & in illo sensu asserimus obiectum *quo* siue formale ipsius, esse solam reuelationem virtualem.

Conclusio igitur sic explicata Probatur primò authoritate D. Th. 1. parte q. 1. artic. 3. in corpore & ad secundum vbi appellat diuinam reuelationem obiectum formale, seu rationem formalem

obiecti doctrinæ sacræ, & artic.1. docet hanc doctrinam esse per reuelationem, seu secundum reuelationem, formaliter quidem & immediatè si consideretur secundum sua principia, quæ sunt articuli fidei, virtualiter verò & mediatè si consideretur secundum conclusiones ex illis deductas, siue secundum suum assensum scientificum. Idem habet Sanctus Doctor 1. ad Annibald. dist.1.q.1. art.2. & super Boethium de Trinit. artic.6. seu quæst.2. artic.2.

Secundò probatur ratione, nam hæc scientia vt est in nobis viatoribus per se habet pro principijs assensus fidei, siue ea quæ sunt formaliter reuelata per fidem, ita quod reuelatio ipsa, seu authoritas diuina reuelans, seu diuinum testimonium, seu veritas prima reuelans (nam hæc omnia intelligi possunt nomine diuinæ reuelationis) sit ratio formaliter assentiẽdi principijs huius sciẽtiæ; sed conclusiones illatæ, & deductæ ex aliquibus principijs, virtualiter præhabentur & continentur in illis, ergo reuelatio virtualis, id est continentia virtualis conclusionum Theologicarum in principijs fidei, quæ sunt formaliter reuelata, debet esse ratio assentiendi eiusmodi conclusionibus, vt ex talibus principijs inferuntur; ita vt obiectum formale *quo* fidei sit reuelatio formalis, & immediata, atque adeo reuelatio sine vllo addito: at vero obiectum formale immediatum Theologiæ sit veritas cõplexa propositionum fidei, seu veritas illa complexa, cui assentimur per assensum, & actum fidei diuinæ, quæ veritas complexa vt est per artem syllogisticam conclusionum Theologicarum illatiua, non potest commodiori nomine significari quam reuelationis virtualis, siue reuelationis mediatæ, & remotæ.

Confirmatur hoc argumentum, nam habitus principiorum, & habitus scientiæ distinguuntur essentialiter, ergo debẽt habere saltem diuersas rationes formales obiecti immediatas, sed authoritas diuina formaliter & immediatè reuelans est formalis ratio immediata respectu fidei, quæ se habet vt habitus principiorum respectu habitus Theologici, ergo non potest esse ratio formalis immediata respectu habitus Theologici, assensusque ipsius; sed sola reuelatio virtualis, siuè quod idem est, diuina reuelatio vt applicata per assensus fidei, tanquã per prima principia huius scientiæ; vnde etiam est cur assensus conclusionis Theologicę ortę ex nostro discursu mediantibus illis principijs, vt assensus conclusionis formaliter, nõ sit actus fidei, neque virtutis Theologicæ, quia non habet pro obiecto immediato diuinam authoritatem formaliter reuelantem, sicuti habet fides diuina, sed solum ipsam veritatem complexam assensuum fidei in quantum resoluuntur & innituntur diuinæ reuelationi & authoritati. Nam vt ex ipsa patet experientia, non assentimur in discursibus Theologicis conclusioni alicui immediatè propter ipsam reuelationem formalem; sed propter assensus fidei positos in præmissis, vt contingit in alijs scientijs: & ratio vniuersalis est, quia intellectus per habitum scientificum, non assentitur vt sic immediatè conclusioni propter immediatam connexionem prædicati cum subiecto, aut vt alij dicũt propter veritatem incomplexam primi medij termini, sic enim non indigeret discursu aut formali, aut obiectiuo, sed propter connexionem medij termini cũ extremis, in qua consistit veritas complexa præmissarum; nam præcisè & formaliter, ex vi talis connexionis infert suas conclusiones: at verò habitus principiorum assentitur suis propositionibus, ex ipsa veritate incomplexa & absoluta extremorum, siue ob immediatam quam inter se habent cõnexionem, & sic non est idem obiectum formale, eademque ratio sub quà, habitus scientifici, & habitus principiorum, siue talis habitus sit vnus in specie infima pro omnibus principijs, vt communius docent Philosophi, siue multiplicẽtur iux-

ta numerum scientiarum non subalternatarum vt volunt aliqui; & consequẽter in casu nostro, diuina reuelatio formalis, quæ est obiectum formale immediatum, siue ratio sub qua fidei gerentis vicem habitus primorum principiorum in Theologia, non erit obiectum immediatum & proximum respectu cõclusionis Theologicæ, dixi obiectum immediatum & proximum, nam si loquamur de obiecto mediato & remoto, certum est explicari posse per ipsammet reuelationem formalem; omnis enim conclusio reducitur ad sua principia, vndè si alicui conclusioni assentimur propter tale principium, & tali principio assentimur propter talem assentiendi rationem; sic à primò ad vltimum assentimur vltimatè, & mediatè tali conclusioni propter illam primam assentiendi rationem: v. g. in discursu Theologico in quo iudicamus Christũ Dominum habere duas voluntates, quia habet duas naturas, & iudicamus habere duas naturas propter diuinam reuelationem, manifestè constat nos mediatè iudicare Christum duas habere voluntates propter eamdem diuinam reuelationem formaliter; & similiter in naturalibus, dijudicamus hominem esse risibilem, propter esse admiratiuum; & iudicamus esse admiratiuum, propter esse rationalem; & iudicamus esse rationalem, propter seipsum; de primo ad vltimum iudicamus hominem esse risibilem, propter rationalitatem per se cognitam: sic igitur in Theologia vltimatè iudicantur omnia esse vera propter diuinam reuelationem, non quidem per se scitam, sed per se creditam, ne detur processus in infinitum, qui ex Arist. 1. Poster. est impossibilis in scientijs.

Tertio probatur conclusio applicando reuelationi virtuali omnes conditiones requisitas ad rationem formalem *sub qua* alicuius scientiæ; communiter autem duplex conditio solet assignari. Prima, in qua conuenit generaliter cum omni lumine intellectuali, est immaterialitas, seu abstractio radicaliter, & passiuè sumpta, ratione cuius obiectum quasi illuminatur, & est actu intelligibile; secunda verò est, quod talis ratio sit medium, seu principium demonstrationis, per quod cognoscitur conclusio; lumen enim scibile, secundum quod scibilitas addit supra simplicem cognitionem, debet esse lumen illatiuum & manifestatiuum veritatum mediante illatione & consequentia, & ita necesse est quod abstractio, seu immaterialitas iam dicta prius reluceat in medijs seu principijs, vnde ex diuersitate mediorum pro vt diuersimode illuminantur sumit D. Th. 2. 2. q. 1. artic. 1. & q. 9. artic. 2. ad 3. diuersam rationem formalem scientiæ. Et quia definitio subiecti alicuius scientiæ solet assumi vt principium ad demonstrandum proprietates; ideo etiã idem S. Doctor in 6. Metaph. lect. vltima ex diuersa definitione, seu diuerso modo definiendi colligit diuersitatem scientiarum. At virtuali reuelationi cõuenit vtraque conditio iam assignata in constituenda ratione formali alicuius scientiæ: sumitur enim virtualis reuelatio ex principijs fidei, quæ sunt luminis supernaturalis, & consequenter maximè spiritualia & immaterialia, non quidem per abstractionem à sensibilibus, sed ex diuersa participatione luminis diuini secundum quam fiunt diuersæ reuelationes. Et per hanc spiritualitatem seu immaterialitatem sic eleuatam discernitur Theologia à lumine & intelligibilitate naturali cuiuscumque obiecti aut scientiæ naturalis, vt optime explicat nostrũ Colleg. Complut. in logica disp. 19. de scientia q. 4. Per hoc autem quod eadem principia fidei sumuntur, vt illatiua conclusionum, constituunt rationem formalem Theologiæ, in ratione luminis scibilis, & virtualis reuelationis quatenus illatiuo modo, deducendo scilicet vnum ex alio, & non simplici manifestant ea quæ continentur virtualiter, & deduci possunt ex reuelatis per fidem formaliter; omnes enim conclusiones Theologicæ, vel immediatè procedunt ex principijs fidei, vel ex aliqua tandem

conclusione, quæ immediatè procedat ex principijs fidei; nam sicut in alijs scientijs sæpè contingit, vt aliqua conclusio distet à primis principijs illius scientiæ per aliquas demõstrationes intermedias, ita vt vltima conclusio non procedat immediatè ex primis principijs per se notis, sed ex conclusionibus demonstrationum intermediarum, ita in Theologia potest accidere, vt aliqua conclusio non deducatur immediatè ex articulis fidei, vel ex propositionibus de fide, sed ex alijs conclusionibus Theologicis, vsque ad primas conclusiones immediatè illatas ex principijs fidei; cæterum sicut in alijs scientijs vltimæ illæ conclusiones non habent rationẽ scientiæ, nisi in quantum reduci possunt, & resolui in prima principia, ita proportionaliter in Theologia discurrendum est.

Obijcitur primò, quia S. Thom. 1. parte q. 1. art. 7. dicit omnia pertractari in doctrina sacra sub ratione Dei, quæ verba insinuare videntur deitatem esse rationem formalem sub qua Theologiæ.

Resp. Sanctum doctorem ibi loqui de subiecto materiali Theologiæ, siue vt alij dicunt, de ratione formali *quæ*; illeque particulæ sub ratione Dei significant solùm Deum non sub vna ratione, quatenus scilicet est vnus, aut quatenus est Trinus, aut quatenus est creator aut glorificator; sed sub ratione deitatis in vniuersum esse subiectum Theologię, vt explicatum fuit superiori capite.

Obijcitur secundò, Theologus in suis discursibus sæpè procedit ex vna præmissa de fide & alia cognita lumine naturali; ergò si veritas complexa præmissarum est ratio formalis obiecti proxima, & immediata respectu conclusionis, aliqua veritas naturalis, saltem ex parte, erit ratio formalis obiecti Theologici assensus, non verò sola reuelatio diuina virtualis, aut mediata.

Resp. ad hoc argumentum concesso antecedenti negando consequentiã, quia vt dicemus capite sequenti agendo de vnitate doctrinæ sacræ, contra quam directè pugnat propositum argumentum, licet præmissa naturalis luminis sit minus certa, quàm præmissa de fide, in ratione tamen virtualis reuelatæ eodem modo adunatur duplex præmissa de fide, vel altera naturaliter euidens.

Possent aliqua alia obijci contra superius dicta, sed quia specialem aliquam difficultatem non continent, libenter ab illis abstinemus. Solum aduertendum est, hoc esse discrimen inter Theologiã, & alias scientias purè naturales, quod cum hæ procedant vt plurimum ex principijs intrinsecis suorum obiectorum, ratio formalis sub *qua* debet esse aliquid intrinsecum ipsis subiectis, & principiũ siue reale, siue virtuale passionum illius, at verò in doctrina sacra, cum totaliter procedat ex diuina authoritate & reuelatione, non est necesse vt talis ratio formalis sit aliquid intrinsecum ipsius subiecto, sed sufficit illud extrinsecum, nempe reuelatio diuina: Sicuti si Deus vellet, vt assentiretur huic veritati, quod omnis homo est discursiuus, propter solam sui restificationem, & reuelationem, tunc homo posset dici subiectum respectu talis assensus, ratio verò formalis, non esset aliquid intrinsecum ipsi homini, v.g. rationalitas, cum nihil tale assumatur ad terminandum eiusmodi assensum, sed talis ratio, seu loco talis rationis, esset diuina reuelatio; vnde colligitur contra aliquos Theologos, non requiri, vt ratio formalis in aliqua scientia, semper sit principiũ essendi, ex quo fluat proprietas illa, quæ dicitur demõstrari, nisi quando cognitio procedit ex intrinsecis principijs subiecti; sed sufficit, si sit ratio cognoscendi, vt contingit in doctrina sacra: Quamuis enim Theologus interdum probet aliquid de Deo immediatè per aliquid intrinsecum ipsi Deo, & similiter de creaturis, tamen vltimatè hoc intrinsecum ad illud extrinsecum commune principium reuocatur, nempe in diuinam reuelationem, sine ordine ad quam nihil penitus spectat ad Theologum, tanquam ipsius proprium.

Quod

Quod si inquirat aliquis, quomodo reuelatio ista specificet realem scientiam qualis est Doctrina Sacra, cum tamen nihil reale ponat in obiecto reuelato, nisi tantum denominationem extrinsecam reuelati.

Resp. ex dictis supra hoc eodem capite, fidem, & Theologiam non respicere quomodocumque pro ratione formali reuelationem diuinam, sed vt se tenet ex parte Dei qui actiue reuelat; sic enim est aliquid infallibile; vt constat etiam in testimonio humano, locutio enim hominis non est sufficiens ad fidem humanam, nisi vt connotat personam loquentis, & eius qualitates, vnde si per impossibile tale lumen, & reuelatio non esset à Deo, sed ab aliqua creatura, ita vt per illam Deus neque mediatè, neque immediatè loqueretur, talis reuelatio non esset sufficiens ad diuinam fidem & ad Theologiam in ipsâ fundatam, sed ad aliam iuxta conditionem, & authoritatem loquentis. Ex ista autem reuelatione duo extra Deum resultant. Vnum in obiecto scilicet esse dictum, seu reuelatum à Deo, & hoc est extrinseca denominatio. Alterum est ipsa reuelatio passiua ex parte nostri, id est illuminatio aliqua actualis, qua nobis innotescunt talia obiecta; quæ illuminatio fit in nobis per aliquem actum, quo vel ex speciali Dei auxilio, vel etiam per infusionem luminis habitualis, attingimus aliquam veritatem. Ratio igitur formalis siue in fide, siue in Theologia quæ respicit fidem tanquam suum habitum principiorum, non sumitur ex illuminatione passiua in nobis, quia hæc est effectus Dei ad extra, & non tam est reuelatio, seu locutio ipsius, quam auditio nostra iuxta illud Regij prophetæ psal. 84. *Audiam quid loquatur dominus Deus*. neque sumitur ex denominatione illa extrinseca in obiecto, quod dicitur reuelatum, sed ex ipsa reuelatione, seu locutione Dei à qua talē suscipit denominationem; ita quod reuelatio, vt se tenēs ex parte Dei, siue vt includit Deū testem alicuius veritatis, præbeat rationem formalem; vt autem denominatiuè in obiecto, vel illuminatiuè in intellectu nostro, non dicat rationem formalem, sed solum ipsius connotationē. Atque ita ratio formalis doctrinæ sacræ vt est habitus scientificus non desumitur ab aliquo intrinseco sui obiecti, vt iam diximus, sed aliquo extrinseco, reali tamen, & tenente se ex parte Dei, per quod patet ad quæsitum.

CAPVT V.

Quod doctrina Sacra sit vna scientia in specie infima.

PRo intelligentia difficultatis obseruandum est primo ex communi doctrina Thomistarum, quam explicat nostrum Collegium Complutense in logica disp. 19. quod vnitas scientiæ & habitus pendet, & desumitur ab vnitate sui obiecti formalis, siue quod idem est ab vnitate rationis formalis sub *qua*. Ita vt si talis ratio sit vna solum vnitate generica, scientia etiam, vel habitus, sit solum vna tali vnitate, si verò sit vna in specie infima, scientia etiam talem habeat vnitatem.

Secundò notandum est nos in præsenti solum loqui de Theologia proprio vniuscuiusque labore & studio comparata; nùm scilicet habeat rationem formalem sub *qua* specificam ita vnam, vt omnes eius assensus sint eiusdem speciei formaliter, an verò sint diuersæ speciei, ita quod non ordinentur sub vno lumine, sed potius diuersa lumina simul aggregentur.

Tertiò notandum est, quod eo proportionali modo se habet in doctrina sacra sicut in alijs scientijs; quemadmodum igitur in alijs scientijs, reperiuntur discursus aliqui probabiles, qui nunquā constituunt vnam rationem formalem cum talibus scientijs, sed aggregantur illi solum materialiter & veluti reductiuè; similiter syllogismi, si qui fiunt in progressu doctrinæ sacræ, ex solis & meris principijs probabilibus, & opinatiuis,

tiuis, vt contingit maximè in materijs moralibus, vndè tanta oritur opinionum varietas, tales inquam syllogismi vel discursus non pertinent formaliter loquẽdo ad scientiam Theologicam, sed habitum ab ipsa distinctum generant, quia nec euidentes sunt, nec certi. Quamuis multo magis distinguatur Theologia ab alijs habitibus opinatiuis circa alias materias, quia & incerti sunt, & doctrinam Theologicam non attingunt. Idem dico, si Theologus ita ex humana, seu naturali ratione argumentetur, vt assumat vtrasque præmissas naturales ex Philosophia, vel alijs disciplinis, in hoc enim casu, certum est tales discursus & conclusiones non elici ab habitu Theologiæ, neque ad illum pertinere, nisi imperatiue, assistente solum Theologo per suum lumen & habitum Theologicum, & imperante cæteris scientijs, tanquam famulis & obsequentibus, tum ad ostendendum veritates Theologicas non repugnare veritatibus naturalibus, tum etiam quia sæpe possunt iuuare ad easdem Theologicas veritates explicandas vt fusius explicabitur sequenti libro. Quare dum inquirimus, nùm doctrina sacra sit vna scientia in specie infima, solum loquimur de illa, pro vt comprehendit veritates scientificè & certò deductas ex principiis reuelatis, vel per subordinationẽ ad illa, vt quando Theologus argumentatur ex altera præmissa de fide, & altera euidenter nota lumine naturæ. Et in hoc sensu est prima opinio aliquorum Theologorum asserentium, quod in Theologia sunt assensus specie distincti, quando conclusio procedit ex vna præmissa naturali, & altera de fide, & quando procedit ex duplici de fide. Ex alia parte Vasques 1. parte dis. 7. cap. 4. licet existimet conclusiones Theologicas esse eiusdem speciei, siue deducantur ex fide infusa, siue acquisita, quod à fortiori dicendum est si altera præmissa sit naturaliter euidenter cognita; asserit tamen Theologiam non esse vnam scientiam, si complectatur partem moralem.

Nihilominus dicendum est habitum scientificum Theologiæ in homine fideli esse vnam specie, & quidem vnitate infimæ speciei, siue procedat ex vtraque præmissa de fide; siue ex altera de fide, & altera ex ratione naturali; siue versetur circa speculatiua, siue circa moralia. Sumitur ex scriptura quæ perpetuo loquitur de doctrina sacra tanquam vnica scientia. Sap. 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum* Lucæ. 1. *Ad dandam scientiam salutis*. Sancti etiam Patres scientiam in numero singulari appellant; & D. Thom. 2. parte q. 1. art. 3. in corp. comparat Theologiam potentiæ visiuæ, & in sol. ad 2. Sensui communi, qui propter vniuersalem rationem sui obiecti formalis, cum sit vnus, se extendit tamen ad omnia obiecta sensuum particularium; vnde habet doctrinam illam vniuersalem, nempe *quod nihil prohibet inferiores potentias, vel habitus diuersificari circa illas materias, quæ communiter cadunt sub vna potentia vel habitu superiori quia superior potentia, vel habitus respicit obiectum sub vniuersaliori ratione formali*: certum est autem tàm potentiam visiuam, quàm etiam sensum communem esse vnam simplicem qualitatem, & potentiam, ergo idem afferendum est de doctrina sacra iuxta mentem D. Thom. qui vt omnem dubitandi rationem auferret circa hoc, subiunxit statim *vt sic sacra doctrina sit velut quadam impressio diuinæ scientiæ, quæ est vna & simplex omnium, id est omnium obiectorum*. Vbi tamen aduertendum est S. Doctorem non comparare Theologiam, vel doctrinam sacram cum scientia diuina & diuino lumine in ordine ad simplicitatem quantum ad actuales cognitiones; nam sine dubio plures sunt actuales cognitiones, & conclusiones in hac scientia, cùm tamen scientia diuina sit vna numero cognitio infinita: sed quantum ad habitum, & scientiam habitualem, ita vt sicut diuina scientia vna simplicissima manens extendit se ad infinita & diuersa obiecta, ita doctrina sacra cum sit scientia altissima, & per ipsum

ſum lumen inſpirationis efficaciam habeat, ipſa vnica manens non multiplicata diuerſarum rerum conſiderationem habet. Vide D.Th.in 1. diſt. 1. q. 1. prol. artic. 2.

Specialiter quod doctrina Sacra ſit vna, & eadem etiam quando tractat de moralibus, conſtabit magis ex dicendis cap. ſequenti, vbi oſtendemus eſſe habitum, ſimul formaliter eminenter ſpeculatiuum, & practicum.

Fundamentum concluſionis eſt quia vnitas ſpeciei infimæ ea eſt, quę vlterius in alias ſpecies ſubdiuidi nequit, ſed ſolum in plura numero ſingularia, at qui eiuſmodi eſt vnitas totius Theologiæ viatorum, ſiue verſetur circa Angelos, ſiue circa creaturas corporales, ſiue circa mores hominum, aut alia huiuſmodi, ergo Theologia eſt vna ſcientia in ſpecie infima; Maior eſt certa, nec ab vllo negari poteſt; probatur ergo minor, quia Theologia conſiderat omnia ſupradicta, non ſolum ſub eadem ratione formali virtualis reuelationis, ſed etiam per ordinem ad vnicum, & ſimpliciſſimum obiectum adæquatum videlicet Deum, vt diximus ſupra. Confirmatur hoc argumentum; Si non ſolum ratio formalis ſub *qua*, ſed etiam ratio formalis *quæ* in aliqua ſcientia eſſet prorſus vna, & eadem in ſpecie infima, tunc habitus illius ſcientiæ eſſet proculdubio vna ſimplex qualitas in ſpecie infima, ſi quidem nihil aliud præter dicta requiri poſſe videtur ad hoc, vt aliquis habitus acquiſitus ſit vnus in ſpecie infima, & de facto ſi datur aliquis habitus partialis in aliqua ſcientia, qui ſit ſimplex qualitas in ſpecie infima, talis erit qualem diximus: Sed ita ſe habet in ſcientia Theologica, ergo eſt vnus habitus in ſpecie infima ſimpliciter, vnaque ſimplex qualitas. Atque hinc etiam eſt cur multò facilius aſſignari poſſit in Theologia vnitas, quã in omnibus alijs ſcientijs; nam in alijs ſcientijs non ita facile deuenitur ad aliquas primas rationes incomplexas, circa quas immediatè verſentur prima principia complexa talium ſcientiarum & quę aſſumantur tanquam media in primis demonſtrationibus illarum ſcientiarum; Sicut in Theologia, quæ conſiderat Deũ non ſub quauis conſideratione, ſed ſub ratione adæquata deitatis, in quantum per principia fidei poſſumus multa de ipſo, aut de alijs conſideratis in ordine ad ipſum inueſtigari; Vnde ſicut omnes aſſenſus fidei ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, ita vt habitus fidei infuſæ ſit etiam vna ſimplex qualitas; ita etiam omnes aſſenſus Theologici, vt potè concluſiones deductæ ex vnico principio reuelationis diuinæ, applicato medijs aſſenſibus fidei, erunt eiuſdem ſpeciei infimę, & conſequenter Theologia erit vnus habitus ſcientificus in ſpecie infima.

Probatur 2. Concluſio reijciendo fundamenta aliarum ſententiarum, quia ſi eſſet aliqua ratio, quare ſcientia Theologica non eſt vnus habitus in ſpecie infima, maximè quia Theologus ſæpè procedit in demonſtrandis ſuis concluſionibus ex vna præmiſſa de fide, & altera lumine naturali nota; aut etiam, quia non ſolum circa obiecta ſpeculabilia, ſed etiam practica ſe extendit, ſed hę rationis non obſtant, quia ſiue Theologus procedat ex duabus præmiſſis de fide, aut ex altera de fide, & altera lumine naturali nota, ſiue verſetur circa moralia, & circa ſpeculatiua, ſemper procedit ſub eadem ratione formali, ſcilicet reſpiciendo omnes ſuas concluſiones, vt virtualiter reuelatas, & ex eiſdẽ fidei principijs deductas; ergo non eſt cur denegemus Theologię quod ſit vnicus habitus in ſpecie infima. Maior huius argumenti eſt certa, continet enim fundamentum oppoſitarum ſententiarum, vnde ſolummodo probanda eſt minor. Et 1. quo ad primam partem, ſcilicet quod concluſio deducta ex vna pręmiſſa de fide ſolum, & alia cognita lumine naturę, non extrahatur à ratione formali virtualiter reuelatę, ſic oſtenditur, quia talis concluſio non infertur ex tali pręmiſſa naturali quomodocumque, ſed ab ipſa vt coniuncta & eleuata à pręmiſſa de fide, participatque de eius certitudine

ac non quidem intrinsecè sed extrinsecè per approbationem, & correctionem, seu iudicium de ipsa factum à fide, quatenus non reprobat illam, vt repugnantem sibi, sed potius assumit vt veram: Vnde omnes Conclusiones Theologicæ per euidentem consequentiam deductę, etiamsi altera pręmissa sit solum nota lumine naturali, si negentur eadem censura qualificantur, scilicet vt erroneę, & secundum pręsumptionem hęreticę, vt patet in hoc discursu, in quo ex duplici natura in Christo Domino infertur duplex voluntas ex vna pręmissa naturali, sic. *Omne illud suppositum quod habet duas naturas intellectuales, debet etiam habere duas voluntates, sed Christus Dominus subsistit in duabus naturis intellectualibus creata nimirum & increata, humana, & diuina, ergo Christus Dominus habet duas voluntates*. Aut etiam si quis ex humana natura in Christo inferret aliquam proprietatem, sic: *Omne illud quod est homo est risibile, sed Christus est homo, ergo Christus est risibilis*. Vbi si quis negaret consequentiam pręsumeretur hęreticus; ergo signum est manifestum, quod licet pręmissa naturalis luminis sit minus certa, quam pręmissa de fide, in ordine tamen ad inferendum aliquid virtualiter reuelatum, eodem modo adunatur duplex pręmissa de fide, vel altera naturaliter euidens, quia etiam duplex pręmissa de fide solummodo deducit mediante consequentia naturali, veritatem aliquam virtualiter reuelatam, quãuis enim vtraque pręmissa secundum se sumpta sit de fide, connexio tamen earum inter se ad inferendum nõ est per fidem cognita, sed naturali discursu, & ex reuelatis deducta, & ita vniuocè cõuenit cum connexione quę est inter pręmissam de fide, & de lumine naturali, non quidem vt pręcisè naturalis certitudinis est, sed vt extrinsecè participat de certitudine pręmissę supernaturalis fidei in quantum ab ea approbatur, & corrigitur. Quod est valdè notandum, quia propriè loquendo non potest pręmissa naturalis componere vnum medium formaliter cum pręmissa de fide ad inferendum aliquid virtualiter reuelatum; nisi per hoc quod illi subordinatur, & ab ea iudicatur, vtpotè à Superiori, à qua pręmissa naturaliter euidens certitudinem suam regulat, & pręmissa sic coniũcta præmissę superiori de fide influit simul cum ipsa non diuersa ratione, nec diuerso lumine, in quantum de eius lumine, & certitudine participat, & ita constituitur vna ratio formalis, quę dicit virtualem reuelationem, & mediatam, sub qua eodem modo influit pręmissa de fide, & naturalis vt eleuata ab illa, & secundum id quod participat ex approbatione illa extrinseca iam dicta. At verò considerando in pręmissa naturali, id quod pręcisè habet de naturali lumine, naturalique certitudine, sic non præbet rationem formalem influentem, sed solùm ministrantem pręmissę supernaturali de fide, vt veritatem illam virtualiter inclusam in pręmissa de fide conformius, & accommodatius ad nostrum intelligendi modũ capiamus, quia sępè melius per ea quę naturalia sunt, manuducimur ad inuestiganda, & probanda ea quę in supernaturalibus continentur.

Quod etiam Theologia pro vt extenditur ad partem moralem, semper sub eodem lumine virtualis reuelationis procedat, quæ erat secunda pars minoris superioris argumenti; constat ex hoc quod Theologus, vt Theologus procedit ex principijs reuelatis in scriptura; sed est certum in scriptura multa contineri pertinentia ad præcepta moralia, vndè dicitur 2. ad Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Ergo Theologus independenter à Philosophia morali potest ex suis principijs reuelatis, siue quod idem est, sub eodem lumine virtualis reuelationis discurrere de rebus moralibus, inferreque multas conclusiones ad præcepta moralia pertinentes, imo

ea,

ea, quæ Philosophi tradunt per hanc scientiam approbari debent, & corrigi. Sed de hoc latius capite sequenti. Superest modo vt vnicę obiectioni satisfaciamus.

Obijcies ergò contra conclusionem, si habitus Theologię esset simplex qualitas in specie infima, vt dictum fuit, sequeretur, quod ille, qui elicuit vnum, vel plures discursus circa vnam materiã, v.g. Trinitatis, aut Incarnationis, haberet etiam habitum circa alias materias v.g. Sacramentorum, discurrendo de illis, sed hoc est falsum, & contra manifestam experientiam, ergò &c.

Respondetur ad hoc argumentum distinguendo maiorem, sequeretur quod ille qui elicuit vnum, vel plures discursus circa aliquam materiam, haberet habitum circa alias in ratione principij remoti concedo, in ratione principij proximi nego, deinde concessa minori absolutè neganda est consequentia. Habitus igitur Theologię, sicut & alij habitus scientifici, dupliciter potest considerari, & comparari ad actus suos, scilicet proximè, & remotè, seu per modum principij proximi, & remoti; remotè quidem eo ipso, quod ipse habitus possidetur, siue sub statu intenso, siue sub statu remisso; proximè autem, non statim refertur, sed posita aliqua conditione; nempè in casu nostro, posita determinatione intellectus per nouas demonstrationes, nouasq; species intelligibiles acquisitas: tũc enim habitus incipit proximè referri ad hanc vel illam veritatem aut conclusionem nouam, ita vt si per impossibile habitus scientifici essent indiuisibiles intensiuè, adhuc tamen essent capaces huius nouę extensionis per connotationem nouę conditionis explicatę; vt optimè explicat ex D.Th.1.2.q.54.ar.4.ad 3.& q.52. art.1.in fine corporis, nostrum Collegium Compl.in lib.de Gener. & corrupt.disp.4.qu.11. cuius titulus est quomodo fiat augmentum extensiuum qualitatum.

CAPVT VI.

An, & quomodo sacra doctrina sit habitus speculatiuus simul, & practicus.

CVm tota pręsentis quęstionis resolutio pendeat ex intelligentia istorum nominum. *Speculatiuum & practicum*, necessarium est breuiter explicare quid sit *speculatio & praxis*, à quibus accipitur ratio speculatiui & practici.

Notandum est igitur primo speculationem ex communi sententia significare, quamdam contemplationem rerum, similem illi cognitioni, quam habent, qui ex aliquo eminenti loco inferiora respiciunt; Vndè scientia speculatiua dicetur illa, quę ita sistit in contemplatione sui obiecti, vt non sit immediatè directiua & ordinatiua, seu regulatiua alicuius operis liberè ab homine factibilis, seu operabilis, per oppositum verò cum praxis tam effectionem, quàm actionem significet, vt patet ex ipsa nominis etymologia, scientia practica vocabitur illa, quę per se & immediatè est regulatiua & directiua alicuius operis factibilis ab homine, vt operante per intellectum, & voluntatem; propter quod Aristoteles 2. Metaph. text. 3. docuit finem scientię speculatiuę esse veritatem, practicę verò opus, quia sicuti illa consistit in veritatis contemplatione, ita hęc versatur circa operis directionem. Quod etiam colligitur ex 3. de anima text.49. quę loca adducit S.Thomas q.3. de verit. art.3. in corpore. Vnde etiam 2. Ethic.cap.2. docuit cognitionem de virtutibus (quę pertinet ad practicam scientiam) *non esse vt speculemur, sed vt operemur*, scilicet ex se, & ex natura sua.

Itaque in scientijs omnes conclusiones procedentes ex recto, & vero discursu, si in se considerentur, vel sunt directiuę alicuius humani operis, vel solum cognoscitiuę alicuius veritatis; Si primo modo sit cognitio, dici poterit cognitio practica, latissimè sumpto vocabulo practicę cognitionis, & illud opus,

ſeu operatio, cuius ipſa eſt immediatè directiua, dici poterit etiam latiſſimè praxis; praxis enim propriè loquendo, non eſt ipſa cognitio, & ſcientia practica, ſed opus illud, cuius illa cognitio eſt ordinatiua, & regulatiua; quamuis alij diſtinguant, de praxi formaliter, & obiectiuè, aſſerantque formaliter eſſe actum practicantem, id eſt dirigentem, & cauſantem opus, & ſic pertinere formaliter ad actum intellectus, qui ſolus dirigere poteſt: Si verò ſumatur praxis obiectiuè, id eſt pro obiecto ad quod tendit actus practicus, neceſſariò debere eſſe aliquid præter cognitionem intellectus, vel ſaltem dicere ordinem ad aliquid extra intellectum. E contra verò ſi cognitio ſe habeat ſecundo modo, dici poterit, & erit abſolutè ſpeculatiua, & id, circa quod verſatur, dicitur obiectum ſpeculabile; ita vt primo actui correſpondeat habitus dictus practicus, ſecundo verò ſpeculatiuus, & præmiſſæ ex quibus procedit prima cognitio, vt ſic præcisè dicentur pertinere ad intellectum practicum, aliæ verò ad ſpeculatiuum; non quia hæ ſint duæ potentiæ intellectiuæ, realiter inter ſe diſtinctæ, cum re vera non ſint, niſi vna ſimpliciſſima, vt docet D.Thom. 1.parte q.79.artic.11. Sed ſit hæc diſtinctio per ordinem ad duos vniuerſaliſſimos actus, ad quos poteſt ſe extendere intellectus vnus manens, per diuerſos habitus.

Secundò notandum eſt, quod cum denominatio practici deſumatur à praxi, tot modis dici poteſt aliqua ſcientia practica, quot modis dicetur, praxis; praxis autem poteſt dupliciter ſumi, ſiue diuidi in poiesin & energeian, id eſt in effectionem & actionē, & ſic omnis habitus practicus in vniuerſum, vel eſt actiuus, vel factiuus, primus pertinet ad prudentiam, quæ dicitur habitus practicus electiuus, & actiuus; Secundus verò ad artem, quæ 6.Eth.cap.4. dicitur habitus cum recta ratione factiuus, ſicuti prudentia dicitur habitus cum recta ratione actiuus, ſeu electiuus.

Obſeruandum eſt 3. ad rationem propriam practici habitus nō ſufficere, quod ex illo poſſit quouis modo regulari, vel excitari voluntas ad aliquid faciendum, ſicuti poteſt ex contemplatione diuinæ eſſentiæ, aut cuiuſuis alterius obiecti boni excitari ad amandum; Sic enim nulla dari poteſt ſcientia vſque adeò ſpeculatiua, ex cuius contemplatione non conſurgat aut excitetur in voluntate aliquis affectus gaudij, & delectationis ob adeptam alicuius veritatis notitiam, omnes enim homines naturaliter ſcire deſiderant; Sed debet talis habitus, ad hoc, vt ſit verè practicus, verſari primo per ſe directè circa praxim, tanquam circa obiectum ſuum, & cum naturali ordine ad operandum, & eſſe proxima regula operationis, tradereque ex profeſſo modum dirigendi aliquam actionem, ſiue elicitam, ſiue imperatam à voluntate, eamque ſine errore perficiendi; Vt rectè aduertit D.Thomas qu. 14. de veritate art.4. in corpore, his verbis: *Non quælibet relatio ad opus facit intellectum eſſe practicum, quia ſimplex ſpeculatio poteſt alicui eſſe remota occaſio aliquid operandi, ſicuti Philoſophus ſpeculatur animam eſſe immortalem, & exinde ſicuti à cauſa remota ſumere poteſt occaſionem aliquid operandi, ſed intellectum practicum oportet eſſe proximam regulam operis, vt pote, quo conſideretur ipſum operabile, & rationes operandi, & cauſa operis.* Hæc Sanctus Doctor. Igitur ad hoc vt aliqua notitia ſit verè practica, debet eſſe immediatè ordinatiua, & directiua, verſarique circa illud opus, tanquam circa proprium obiectum, cuiuſmodi ſunt hæ concluſiones, *ergo hoc, vel illud, eſt ita, vel ita faciendum.*

Quartò notandum eſt praxim non eſſe actionē ſolius voluntatis, vt volunt aliqui colliguntq; ex Ariſt. 1.Magn.Moral.cap.33. prope finē vbi docet, *Prudentiam non imperare Sapientiæ, quæ eſt perfectiſſima ſcientia, ſed potius præparare illi animum quietum & tranquillum moderando illius paſſiones.* Sed etiam cu-

iuſcum-

iuſcumque alterius potentiæ, atque adeo ipſiuſmet intellectus, ita vt actus ſcientiæ ſpeculatiuæ poſſit dici praxis, pertineatque ad prudentiam moderari, & dirigere talem actum. Quod vt intelligatur, concilienturque varia loca tàm Ariſtotelis, quàm D.Th. notandum eſt actũ ſcientiæ dupliciter poſſe conſiderari, primò ſecundum ſpeciem actus, ſecundò quantùm ad exercitium actus, primo modo, aſſenſus ſcientificus, non dicitur dependere à voluntate, ſed à ſuis præmiſſis, quibus poſitis intellectus neceſſitatur ad aſſentiendum; at ſecundo modo dependet à voluntate, ſubiacetque imperio ipſius, quatenus voluntas poteſt remouere intellectum, ne diſcurrat in hac vel in illa materia, & poſito quod ita permittat, aut velit, tenetur id præſtare ex honeſto fine, & ſecundum virtutem, ſicuti tenetur in omnibus alijs operationibus; loquendo ergo de actu ſcientiæ primo modo, certum eſt non eſſe praxim, ſumendo praxim obiectiuè, neque regulari poſſe per prudentiam, ſed potius prudentiã præparare illi animum tranquillum, ſi quidem talis tranquillitas maximè iuuat ad comparandas ſcientias; & hoc ſolum voluit Ariſtoteles loco citato Magnorum Moral. nec non D. Th. 1.2.q.66. artic.5. ad 5. quando prudentiam, ſeu politicam vocat miniſtram ſapientiæ, imperando ſcilicet de his quæ ordinantur ad ſapientiam; ſiue quomodo homines debeant ad ſapientiam peruenire. At verò ſi conſideretur actus ſcientiæ ſecundo modo, maximè ſpectat ad prudentiam, & ad virtutem ſtudioſitatis, & eſt praxis, etiam obiectiuè; quod voluit Ariſtoteles 1. Ethicorum cap. 2. quando docet Politicam quæ ad prudentiam pertinet, vt dicitur in 6. Ethic. cap. 8. præordinare, quænã ſcientiæ & diſciplinæ debeant permitti, & addiſci in ciuitatibus, quæ verò non; & D. Thom. 2.2. q.47. artic.2. ad 2. hæc habet: *Dici poteſt quod ipſe actus ſpeculatiua rationis, ſecundum quod eſt voluntarius, cadit ſub electione, & conſilio, quantum ad ſuum exercitiũ, & per conſequens cadit ſub ordinatione prudentiæ, ſed quantum ad ſuam ſpeciem, pro vt comparatur ad obiectum quod eſt verum neceſſarium, non cadit ſub conſilio, nec ſub prudentia;* vbi etiam aduertendum eſt nos non dicere, quod actus ſcientiæ ſpeculatiuæ, ſit ſcientia practica, ſed quod ſit praxis, ſeu quod ſit operatio apta aliquo modo regulari & ordinari per ſcientiam practicam modo explicato: & eadem eſt ratio omnium operationum humanarũ ſiue naturalium, ſiue artificialium, quæ ſecundum quod à voluntate libera dependere poſſunt, ſuntque ordinabiles ad finem vniuerſalem, ſubſunt Prudentiæ, & vt ſic dici poſſunt praxis obiectiuè, etiam ſumendo praxim propriè, ſeu, vt dicunt aliqui ſecundũ quod eſt obiectum ſcientiæ practicæ actiuæ. Per quod facile conciliari poſſunt duæ oppoſitæ ſententiæ, quarum prima aſſerit praxim eſſe actum alterius potentiæ ab intellectu, ſecunda verò comprehendit ſub illa actum intellectus. Quamuis enim operatio, quæ primariò, & per ſe, & per eſſentiam, (vt ita dicamus) vocatur praxis, à qua reliqua denominantur practica, non poſſit eſſe operatio intellectus ſecundum ſuã ſpeciem, ſed alterius potentiæ nempe voluntatis in agibilibus, aut potentiæ exterioris, & tranſeuntis in factibilibus: attamen ſi conſideretur eadem operatio intellectus quantũ ad exercitium, quatenus actio eſt voluntaria, & imperata, ſimulque dirigitur ab alio reflexo actu intellectus mediante electione, ſic habitus prudentiæ, qui ſine dubio eſt practicus, habet pro obiecto non ſolum actiones voluntatis, ſed etiam intellectus, qui proinde ſub illa ratione rectè vocari poſſunt praxis.

Vltimo notandum eſt ſpeculatiuum & practicum, ſecundum quod in aliquo habitu reperiuntur, dupliciter accipi poſſe, vno modo limitatè, pro vt ſunt differentiæ conſtitutiuæ habituum aut ſcientiarum inferiorum, & ſic vna ratio iſtarum dicit incompoſſibilitatem cum alia: alio modo ſumi poſſunt magis illimitatè, pro vt conueniunt in vnica ratione

tione superioris ordinis, nam quæ sunt dispersa & diuisa in inferioribus, sunt vnita in superioribus, sicut scientia Dei vna formaliter existens simul est practica & speculatiua, & vtrumque conuenit illi formaliter. His pro intelligentia difficultatis adnotatis.

Dicendum est primò cum D.Th. & alijs, sacram doctrinam sumptam pro Theologia, esse simul practicam & speculatiuam, non quod omnes actus, aut conclusiones ipsius sint simul practicæ & speculatiuæ vt volunt aliqui Theologi, sed quod habitus Theologiæ sit practicus, & speculatiuus, quia potest se extendere ad conclusiones practicas & speculatiuas. Ita D. Th. 1. parte q. 1. artic. 4. & in prologo sentent. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. Potestque sequenti ratione efficaciter probari; nam conclusiones Theologicæ possunt esse, & practicæ, & speculatiuæ, ergo etiam habitus, aut scientia Theologiæ erit practica, & speculatiua, consequentia patet, cum enim ex doctrina D. Th. 1. parte q. 87. artic. 2. & alibi sæpe, habitus non possit à nobis cognosci, non tantum an sit, sed etiam quid sit, seu quam essentiam habeat, nisi per actus suos, ad quos ordinatur, sequitur quod ille habitus vocari debeat speculatiuus & practicus, seu habitus scientiæ speculatiuæ & practicæ, cuius conclusiones & actus speculatiui sunt & practici, si quidem habitus scientiæ est habitus conclusionũ, ordinaturque ad illas tanquam ad suos proprios actus. Primum autem antecedens probatur nam ex principijs fidei, quæ sunt principia huius scientiæ deduci possunt conclusiones, quæ ex se, & immediatè non dirigunt, aut regulant aliquod opus humanum, neque habent pro materia, & obiecto proximo tale opus, sed consistunt in mera veritatis alicuius cognitione de re à nobis non operabili, vt conclusiones quæ inferuntur circa mysteria vnitatis & trinitatis diuinæ, Incarnationis & similium rerũ; & possunt deduci conclusiones ex se & immediatè directiuæ operationum humanarum, vt quod sit ita, vel ita operandum; sed illæ primæ conclusiones sunt speculatiuæ, hæ verò secundæ practicæ vt colligitur ex notandis supra positis; igitur in habitu Theologico dãtur conclusiones practicæ & speculatiuæ, quod erat antecedens probandum.

Confirmatur hoc argumentum, habitus fidei non solum est habitus speculatiuus, sed etiam practicus habens pro obiecto summũ speculabile & summam rationem agibilium, nam Deus secundum se, quod est obiectum materiale fidei, est summum speculabile, & quia est vltimus finis, est summa ratio agibilium, si quidem agendorum ratio desumitur ex fine; ergo etiam doctrina sacra sumpta pro Theologia, non solum erit habitus speculatiuus, sed etiam practicus, quia etiã illa attingit Deum modo capite 3. & 4. explicato, non solum considerando perfectiones illas, quas habet in se, sed etiam pro vt est vltimis finis noster, non quidẽ operabilis à nobis operatione factiua, sed consequibilis & attingibilis operatione morali; quod sufficit ad hoc vt dicatur obiectiuè terminare scientiam, aut habitum practicum.

Dices primò, omnis cõclusio Theologica videtur posse esse directiua voluntatis ad bene operandum, imo ad hoc solum videtur esse necessaria, & inuenta, vnde Math. 22. dicitur in his duobus mandatis, scilicet dilectionis Dei & proximi, vniuersam legem pendere, & prophetas; & ad Rom. 1. dicitur de illis qui non operantur benè, quod veritatem Dei in iniustitia detinent, quia veritas Dei, id est vera Dei cognitio per fidem, & doctrinam sacram habita, quantùm est de se inducit hominem ad bonum, vnde quando non consequitur hunc effectũ, veluti captiua detenta per iniustitiæ affectum ligatur; ergo doctrina sacra non erit habitus simul practicus, & speculatiuus, vt diximus, sed tantum practicus.

Resp. ad hoc argumentum ex 3. notando distinguendo antecedens, remotè, & oc-

& occasionaliter, ac veluti per accidens concedo; proximè & immediatè nego; deinde negandum est absolutè consequens, aut etiam distinguendum, si loquamur de habitu Theologiæ pro vt versatur circa materias practicas, & ordinatur ad conclusiones proximè & immediatè directiuas operis concedo esse scientiam practicam, si verò consideretur vt versatur circa materias merè speculabiles dico illum, vt sic non denominari, nec esse practicum, sed speculatiuum: & vtroque modo cōsiderata Theologia est necessaria, & inuenta, non solum vt bene operemur, sed etiam vt benè, & rectè diuina intelligamus; & quāuis ipsa sit magis necessaria in nobis ratione status viæ, & vtilitatis nostræ, seu ex fine scientis, vt operemur, quam vt sciamus, sicuti etiam & fides diuina, in quam tanquam in habitum principiorum resoluitur; non tamen necessitas vel vtilitas scientis potest esse sufficiens ratio, cur aliquis habitus scientificus sit practicus, aut speculatiuus, sed considerand a est ipsa natura scientiæ secundum se, & per ordinem ad suum proprium obiectum: Nam etiam scientiæ purè naturales, vt plurimum, sunt magis necessariæ hominibus ad vitam substentandam, quam ad sciendum, non tamen propterea desinunt esse speculatiuæ, vnde etiam si aliquis eliceret omnes prorsus conclusiones Theologicas in hunc finem, vt ex illis excitaretur ad bene operandum, vel Deum super omnia diligendum, non propterea tales conclusiones dicerentur essentialiter practicæ, aut secundum suam speciem, sed solum quo ad modum, & finem scientis, siue quo ad exercitium modo supra notando 4. explicato. Per quod patet ad loca scripturæ allata, solum enim probant sacram doctrinam esse practicam quo ad eam partem in qua instruimur ad bene operandum, & præcipitur, aut proponitur nobis aliquid faciendum aut fugiendum, non verò probant, quod non sit dicenda simul speculatiua respectu illius partis, in qua multa sunt considerand a, absque vllo ordine ad opus per se loquendo, cuiusmodi sunt mysteria Trinitatis & Incarnationis aliaque similia.

Instabit secundò aliquis per oppositum asserendo sacram doctrinam esse scientiam mere speculatiuam, tùm quia procedit modo resolutiuo, tum etiam quia si esset scientia practica, deberet maximè pertinere ad prudentiam si quidem inter habitus practicos solùm numeratur prudentia circa agibilia, & ars circa factibilia, sed Theologia non est prudentia; constat enim aliquem posse esse magnum Theologum, & valde imprudentem seu peccatorem, ergò &c.

Resp. ad primam partem huius instantiæ quod quando Aristoteles 2. Metaph. cap. 1. & lib. 6. text. 1. ibid. D.Th. & 1. p. q. 14. artic. 16. & in 2. distinct. 3. quæst. 3. art. 2. & alibi docent, scientiam practicam non procedere modo resolutiuo, sed compositiuo, ibi per procedere modo resolutiuo non intelligunt, quod non procedere debeat per principia necessaria, & consequentiam legitimam, atque adeo demonstratiuè, nam sicut in intellectu speculatiuo datur habitus primorum principiorum speculabilium, ita etiam datur in intellectu practico habitus principiorum operabilium, qui inclinat ad prima principia operabilia, cuiusmodi sunt, bonum esse sequendum, malum verò fugiendum &c. vnde quēadmodum per discursum legitimum deducuntur cōclusiones ex principijs speculabilibus, & assensus illarum pariunt scientiam speculatiuam, ita per discursum legitimum deducuntur conclusiones ex principijs practicis, & illarum assensus generant pariter scientiam practicam; sed intendunt solum dicere, quod illa cognitio non est regula proxima speculandi, resoluendo effectum in causam, conclusiones in principia, inuestigando naturas illorum, sed est regula proxima operandi, inducēdo formam in aliquam materiam operabilem, & ita licet quis possit resoluere illam conclusionem in sua principia, tamen

finis

finis huius ſcientiæ, modusque procedendi ipſius non eſt iſte, ſed deducere, & inferre cōcluſiones ex principijs vniuerſalibus, regulando per talem diſcurſum & aſsenſum, operationes exteriores, & inducendo ad illas.

Ad ſecundam partem reſpondetur Theologiam quidem non eſse prudentiam proximè & formaliter, ſed directiuè & architectonicè, quod ſufficit ad hoc vt dicatur ſcientia practica, vt patet ex his quæ docet D. Th. in 3. diſtinct. 33. q. 2. artic. 1. vbi ait, *Scientia ſpeculatiua nihil facit ad virtutes morales, ſcientia autem practica in vniuerſali parum, prudentia autem multum*. Vbi ſupponit manifeſtè Sanctus Doctor dari aliquam ſcientiam practicam de vniuerſalibus, quamuis non ſit formaliter prudentia, ſed architectonicè ſolum ſe habeat ad illam; vt contingit in Theologia, ſicut enim fides dirigit prudentiam, in quantum credendo dirigit vitam noſtram, ſic Theologia diſcurrēdo ex reuelatis fidei principijs, habet etiam inſtruere vitam noſtram, & dirigere prudentiam; formantur enim diſcurſus prudentiales cōſulendo Theologiam, quæ non ſolum explicat fidem in his quæ pertinent ad veritatis contemplationem, rectamque rerum diuinarum intelligentiam, verum etiam in his quæ ſpectant ad benè operandum, bonamque morum inſtitutionem. Vnde ſicut fides quatenus eſt practica, & per dilectionem operatur habet dirigere prudentiam, & ea quæ ad mores noſtros pertinent, & ita dicitur ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſſe*, id eſt quod non eſt ex recto dictamine, & iudicio fidei dictante aliquid eſse bonum, vt exponunt multi Sancti Patres; ſic Theologia quatenus explicat fidem in his quæ practica ſunt, cuiuſmodi ſunt præcepta moralia, aut alia quæ traduntur in ſcripturis, habet dirigere prudentiam. Et cum dicitur quod aliquis poteſt eſse Theologus, & tamen valdè imprudens & peccator; reſpondetur quod tunc in iniuſtitia detinetur Theologia, manendo ratione ſubiecti in quo reperitur, ſine exercitio practico, & extenſione actuali ad res practicas, non tamen ſine eſsentiali ratione practici; ſicut etiam fides poteſt dari in peccatore ſine hoc quod actu ſe extendat ad exercitium practicum virtutum; verba autem in definitione poſita non dicunt actum, ſed habitudinem.

Dicendum eſt ſecundò rationem practici, & ſpeculatiui vt ſunt differentiæ habituum inferiorum, diuiduntque illos eſſentialiter non poſſe reperiri formaliter in Theologia, ſed oportere, quòd detur aliquid altius & eminentius illo practico & ſpeculatiuo, ita quod ſolum contineat perfectionem vtriuſque, ſed non formalitatem, & limitationem, quæ inuenitur in inferioribus. Hæc aſſertio eſt communis inter diſcipulos D. Thomæ, debetque intelligi eo ferè modo, quo explicant Theologi 1. parte q. 14. art. 2. omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices creaturarum eſſe quidem in Deo formaliter ſi conſiderentur ſecundum ſuum conceptum abſtractum & perfectum, ſecus verò ſi conſiderentur, ſecundum quod modo limitato, & determinato reperiuntur in creaturis.

Ratio autem noſtræ aſſertionis deſumitur ex illa generali doctrina, quà aſſeritur impoſſibile eſſe, quod duæ ſpecies eſſentialiter diſtinctæ coniungantur, & adunentur in aliquo quantumcumq; ſuperiori, niſi remota earum oppoſitione, ſi quidem ſpecies eſſentialiter diſtinctæ oppoſitionem habent inter ſe; ſed practicum & ſpeculatiuum important differentias eſſentialiter conſtitutiuas & diſtinctiuas habituū inferiorum, reſpiciunt enim vt ſie diuerſa obiecta formalia, diuerſoſque fines proximos intrinſecos; non verò ſolum extrinſecos, & ex fine operantis; igitur non poſſunt congregari eiuſmodi rationes in vnico habitu Theologico, niſi remota earum oppoſitione; remoueri autem non poteſt illa oppoſitio, quamdiu non remouetur illa forma, & ratio inferior limitata, vnde neceſſario debet admitti ratio aliqua ſuperior & eminens, in quà tota

tota quidem perfectio practici & speculatiui reperiatur, sed non limitatio & coarctatio causans actualem oppositionem, sicut sensus communis continet superiori modo perfectionem omnium sensuum exteriorum, & intellectus perfectionem omnium sensuum, sed non formalem modum eorum.

Hæc autem eminentialis continentia practici & speculatiui in vnico habitu Theologico, solet dupliciter explicari à Theologis. Primo quia habitus supernaturales, aut originati ab illis, qualis est Theologia quæ innititur fidei tāquam habitui suorum principiorum, induunt modum potentiæ, & afficiunt intellectum, secundum omnem suam rationem; vndè cū intellectus sit potentia simul practica & speculatiua, illi quoque habitus superioris ordinis, debent illum perficere secundum vtramque rationem, eamque simul induere, non eo modo, quo est in habitibus inferioribus, sed ad illum modum quo est in potentia. Et ita in istis habitibus speculatiuum est radix & fundamentum practici, non tanquam regula extrinseca, sed intrinseca, siue vt conueniens eidem habitui, quemadmodum competit eidem potentiæ practicum & speculatiuum, & ipsa ratio speculatiui est fundamentum practici, non tanquam regula extrinseca ipsi potentiæ, sed in eadē potentia fundata. Vide D.Th. 2.2. q.9. art.3.& 45. art.5. vbi agendo de donis intellectualibus scientiæ & sapientiæ, docet ea simul esse practica & speculatiua, perficereque intellectum secundum vtrumque munus.

Secundo explicatur ista adunatio practici & speculatiui in vna ratione superiori & eminenti, ex hoc quod Theologia sit quædam participatio & impressio diuinæ scientiæ, mediante lumine fidei, cui tanquam habitui principiorum innititur. Sicut igitur fides non solum credit Deum esse primam veritatem, quod pertinet ad speculationem, sed etiam versatur circa ipsum vt vltimum finem, propter quem operamur, quod pertinet ad Praxim, sic Theologia, quæ discurrendo versatur circa ea omnia, circa quæ versatur fides credendo, non solum speculatiuè versatur, circa Deum vt est prima & summa veritas, sed etiam practicè & directiuè circa ipsum, vt est vltimus finis à nobis assequibilis, per virtutum praxim & peccatorum fugā, ita quod vtrumque eminenter habeat, vnde D. Th. loco citato 2. 2. q.4. art.3. dicit per scientiam credibilium & eorū quæ ad credibilia consequuntur nos dirigi in agendis. Quæ autem consequuntur ad credibilia sunt ea quæ vi discursus naturalis Theologia deducit, vt conclusiones consecutas ex creditis, seu reuelatis per fidem.

Dicendum est tertio. Habitū Theologiæ debere dici formaliter speculatiuum, & formaliter practicum. Hæc assertio est contra aliquos Theologos existimantes vtramque rationem practici & speculatiui contineri quidē in Theologia, sed eminenter aut virtualiter solum. Verum licet hæc difficultas magna ex parte sit potius de nomine, quā de re, & secundum quod aliqui diuersimodè accipiunt rationes practici, & speculatiui, vt statim dicemus, tamen absolutè & simpliciter asserendum est habitum Theologicum esse formaliter tàm speculatiuum quàm practicum.

Primo quia omnis ille habitus cuius actus & assensus est formaliter practicus, vel formaliter speculatiuus, debet similiter dici formaliter practicus vel speculatiuus, non enim est maior ratio de actu, & de habitu vt per se patet; sed assensus Theologicus in materia practica est formaliter practicus, & in materia speculatiua est formaliter speculatiuus, si quidem ad vtramque rationem nihil aliud requiritur, nisi vt talis assensus sit ex se immediatè directiuus & ordinatiuus alicuius operis humani, vel sit in materia speculabili; quod vtrumque præstatur per assensus Theologicos, ergo &c.

Secundò probari potest conclusio afferendo rationem vniuersalem, cur aliquæ

quæ perfectiones quæ reperiuntur diuisæ in inferioribus, dici possint esse vnitæ formaliter in aliquo superiori, vel solum eminenter aut æquiualenter. Si enim illæ perfectiones in inferioribus dispersæ ad hoc vt sint tales, quales sunt, vtq; denominent formaliter subiectum illud inferius, in quo reperiuntur, necessario debent inuoluere aliquam imperfectionem aut limitationem, quam non habent in superiori subiecto, tunc non possunt dici esse formaliter in superiori, sed solum eminenter, vel virtualiter seu æquiualenter; si vero nullam talem limitationē aut imperfectionem includant per se, & in suo conceptu essentiali, quamuis per accidens illam habeant, ratione imperfectionis subiecti in quo reperiuntur, nihil hoc oberit, quin possint dici esse formaliter in superiori sicut in inferiori; vt solet exemplificari in gradu rationalitatis, qui, quia in sua ratione formali & essentiali, dicit esse principium intelligendi per discursum formalem, qui modus intelligendi repugnat Deo ob suam imperfectionem, ideo non est formaliter in Deo, sed eminenter solum, seu virtualiter; at verò quia esse intellectiuum vt sic præcisè non dicit talem aut similem limitationem, quæ Deo repugnet, ideo Deus dicitur formaliter intellectiuus, & sic de similibus: cum igitur rationes practici & speculatiui ex se non importent aliquam talem imperfectionem aut limitationem, si quidem esse assensum conclusionis practicæ formaliter nihil aliud præcisè dicit, quam esse assensum regulatiuum operis factibilis ad honestum finem, ex quibuscumque principijs id oriatur, nō est cur habitui Theologico denegemus rationem practici, formaliter, & etiam speculatiui.

Si quis tamen pertinaciter existimaret habitum formaliter practicum esse illum, qui inclinat ad assensus practicos circa materiam practicam præcisè, & cum limitatione, vt non inclinet ad aliā materiam, vt contingit in habitu prudētiæ practicæ naturalis in nobis; sic libenter concedendum esset rationem practici, similiter & speculatiui, non reperiri sub ea formalitate, nec in scientia diuina, nec in habitu Theologico formaliter, sed eminenter solum. Et sic apparet quomodo eiusmodi rationes in habitibus superioris ordinis possint reperiri tàm eminenter, quàm formaliter: eminenter quidem, comparatiuè ad practicum & speculatiuum quod est in inferioribus, formaliter verò, quia propriè, secundum suam perfectionem, non secundum suam limitationem; sicut in anima rationali inuenitur vegetatiuū eminenter & formaliter, eminenter quidem respectu vegetatiui, quod est in planta, vbi ita limitatè est principium vegetandi, vt non se extendat ad alias operationes vitales: formaliter autem quia anima propriè & non metaphoricè habet istum gradum, & sic de similibus.

Dicendum est 4. Practicum, & speculatiuum non dicere in Theologia duos habitus partiales, sed vnum simplicem, qui ratione suæ vltimę, & essentialis perfectionis, tam ad materias speculabiles, quàm ad materias operabiles, se extendit, & influit tàm in conclusiones speculatiuas, quam practicas. Hæc assertio manifestè sequitur ad ea, quæ superius diximus de vnitate, & simplicitate habitus Theologici, estque maximè ad mentem D.Thom. 1.parte qu.1. artic. 4. Vbi comparat simplicitatem & vniuersalitatem habitus Theologici simplicitati sensus communis, & diuinę scientiæ in ordine ad sua obiecta.

Ratio fundamentalis est, quia diuersitas habituum maximè acquisitorum, non potest aliundè commodius desumi, quam ex diuersitate essentiali actuum in quos inclinant, & per quos generantur, siquidem sola distinctio numerica actuū non potest arguere distinctionem rationum formalium in aliquo habitu, aut potentia, vt per se patet; sed assensus practici & speculatiui in Theologia non sunt actus essentialiter diuersi, adunantur enim in vna simplicissima ratione obiecti

cti formalis, virtualis scilicet reuelationis, ergo non potest ex his colligi diuersitas vlla essentialis in habitu Theologia practico,& speculatiuo.

Confirmatur hoc argumentum, nam vna & eadem simplicissima perfectio in aliquo habitu, potest se extendere ad omnem illam materiam, quæ potest cadere sub sua ratione formali; sed materia practica, & conclusio speculatiua potest cadere sub ratione formali obiecti, quam respicit simplicissima perfectio habitus Theologici, ergo eadem simplicissima perfectio potest absque vlla sui multiplicatione se extendere ad vtramque materiam, ita vt idem prorsus habitus Theologiæ, eademque simplicissima perfectio in ipso, quæ est practica, inclinet ad assensus speculatiuos, & eadem quę est speculatiua inclinet ad practicos, quamuis neque sit, neque denominetur practicus, vt inclinat ad speculatiuos, & vice versa non denominetur speculatiuus vt inclinat ad practicos: Sed tantum suscipit denominationem practici quatenus concipitur in ordine ad conclusiones practicas, atque adeò inadęquatè ex parte obiecti,& quatenus concipitur inadæquatè in ordine ad obiecta speculabilia, habet denominationem speculatiui, & quatenus concipitur adæquatè in ordine ad totum suum obiectum, sub vna & eadem formali ratione virtualis reuelationis dicitur habitus Theologiæ simul practicus, & speculatiuus. Vbi obserua aliud esse obiectum adæquatum, aliud adæquatè sumptum, distinguenda enim sunt aduerbia à nominibus: ergo dicimus adæquatum obiectum Theologiæ esse practicum, & speculatiuum, sed non esse practicum pręcisè adæquatè, nec similiter speculatiuum adæquatè, sed vtramque rationem inadæquatè contineri in vna simplici ratione sub qua procedit Theologia in omnibus suis actibus, quæ est diuina authoritas mediatè, siue virtualiter sumpta. Vnde licet in actibus Theologiæ reperiri possit differentia essentialis materialis, non tamen ita se habet in habitu, qui ratione suæ vniuersalitatis non limitatur, neque distinguitur, vt actus ex diuersis materijs partialibus, sed ex ratione formali communi, quæ vna est; & ita idem habitus numero Theologiæ potest esse practicus, & speculatiuus, quamuis non eadem cognitio numero; per quod patet ad obiectionem aliquorum desumptã ex hoc, quod practicum, & speculatiuum videantur esse differentiæ essentialiter diuersæ in assensu actuali scientifico, ita vt non possint eidem actui conuenire, ergo neque poterunt, inquiunt, eidem habitui conuenire; quidquid enim fit de antecedenti, neganda est consequentia propter disparitatem iam allatam, si enim conclusio practica, non est conclusio simul speculatiua, non est propter diuersitatem formalem, sed propter diuersitatem materialem essentialem, quod non accidit in habitu propter rationem iam dictam.

Dices, assensus Theologici circa materias morales aut practicas, & assensus circa materias speculatiuas materialiter differunt specie, ergo ex hac diuersitate essentiali materiali poterit sumi diuersitas essentialis specifica in habitibus illarum conclusionum, ita quod solum habeant rationem vnam genericam proximam communem, non autem specificam, sicuti si per impossibile daretur aliquis homo compositus ex anima rationali eiusdem speciei cum nostra, & ex materia diuersæ speciei à nostra, qualem asserunt aliqui Philosophi esse materiam cælestem, ille homo differret essentialiter à nobis, saltem materialiter, sicut etiam & cognitiones versantes circa tales homines tanquam circa obiecta, quãuis possent conuenire in aliquo genere proximo ratione vnitatis essentialis formæ.

Respondetur ad hoc argumentum negando consequentiam; quia licet illi assensus materialiter considerati dicantur essentialiter diuersi, tamen non possunt dici simpliciter & absolutè essentialiter diuersi, si quidem ab-

ſolutè non ſpecificantur à materia, ſed à ratione formali aſſentiendi, aut cognoſcendi; Vt conſtat in actibus omnium potentiarum v.g. potentiæ viſiuæ cuius viſiones materialiter conſideratæ, v.g. nigri & albi, ſunt eſſentialiter materialiter diuerſæ, non tamen abſolutè, aut formaliter propter eumdem rationẽ obiectiuam in qua conueniunt eiuſmodi obiecta ad terminandam vnam ſpeciẽ potentiam. Cum igitur ſupradicti aſſenſus, aut actus Theologici, non tendant in tales materias propter ſeipſas, vt ſunt eſſentialiter diuerſæ, ſed propter rationem formalem aſſentiendi, quam ſupponimus eſſe eamdem ſpeciẽ, ideo illi actus debent abſolutè dici eiuſdem eſſentiæ formaliter, atque adeo habitus Theologicus ipſis correſpondens.

Ad exemplum in argumento allatū. Reſp. negando paritatem, nam materia illa in exemplo, eſſet pars intrinſecè & eſſentialiter componens talem ſubſtantiam humanam, atque adeò nihil mirum ſi talis homo intrinſecè quamuis ratione ſuæ materiæ differret ſpecie, imò & genere proximo; at verò in caſu noſtro illa materia circa quam verſantur aſſenſus Theologici, aut alij actus cuiuſcumque habitus in ſpecie infima, non eſt pars cōponens ipſos, ſed aliquid ſolum extrinſecum terminans habitudinem eiuſmodi actuum, & ita licet illi duo actus practici & ſpeculatiui poſſint dici differre ſpecie materialiter, ratione diuerſæ materiæ circa quam verſantur, non tamen dici poſſunt intrinſecè, & in ſe abſolutè differre ſpecie: & hæc eſt ratio generalis, cur diuerſitas materiæ, non eſt apta diuerſificare formaliter, & intrinſecè actus cognoſcitiuos cuiuſcumque habitus aut potentiæ. Concludendum eſt igitur eumdem prorſus habitum Theologiæ in vna ſpecie infima eſſe ſimul practicum, & ſpeculatiuum, ita vt eiuſmodi rationes ſecundum id quod dicunt in recto in habitu Theologico nulla prorſus ratione diſtinguantur, ſed ſint vna ſimpliciſſima eius quidditas, & perfectio ſignificata hoc nomine habitus Theologici, & ſolum diſtinctio ſit ſecundum id quod dicunt in obliquo, & per inadæquatam eiuſdem ſimpliciſſimæ perfectionis conceptionem; eo fere modo quo Theologi 1. parte q. 15. dicere ſolent ſcientiam ſimplicis intelligentiæ in Deo, & ſcientiam viſionis, non eſſe niſi vnam ſimpliciſſimam formalitatem ſcientiæ diuinæ, & non duas formalitates ratione diſtinctas ſecundum id quod dicunt in recto, ſed ſolum ſecundum id quod in obliquo, & veluti materialiter important: Et quo pacto potentia intellectiua, qua poſſumus cognoſcere accidens, non eſt diſtincta à potentia qua poſſumus cognoſcere ſubſtantiam, aut aliam rem, ſecundum id quod dicunt in recto; ſed ſunt vna ſimpliciſſima potentia intellectiua, quæ poteſt inadæquatè concipi per ordinem ad plura ſua obiecta inadæquata materialiter ſumpta.

Dicendum eſt quinto & vltimò habitum Theologiæ ita eſſe practicum ſimul & ſpeculatiuum ratione diuerſarum materiarum, quas ſub vnica ratione formali diuinæ reuelationis virtualis poteſt attingere, vt tamen ſit magis ſpeculatiuus quam practicus, vt obſeruat D. Thomas 1. parte q. 1. artic. 4. quod non debet intelligi quaſi Theologia ſit ſpeculatiua reſpectu ſui obiecti primarij ſolùm, practica verò reſpectu ſecundarij, vt volunt aliqui, hoc enim eſt falſum, cum tàm reſpectu ſui obiecti primarij, quàm ſecundarij vtramque ſortiatur rationem, nam licet primarium obiectum quod eſt Deus, non ſit operabile operatione factiua, eſt tamen attingibile operatione morali, per amorem tanquam finis vltimus, & regula actionum noſtrarum, & ſic practicæ cognitioni ſubiacere poteſt; ſimiliter virtutes, & operationes noſtræ etiam ſunt ſpeculabiles, & ita Theologus regulatiuè, atque directiuè ſe extendit ad illarum praxim, vt etiam de earum natura & quidditate diſſerat.

Igitur dicendum eſt Theologiam per ſe abſolutè ſumptam, & ſecundum ſuam naturam vocari ſpeculatiuam magis,

gis, quam practicam, quia, cum hę denominationes desumantur in habitu per ordinem ad diuersas materias, speculabilem scilicet, & agibilem, longè plures sunt materiæ in Theologia pertinentes ad speculationem, quam ad praxim; Sicut etiam lumen fidei, quod sequitur Theologia, principalius respicit Deum vt veritatem in se, quam quoad assequibilitatem practicam eius vt vltimi finis, eo quod plures & principaliores fidei articuli sint de his quę pertinent ad Deum in se.

Obseruandum est tamen nos dixisse Theologiam esse magis speculatiuam, quam practicam, loquendo de ea absolutè, & secundum suam naturam, nam si de eadem agamus subiectiuè quoad nos, & pro vt in nobis existit, maximeque in statu huius vitæ, asserendum est è contrario esse practicam magis quam speculatiuam, cum finis proximus nostræ fidei, & consequenter Theologiæ ex parte subiecti sit salus animarum nostrarum, quam assequimur per meritorias operationes, quæ maximè pertinent ad praxim, vt constat ex Epist. 1. B. Petri cap. 1. ijs verbis: *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum*, & 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum &c. Vt perfectus sit homo Dei*, & 1. ad Cor. 8. *Scientia inflat, charitas ędificat*, tandem D. Iacob. 4. *Scienti & non facienti peccatum est illi*: [illegible]

SECTIO TERTIA.

De certitudine doctrinæ Sacræ comparatiuè ad alios habitus.

CAPVT PRIMVM.

Quod habitus primorum principiorum doctrinæ Sacræ sit fides supernaturalis.



CVM certitudo in scientijs principaliter proueniat ex primis earum principijs, primumquod in hac sectione occurrit determinandum, est, num ad doctrinam sacram, vt est habitus scientificus, requiratur fides supernaturalis. Supponendum est enim ex 2.2. in tractatu de fide, quod de rebus diuinis, & supernaturalibus possumus habere fidem, non solum infusam & supernaturalem, sed etiam acquisitam & humanam, quia possumus credere rebus diuinis propter aliquod solum motiuum humanum acquisitum, vt contingit in hæretico, qui discredendo aliquem articulum fidei, reliquos articulos fide humana siue acquisita credit, quia non innititur motiuo diuino, prout à Deo proponitur infallibiliter per Ecclesiam, sed pro vt sibi videtur ex spiritu particulari, iudicioque proprio, quod est fallibile, sufficit autem ad fallibilitatem, quod ex aliqua parte, v.g. proponentis, possit esse dubium de certitudine rei propositæ. Igitur est difficultas inter Theologos, an sufficiat ad veram Theologiam cognitio mysteriorum, & articulorum fidei, quæ sunt principia Theologica, habita per fidem humanam acquisitam, an verò desideretur habita per fidem infusam aut supernaturalem, ita vt illa semel deperdita, amittatur etiam habitus Theologicus.

gicus. Et quidem Gabriel Vasques asserit ad Theologiam, non requiri talem assensum fidei, sed quod sit scientia acquisita ex articulis humana fide creditis.

Sed contraria sententia est longè cõmunior & probabilior, scilicet doctrinam sacram, pro vt dicit habitum scientificum, qui versatur ex discursu circa cõclusiones deductas ex principijs fidei supponere debere illa credita fide infusa & supernaturali, ita vt nullo modo comparari possint inter se Theologia Catholica, & Theologia Hæretica, etiam in his quæ hæreticus non negat.

Deducitur assertio primo ex D. Augustino lib. 14. de Trinitate cap. 1. vbi loquendo de doctrina sacra, ait esse scientiam qua fides saluberrima gignitur, nutritur, & roboratur. Quælibet enim scientia superior qualis est Theologia quasi in duas partes diuiditur: altera est qua ex principijs deducit conclusiones: altera est præambula, qua videlicet reflectendo supra sua principia, explicat ea & tuetur per probationes saltem à posteriori, & hoc modo Theologia iuxta mentem D. Augustini loco statim citato habet gignere, nutrire, & roborare fidem, quam vocat D. Augustinus saluberrimam, sed hoc non potest competere fidei humanæ acquisitæ, ergo fides ex qua procedit Theologia & quam defendit, debet esse fides infusa, & supernaturalis, quæ sola saluberrima potest appellari.

Confirmatur hoc argumentum, quia si Theologia solùm inniteretur articulis fidei creditis humana fide, non posset efficaciter, imo neque aptè & congruenter, vt expedit Ecclesiæ nutrire, tueri, & roborare fidem, quod iniuriosum est Theologiæ, & Theologis, vt patet ex dictis sectione prima huius libri cap. 3. Sequela autem probatur, nam etiam hæretici possent adducere humana testimonia, & dicere fide acquisita se aliter assentiri veritatibus fidei, quam assentiantur Catholici, vt igitur Theologia nostra possit efficaciter procedere contra Hæreticos, & erudire Catholicos, necessarium est, quod habeat pro regula saltem mediata diuinam reuelationem fide supernaturali creditam, & ab Ecclesia propositam.

Dices quando fidelis Theologisat, plerumque non recordatur fidei infusæ, nec elicit actum illius, ergo Theologia fidelium non innititur fidei infusæ, sed acquisitæ solum.

Resp. primo, hoc argumentum esse valde inefficax, nam si quid probat, probat etiam, nec Theologiam inniti fidei humanæ, si quidem potest contingere quod aliquis non recordetur talis fidei, nec eliciat actum illius in Theologisando.

Secundo Respondetur, quod licet non semper actu credat fidelis fide supernaturali quando Theologisat, præsuppositiuè tamen, & virtualiter credit, quia ex adhæsione & certitudine in ipso manente, & relicta ex rebus per fidem infusam creditis procedit ad conclusiones, quod sufficit; si quis tamen nec actualiter nec præsuppositiuè fide infusa assentiretur articulis fidei, hoc ipso non procederet Theologicè, quia nec certò, nec infallibiliter, vt statim dicetur.

Deducitur secundo nostra conclusio ex D. Th. 1. parte q. 1. artic. 5. vbi comparans certitudinem doctrinę sacræ cum alijs scientijs dicit, *Quod aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ quæ potest errare, hæc autem certitudinem habet ex lumine diuinæ scientiæ quæ decipi non potest.* Ergò ratio formalis Theologię sumitur ex lumine diuino, habente talem certitudinē, quod errare non possit, hoc autem solùm competere potest fidei diuinæ infusę, non autem acquisitæ, quæ innititur principio, & motiuo fallibili, ergo non potest Theologia in illa fundari, nec procedere ex principijs sola fide humana creditis, sed fide infusa & supernaturali.

Confirmatur, Theologia est verus habitus scientificus, ergo debet esse certus, sed si procederet ex articulis fidei humana fide creditis non haberet cer-

certitudinem, si quidem fides humana est eiusdem rationis cum opinione,& essentialiter est incerta, quia innititur testimonio humano, quod est fallax, nam omnis homo mendax: igitur cum tota certitudo conclusionum desumatur ex principijs, non potest deduci ex principijs incertis, qualia sunt principia fide humana credita, conclusio aliqua certa qualis requiritur indispēsabiliter ad habitum scientificum, cuiusmodi est Doctrina Sacra, siue Theologia.

Dices Theologiam non esse quomodocunque scientiam, sed subalternatam scientiæ beatæ, ita vt fidem solum requirat pro statu in quo non continuatur suæ subalternanti; ergo fides non deseruit vt præbens principia per se Theologiæ, sed vt supponens illa, sicut etiam in alijs scientijs subalternatis quandiu non continuantur subalternantibus contingit, ad hoc autem sufficit quæcunque fides, quia sufficit præsupponi quod dentur talia principia, ergo non est necesse ad Theologiam ponere fidem infusam, sed sufficere potest illa fides, quæ præsupponat dari talia principia supernaturalia in superiori, scientia beatorum.

Resp. hoc argumentum tangere grauem illam difficultatem de continuatione scientiæ subalternatæ cum subalternante, quam D.Th. q.14. de veritate artic.9. ad 3. requirit dicendo, *quod ille qui habet scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum eius cognitio continuatur quodāmodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem*. Pro cuius doctrinæ intelligentia notandum est, quod quando aliquis intellectus elicit conclusionem ex præmissis acceptis ab aliqua scientia, vel intellectu superiori, quæ reipsa sunt certæ, & euidentes illi scientiæ, aut intellectui superiori, quadrupliciter intelligi potest continuari, seu vniri & copulari (quæ omnia dicuntur metaphoricè, & propterea D. Thomas loco citato addidit illam particulam quodam modo) intellectui & scientiæ superiori; primò per meram suppositionem, id est supponendo præmissas illas esse certas, & euidentes, etiam si ipsi nullo modo, nequidem probabiliter cōstet de talium præmissarum certitudine aut veritate, quomodo quilibet Philosophus Gentilis qui nullam fidei nostræ veritatum notitiam habet, iudicare posset de conclusione aliqua Theologica, si supponeret principia fidei ex quibus deducitur, esse certa & euidentia alicui intellectui, & hæc continuatio huius intellectus ad intellectū superiorē, non est sufficiens, ad hoc vt respectu intellectus inferioris, illa conclusio possit vocari sciētia imo neq; opinio absolutè: nam re vera hic nihil scit absolute aut opinatur. Secundò potest fieri continuatio ad scientiam vel intellectum superiorem, medio aliquo iudicio, quo intellectus inferior iudicat illas præmissas, ex quibus deducit conclusionem, esse certas,& euidentes, non quidem sibi, sed scientiæ superiori; sed iudicat hoc solum probabiliter, & opinatiuè, seu per fidem humanam: & hunc etiam continuationis modum intendimus nulla ratione sufficere, vt conclusio elicita ab intellectu inferiori possit dici verè,& propriè scientia, etiam si præmissæ sint certæ, & euidentes intellectui, aut scientiæ superiori; Ratio est ex dictis quia ad scientiā propriè dictam, desideratur ad minimū iudicium certum excludens formidinem oppositi, quod non potest contingere in casu nostro, nam licet illę præmissæ sint euidentes,& certæ scientiæ superiori, tamen respectu intellectus inferioris non sunt tales, vt supponitur, & quamuis iudicet illas esse certas & euidentes intellectui superiori, id etiam probabiliter solùm & opinatiuè iudicat, non potest igitur ex illis inferre certum & indubitatum conclusionis assensum, cū non possit conclusio esse magis vera & certa, quam sint præmissæ, à quibus deducitur in intellectu deducentis: vnde in scientia subalternata, Si Musicus v.g. quando infert ex principijs ab Arithmetica sumptis, aliquam conclusionem, solum probabiliter & opinatiuè iudicet

illa

illa principia esse vera, nullo modo talis conclusio habebit respectu sui intellectus rationem scientiæ, siue assensus scientifici, cum non sit certa, sed dubia sicuti & præmissæ.

Tertiò potest fieri continuatio intellectus inferioris ad superiorem, per iudicium certum & euidens, quo intellectus inferior, qui elicit conclusionem, certò & euidenter cognoscat illas præmissas esse veras, & euidentes in scientia superiori. Et hæc continuatio sufficit, vt conclusio elicita ab intellectu inferiori habeat veram rationem scientiæ; imo sine tali continuatione intellectus, aut scientiæ inferioris ad superiorem; existimant aliqui nullam cognitionem purè naturalem intellectus inferioris posse habere veram rationem scientiæ, cum in re merè naturali, non possit esse iudicium certum & infallibile quale ad habitum scientificum desideratur, sine euidentia aliqua, quam euidentiam tamen diuersimodè explicant Logici agendo de subalternatione scientiarum.

Quartò tandem & vltimo potest fieri continuatio per iudicium certum, sed nõ euidẽs, quo intellectus inferior certò cognoscat, & infallibiliter illa principia esse vera, & euidentia scientiæ superiori, licet ipse non habeat talium rerum euidentiam: & hoc peculiariter in fide diuina contingit, sicuti peculiare est illi, esse notitiam certam, & infallibilem, quamuis obscuram, & ineuidentem. Et hæc continuatio intellectus Theologi ad intellectum & scientiam Dei, & beatorum, per certum & indubitatum præmissarum assensum, licet obscurum & ineuidentem indispensabiliter requiritur ad hoc vt Theologia habeat veram & propriam rationem scientiæ.

Quare ad argumentum in forma. Resp. concesso antecedenti, & prima consequentia negando subsumptum, quia ad præsupponendum principia in scientia superiori euidenter nota, non sufficit quæcumque fides, aut credulitas, sed illa requiritur quæ excludat omnem formidinem oppositi, vndequaq; proueniat talis exclusio, siue ab experientia, siue à connotatione intellectus, vel scientiæ superioris, siue ab aliquo alio principio. Quod si scientia subalternata taliter præsupponat illa principia, vt æquè facile illa negare, vel affirmare possit, talis non habebit sciẽtiam, sed meram opinionem. Ille autem qui fide supernaturali non præsupponit principia Theologiæ, maximè si sit hæreticus, qui proprio arbitrio ducitur, & quædam principia recipit, & quædam non, & sic est dispositus, vt cætera etiam neget, si ita sibi videatur, taliter est affectus vt principia Theologica æque negare, vel affirmare possit, vnde talis caret scientia Theologiæ.

Ex dictis facile infertur resolutio illius difficultatis num habitus Theologiæ sit diuersus ab habitu fidei infusæ siue supernaturalis; cùm enim in omni doctrina, & disciplina discursiua habitus primorum principiorum & habitus conclusionum sint essentialiter, ac realiter diuersi vt docet D.Tho.in 3.distinct.23. q.1.art.4.quęstiuncula 3.ad 3.1.2.qu.51. art.2.ad 3.& alibi sæpè dum dicit habitum intellectus, seu primorum principiorum esse aliquo modo à natura, habitum verò scientiæ causari per discursum ex primis principijs vsque ad vltimas conclusiones, cum inquam tales habitus inter se distinguantur, & in doctrina sacra, quatenus est discursiua aut habitus scientificus, siue conclusionum, habitus fidei infusę, se habeat, vt habitus primorum principiorum valet consequentia quod habitus fidei de qua loquimur, sit alius realiter & essentialiter ab habitu Theologiæ. Quod adhuc probari posset ex diuersa ratione formali vtriusque habitus, & ex hoc quod habitus fidei diuinæ sit habitus supernaturalis & per se infusus, habitus verò Theologię sit naturalis & acquisitus, sed de primo iam sufficienter diximus sectione superiori cap.4. de secundo autem agetur infra.

Superest solùm vt explicemus quamdam authoritatem D.Tho. in 2. dist. 24.

qu.2.

qu.2. artic. 4. ad 6. Vbi expresse habet. *Quod non alius est habitus principiorum, & conclusionum quæ eliciuntur ab eis.* Quãuis enim ibi loquatur principaliter de conclusionibus, quæ versantur circa singularia, tamen vniuersaliter loquitur vt patet ex illa particula, *præcipuè*: ergò non bene colligitur ex hoc principio quod habitus Theologiæ & habitus fidei, sint habitus realiter, & essentialiter distincti, sed potius quod sint vnus & idem habitus.

Respondetur conclusionem aliquam dupliciter contineri posse in præmissa, seu principio aliquo; primo formaliter; secundo, virtualiter; formaliter contineri dicitur singulare, in vniuersali, vt pars in suo toto, v.g. in hoc principio vniuersali, omnis homo est rationalis, continetur hæc particularis hic homo, v.g. Petrus est rationalis, & in hoc vniuersali omne totum est maius sua parte continetur hoc singulare, nempè hoc totum est maius sua parte: Quando verò aliqua conclusio præcisè continetur in suo principio, vt effectus in causa, tunc dicitur contineri solum virtualiter, vt accidit ordinariè in alijs conclusionibus. Dicendum est igitur, quando conclusio formaliter continetur in suo principio, tunc non esse necessarium alium habitum ad assentiendum, principio, & conclusioni, si quidem per eumdem habitum intellectus, quo iudico, omne totum esse maius sua parte, iudicare etiam possum hoc totum particulare & determinatum esse maius sua parte, & sic de reliquis, quicquid sit an etiam per alium habitum possim assentiri eidem conclusioni; & hoc præsertim intendit D.Tho. loco citato dum ait, præcipuè eorum. *Quæ sunt circa singularia.* Quia tamen illa particula *præcipuè* non excludit alios casus; ideò dicendum est 2. prima principia complexa, de quibus est sermo, dupliciter considerari posse, primo vt veritates per se, & seorsim elicitæ, in quibus prædicatum & subiectum dicuntur habere immediatam connexionem; Secundo modò vt per artem syllogisticam dispòsita sunt illatiua conclusionum, atque adeo aliquo modo inclusa in conclusionibus, tanquam lumina specificantia, & consequenter obiecta formalia ipsarum: Si primo modo considerentur solum pertinent ad habitum principiorum, & nullo modo ad habitum conclusionis: Si secundo modo, sic spectant ad habitum scientificum, qui elicit actum conclusionis terminatum ad præmissas, vt ad obiectum formale, aut rationem formalem sub qua attingit suas conclusiones; sicuti color, & lumen vt obiectum specificans, dicuntur pertinere ad potentiam visiuam, & actum visionis; quamuis si considerentur vt sunt qualitates quædam productæ, pertineant ad suas causas naturales, à quibus producuntur, & præterea quia color non videtur, nisi sub lumine, & eodem actu omnino, siue tale lumen se habeat tamquam ratio sub qua potentiæ visiuæ, siue tanquam conditio, de quo disputant Philosophi, & parum refert ad nostrum institutum, ideo non pertinet ad aliam potentiam videre colorem, & videre lumen, quia ergo pariter eodem actu elicitur conclusio, & attinguntur præmissæ, vt rationes formales conclusionum, ideo vt sic ad eumdem habitum spectat elicere conclusionem, & attingere præmissas modo dicto consideratas; elicere autem illas per se & simpliciter, spectat non ad habitum scientiæ, sed intellectus, vt multis alijs in locis docet S.Doctor.

CAPVT II.

Quanta sit certitudo conclusionis Theologicæ sine definitione Ecclesiæ, vel cum illa.

PRo explicatione difficultatis notandum est primo conclusionẽ Theologicam posse considerari dupliciter, & vt explicatam præcisè, & vt deductam. Conclusio Theologica, vt explicata præcisè, est illa, quæ supponit quidem discursum Theologicum, sed vt conditionem solum, immediatè autem & per se inni-

innititur reuelationi diuinæ, ficuti funt v. g. articuli, aut prima principia fidei, fupra quæ Theologia reflectit, explicãdo illa, & ab aduerfarijs defendendo. At conclufionem deductam vocamus illam, quæ innititur difcurfui Theologico tanquam rationi formali, quæ conclufio deducta iterum poteft confiderari dupliciter, primo vt attingitur præcisè ex folo difcurfu naturali, fecundo vt vltra difcurfum adiungitur illi etiam definitio Ecclefiæ. V. g. in hoc difcurfu Theologico, in quo ex duplici natura, in Chrifto Domino infertur duplex voluntas, hæc veritas complexa, fiue propofitio quod in Chrifto fit duplex voluntas poteft dupliciter confiderari, primo formaliter, vt conclufio eft præcisè, fecundo veluti materialiter, quatenus præfcindendo ab eo, quod inferatur ex illis præmiffis, fuit definita ab Ecclefia contra Hæreticos Monothelitas.

Secundò notandum eft Conclufionem aliquam Theologicam dupliciter deduci poffe, vel ex vna de fide diuina, & altera naturali per confequentiam naturalem, vel fecundò ex ambabus de fide.

Tertio notandum eft certitudinem, quã definit D.Th. in 3.dift.23.quæft.2. art.2.q.3. per firmitatem, feu determinationem intellectus ad vnum, effe in triplici differentia. Prima dicitur obiectiua ex parte rei. Secunda formalis ex parte intellectus. Tertia fubiectiua ex parte fubiecti. Quibus addunt aliqui quartam quam vocant participatiuam ex parte voluntatis. Certitudo igitur feu firmitas obiectiua eft neceffitas, feu immutabilitas quædam ex parte obiecti, excludens fallibilitatem, & contingentiam, illud enim obiectum dicitur effe certum & firmum in fe, quod habet caufas firmas, & infallibiles fuæ entitatis, & veritatis, ita vt aliquid fit magis vel minus certum, penes caufas maioris, vel minoris infallibilitatis, fiue illæ caufæ fint ab intrinfeco, fiue ab extrinfeco.

Secunda certitudo, quæ dicitur formalis, confiftit in actu intellectus, eftque firma adhæfio ipfius ad fuum cognofcibile, qui actus cum tangat obiectum ex vna parte, & ex alia determinet & afficiat fubiectum intelligens, dupliciter confiderari poteft; vt eft enim medium feu ratio attingendi obiectum, certitudo actus importat infallibilitatẽ, & excludit contingentiam, quæ defumitur ab obiecto; pro vt vero fubiectum afficit, excludit dubitationem & hæfitationem, quod maximè fit quando certitudo fundatur in euidentia rei, nam euidentia eft conformis intellectui, & intra proprios terminos illum determinat, & inhærere facit: ficque tertia certitudo, quam fubiectiuam vocauimus, per ordinem ad fubiectum, nihil eft aliud quã certitudo in actu fecundum aliquas circumftantias, quæ fumuntur ex aliqua maiori proportione, quam habet cum fubiecto in quo reperitur. Quarta vero certitudo quam participatã vocauimus, quæ ex parte voluntatis fe tenet, excludit inconftantiam, vel timiditatem, & maximè fpectat ad fiduciam, qua voluntas conftanter rem aliquam aggreditur, quo pacto fpes diuina eft certiffima, non certitudine cognitionis de ipfo euentu futuro confequendæ beatitudinis, fi quidem nullus de hoc certitudinem habere poteft extra reuelationem à Deo factam, & tamen de hoc certiffimam habet fpem quantum ad certitudinem voluntatis practicam, quæ eft certitudo conftantiæ, vt fine timiditate vel inconftantia aggrediatur quis æternam beatitudinem, non propter virtutem, aut vires proprias, fed propter diuini auxilij infallibilitatem ex parte Dei. Spes enim refpicit ipfum fummum bonum fruendum (fcilicet Deum, vt arduum, fumendo ly arduum, non folum paffiuè pro eo, quod in fe eft valde excellens, feu fuperans noftram facultatem, fed etiam actiuè pro eo quod eft vincens difficultatem, & arduitatem, quod eft Deus vt adiuuans, & auxilians; ficque fpes dicitur habere in viatoribus certitudinem fecuritatis ex parte auxilij diuini, non certitudinem euentus futuri ex parte fubiecti

biecti sperantis, vt fusius explicāt Theologi 22. in materia de spe. his suppositis.

Dicendum est primò conclusiones Theologicas deductas, vel ex ambabus præmissis de fide diuina, vel ex vna de fide diuina & altera naturali per euidentem consequentiam, non esse tantæ certitudinis formalis, atque propositiones ab Ecclesia immediatè definitæ. Hæc conclusio est communis inter Theologos aduersus Ludouicum Molinam 1. parte, quæst. 1. art. 2. d. 1. & Gabrielem Vasques ibidem disput. 5. cap. 3. tacite approbantē, quod demonstratio Theologica, perinde se habet ipsi Theologo demonstranti, sicut Concilium, cum de fide aliquid esse declarat, se habet toti Ecclesiæ. Solum est differentia, quod Concilium id, quod definit, omnibus proponit credendum, ita vt omnes credere teneantur. Ratio verò Theologica illis solum proponit, quibus est euidens consequentia ex articulis fidei. Verum ista sententia si illæ dictiones, perindè & non secùs, ita accipiantur, vt denotent omnimodam æqualitatem, nō verò proportionalem solum conuenientiam, est omnino falsa, & sequentibus rationibus efficaciter impugnari potest.

Nam certitudo quæ habetur solùm per consequentiam & discursum ex articulis fidei, secundum hoc semper est inferior certitudine ipsa immediata fidei, tùm quia participata est à principijs fidei, & sic minor illa tanquam quid participatum: tum etiam quia discursus ipse innititur regulis syllogisticis, de quibus solo naturali lumine certificamur, vnde certitudo pendens à tali discursu aliquid minus habere debet quā certitudo immediata fidei, vt per se patet. At certitudo conclusionis Theologicæ vt deductæ præcisè, comparata ad certitudinem propositionis immediatè ab Ecclesia definitæ, se habet solum sicut certitudo, quæ habetur per consequentiam & discursum ex articulis fidei; certitudo verò propositionis definitæ ab Ecclesia, tanquam certitudo immediata fidei, ergò certitudo conclusionis demonstratæ in Theologia est inferior certitudini propositionis ab Ecclesia definitæ; atque adeò conclusiones Theologicæ præcisè deductæ non sunt de fide.

Minor in qua est difficultas Probatur præsupponendo breuiter duo ex his, quæ libro tertio fusius à nobis explicabuntur circa authoritatem Ecclesiæ: Primum esse in Ecclesia authoritatem infallibilem ex speciali assistentia Spiritus sancti, ad declarandas, & definiendas res fidei, quæ antea definitæ non erant. Secundum est Ecclesiam vel posse definire veritates ipsas, quæ antè per discursum, & euidentem consequentiā inferebantur, vel posse solùm approbare, & acceptare aliquam consequentiā, seu discursum tanquam legitimum, ac rebus fidei conformiorem, & tunc Ecclesia non procedit definitiuè, nec declarat rem aliquam esse de fide, sed approbat solum, id quod in tali materia à Theologis discurritur, vel tanquam probabilius acceptat. Igitur quando dicimus in minori quod propositio definita ab Ecclesia sit certa certitudine immediata fidei, ita vt fideles omnes per habitum fidei immediatè assentiantur eiusmodi propositionibus, debet intelligi in illo casu quo Ecclesia definitiuè procedit ad declarandas res fidei. Sicque intellecta Minor colligitur manifestè ex D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 3. vbi hæc habet: *Formale obiectum fidei est veritas prima secundū quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima: vndè quicumque non inhæret, sicut infallibili & diuinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, ille non habet habitum fidei &c.* Igitur ex D. Thom. obiectum immediatum, circa quod versatur habitus fidei, est omnis veritas reuelata à Deo in scripturis sacris, & in doctrina Ecclesiæ, atque adeo omnis propositio immediatè definita ab Ecclesia pertinere debet immediatè ad habitum fidei.

Deinde probatur ratione eadem

Minor, quia veritates ab Ecclesia definitæ tanquam de fide proponuntur omnibus vt credantur, ita vt qui illas negarent, essent hæretici directè & formaliter, vt cóstat ex Concilio Constant. post sess. 45. in condemnatione articulorum Ioãnis Hus, & ex definitione Leonis X. contra Lutherum art. 28. Ergo tales veritates immediatè sunt de fide. Consequentia est manifesta, cum enim hæresis sit error pertinax circa ea quæ sunt de fide diuina, sequitur apertè, quod si negantes propositiones ab Ecclesia definitas sunt formaliter hæretici, sequitur inquam, quod huiusmodi propositiones sint immediatè de fide diuina.

Confirmatur, illæ propositiones definitæ proponuntur omnibus, & omnes fideles illis assentiuntur: sed non est signabile aliud lumen in omnibus, per quod assentiantur immediatè illis propositionibus, præter lumen fidei, ergo pertinent ad fidem, & oppositæ ad hæresim.

Obijcies contra dicta, illud solum pertinere ad fidem immediatè quod est reuelatum à Deo, sed propositiones de quibus loquimur, non sunt immediatè reuelatæ à Deo, sed solum ab Ecclesia declaratæ deducendo illas per discursũ, ergo non attinguntur immediatè per fidem, sed mediatè solùm, vt conclusiones Theologicæ.

Resp. ad hoc argumentum concedendo Maiorem, verum est enim nihil immediatè pertinere ad fidem, nec Ecclesiam vnquam proponere aliquid tanquam tale, quin sit immediatè reuelatũ à Deo vel explicitè vel implicitè. Sed neganda est minor, propositiones videlicet ab Ecclesia definitas, vt pertinẽtes ad fidem, non esse immediatè reuelatas à Deo. Nam quamuis in definitionibus Ecclesiæ prærequiratur Theologici discursus, & disputationes diligentissimæ, quæ per multas cõsequentias & illationes fiunt, sicut Apostoli ad definiendũ legalia non esse obseruanda magnã conquisitionem, seu disputationem fecerũt actuum 15. tamen cùm venitur ad definitionem, discursus ipse, & disputatio humano modo facta, non est ratio definiendi, & credendi, nec ponitur in decreto definitionis, quia sic disputatum est, sed quia visum est Spiritui sancto, qui illam veritatem primo dixit, & postea manifestauit immediatè contineri in scriptura, vel traditione, non per nouam reuelationem, sed per nouam manifestationem reuelationis anteà factæ, ad quod habet Ecclesia assistentiam infallibilem Spiritus sancti: vnde fideles, quando assentiuntur illi veritati, vt definitæ ab Ecclesia, non assentiuntur ex vi discursus, aut disputationis Theologicæ, sed ex ipso testimonio diuino, quia sic visum est Spiritui sancto, & Ecclesiæ proponenti, cuius Authoritate veritas immediatè reuelata transit ab occulta ad manifestam quo ad nos. Possunt tamen etiam fideles discursum illum formare, quo primo deducta est illa veritas, modo Theologico, & tunc non assentiuntur illi vt definitæ, sed vt illatæ Theologicè.

Vndè colligendum est primò quod circa aliquem articulum fidei, possunt esse duo assensus, vnus assensus fidei, quatenus nititur immediatè diuinæ authoritati reuelanti, & Ecclesiæ proponenti, & vt sic formaliter pertinet ad fidem, quatenus verò nititur diuinæ reuelationi mediatè, vt sic, est formaliter conclusio Theologica, & materialiter articulus, aut principium fidei. Et ita, licet loquendo de certitudine obiectiua, seu materiali, tanta possit esse certitudo alicuius conclusionis Theologicæ, quãta articuli fidei, aut alicuius propositionis ab Ecclesia definitæ, si quidem potest contingere vt aliqua cõclusio Theologica sit alias articulus fidei, tamen loquendo de certitudine formali, conclusio Theologica purè deducta nunquam potest pertingere ad certitudinem articuli fidei, siue propositionis ab Ecclesia definitæ, dixi, conclusio Theologica purè deducta, nam de conclusione simpliciter explicata, est alia ratio, vt videbimus infra.

Colli-

Colligendum est secundò, quod in veritatibus fidei potest aliquid contineri virtualiter dupliciter. Vno modò virtualiter illatiuè tantùm, & hoc pertinet ad Theologiam, quæ habet pro obiecto illata ex veritatibus fidei, seu quod idem est, virtualiter, & mediatè reuelata. Alio modo virtualiter implicitè, id est quæ in re reuelata sunt, & intenta à Spiritu Sancto, sed nobis occulta, & hæc potest definire, & declarare Ecclesia, tanquam ad fidem immediatè pertinentia ex speciali instinctu, & assistentia Spiritus sancti, qui instinctus est quid imperfectum in genere prophetiæ, quatenus à Spiritu Sancto mens aut lingua Ecclesię ità mouetur, vt non semper illuminetur ad intelligendum id ad quod mouetur, vt docet D. Th. in Ioann. cap. 9. lect. 7. & 2. 2. q. 173. art. 4.

Dicendum est secundo propositiones ab Ecclesia definitas, modo superiori conclusione explicato, posse esse principia in Theologicis discursibus. Hæc assertio per euidentem consequentiam deducitur ex præcedenti, nam si definitiones Ecclesiæ circa res fidei sunt immediatè de fide, manifestè patet quod sunt principia sciẽtiæ Theologicæ, quæ habet pro habitu primorum principiorum fidem infusam, aut supernaturalem. Vnde non est quod amplius in hoc probando immoremur, suppositis dictis in hoc, & superiori capite.

Dicendum est tertio, Theologum fidelem non assentiri, propositionibus in Theologia demonstratis, antequam ab Ecclesia definiantur, per habitũ fidei formaliter & immediatè, sed per aliud lumen inferius, & illi subordinatum, per habitum scilicet, & assensum Theologicum. Ista conclusio sequitur pariter ex dictis, si quidem assensus, qui habetur per consequentiam, & discursum non est immediate assensus fidei, nàm fides nulli humano discursui innititur, sed testimonio Spiritus Sancti, & non, quia sic nobis sequi videtur, sed quia sic visum est Spiritui Sancto, vt dicitur actor. 15. At assensus Theologicus, est assensus qui innititur discursui, & consequentiæ, quia sic nobis videtur, ergo non potest elici formaliter & immediatè ab habitu fidei, sed ab aliquo alio illi subordinato, & ex illo deducto, quem habitum Theologicum appellamus.

Obijcies quarto si quis negaret conclusiones Theologicas, re verà esset hæreticus, ergò signum est manifestum quod Theologus fidelis assentitur conclusionibus suis per habitum fidei.

Resp. ad hoc argumentum, dupliciter contingere posse, quod aliquis negęt prædictas conclusiones; primò quia existimat illas non sequi ex illis pręmissis, non enim cuilibet facile apparet, quid implicitè contineatur in præmissis, sicuti continentur conclusiones, vnde in his diuersæ opiniones sustinentur, & in hoc casu negans conclusiones Theologicas, non erit hæreticus, donec interposita authoritate Ecclesiæ contrarium determinantis, ipse resistat, & neget talem authoritatem, sic enim erit formaliter hæreticus. Secundo potest contingere, vt aliquis neget conclusionem Theologicam, etiam si concedat illam euidenter sequi ex illis præmissis de fide, & in hoc casu, illa negatio adhuc non pertinet immediatè ad hæresim, sed est solummodo error, seu propositio erronea, mediatè tamen vehemens suspicio est, quod ille sit hæreticus, maximè si neget conclusionẽ in syllogismo constante ex duabus præmissis de fide, vt potè negans aliquam ex eiusmodi præmissis, cum falsum non possit sequi nisi ex falso, nec præsumatur quis negare id quod est euidens sibi, sed id quod est fidei, & sic contrà illum, vt taliter suspectum, posset Ecclesia procedere.

Dicendum est quartò conclusionem Theologicam, vt explicatam, esse de fide. Hæc conclusio est communis inter Theologos, patetque ex ipsa differentia inter conclusionem Theologicam, vt deductam, & vt explicatam, superius assignata; quod conclusio Theologica, vt explicata, non innititur discursui tanquam rationi formali assentiendi, sicut

conclusio deducta, sed tantum illum prærequirit tanquam conditionem applicantem, & explicantem, & ideo non impedit quominus assensus huiusmodi conclusionis sit immediatè de fide, & ipsa conclusio sit aliquando principium immediatum indemonstrabile, quia tales discursus explicatiui non procedunt per causam, sed solùm continent explicationem terminorum, suntque discursus in actu signato, & non in actu exercito, sicut quando dicitur, quod Deus dixit, est de fide diuina, sed Deus dixit Christum resurrexisse, ad cælos ascendisse &c. ergo resurrectio Christi, vel ascensio Christi est vera, vel de fide diuina, & sic de alijs; tales discursus solùm explicant in actu signato, id quod ipsa certitudo fidei in actu exercito facit, sed de his consulendi sunt Theologi 22. in materiâ de fide, vbi explicant quomodo generetur in nobis per huiusmodi syllogismos, aut discursus fides diuina & supernaturalis, superest solùm, vt aliquas assignemus regulas ad iudicandum, quænam explicatio sit sufficiens, quænam verò non ad hoc vt aliqua propositio sic explicata dicatur esse propositio de fide, vel non.

Primò quando præmissa, seu propositio naturalis coassumpta cum propositione fidei in aliquo syllogismo, distinctè explicat per definitionem subiectum quod continetur confusè in propositione de fide, tunc propositio seu conclusio sic explicata dicitur esse de fide; vt cum illi propositioni *Filius Dei est homo*, accedit propositio ista, *homo est animal rationale*, & infertur *ergo filius Dei, est animal rationale*; aut cum dicitur, *omnis homo est animal rationale, aut constat ex anima & corpore, Christus est homo, ergo Christus est animal rationale, vel constat anima, & corpore*.

Secundò propositio, seu conclusio vt explicata, est de fide quotiescumque in ipsâ prædicantur de subiecto, prædicata aliqua superiora, quibus essentialiter subordinatur medium aliquod secundum fidem subiecto conueniens, vt in hoc syllogismo, *omnis homo est substantia, vel viuens, Christus est homo, ergo Christus est substantia, vel viuens*; vbi rationes substantiæ, & viuentis sunt rationes essentialiter superiores ad hominem, qui in hoc syllogismo est medius terminus, & secundum fidem prædicatur de subiecto, nimirū de Christo.

Tertiò conclusio vt explicata pertinet ad fidem, quando terminus alicuius correlatiui explicatur, vt si huic propositioni de fide, *Verbum in diuinis est filius*, coassumatur altera naturalis, *ex patre aliquis filius dicitur, vel ad patrem dicit ordinem*, & inferatur *ergo etiam in diuinis est pater*.

Quartò conclusiones Theologicæ vt explicatæ per præmissam naturalem sūt de fide, quando talis præmissa explicat aliquod materiale, aut particulare, quod continetur sub formali & vniuersali termino propositionis de Fide: vt cum illis propositionibus *Christus pro omnibus hominibus mortuus est*, vel, *omnis homo, est à Christo redemptus*, adiunguntur naturales propositiones *Paulus est homo, Petrus est homo*, & postea infertur *ergò Christus est mortuus pro Petro, & Paulo*, vel, *Petrus & Paulus sūt à Christo redēpti*.

Quintò conclusiones vt explicatæ dicuntur esse de fide; quando præmissa naturalis ad earū explicationem assumpta, formaliter aliquid explicat, quod implicitè & virtualiter cōtinetur in propositione de fide, itâ vt præmissa naturalis addat aliquid supra medium terminum tanquam effectum, aut proprietatem. At cum eiusmodi effectus, seu proprietates additæ, sint in duplici differentia, aliquæ enim sunt inimpedibiles, & ita necessario adduntur, vt oppositum implicet contradictionem, sicut cum illi propositioni *Filius Dei, vel Christus est homo*, additur illa, *omnis homo habet potentiam intellectiuam, & volitiuam*; aliæ vero sunt impedibiles, quia licet dicant necessariam connexionem, regulariter quidem inseparabilem, nihilominus separari possunt per diuinam potentiam, vt cum eidem propositioni

Filius

Filius Dei, vel Christus est homo, additur illa *omnis homo habet quattuor humores*, *vel eget cibo, & potu ad nutrimentum, &c.* est difficultas inter Theologos cuiusnã effectus, aut proprietatis additio sufficiat, vt conclusio per eam explicata dicatur esse de fide; aliqui respondent sufficere, quod vno, vel alio modo fiat, & ita secundum ipsos, inter eas propositiones quæ sufficienter aliquam propositionem explicant vt tenendam de fide, enumeranda est ea, quæ explicat formaliter, quod contiuebatur virtualiter in propositione de fide, ita vt præmissa naturalis addat aliquid supra medium terminum, tanquam effectum, siue impedibilem, siue inimpedibilem, supra causam vel realem, vel virtualem. Ita Albertinus.

Verum alij dicunt hoc non sufficere, sed requiri quod talis explicatio fiat, addendo medio termino aliquem effectum, seu proprietatem inseparabilem, quia connexio quæ est inter effectum, aut proprietatem separabilem, & eius principium, non est talis necessitatis, quæ sufficiat ad credendum, quod si reuelatum est principium alicui competere, etiam sit reuelatum proprietatem conuenire, cum possit eam Deus à suo fonte separare, vel impedire ne fluat, ita exigente aliqua rerum conditione nobis ignota, vndè apud illos Doctores, conclusiones explicatæ per eiusmodi propositiones præcisè non sunt de fide, nisi accedat definitio Ecclesiæ.

Sextò in propositione naturali coassumptà cum propositione de fide ad explicandam aliquam conclusionem; vt talis conclusio per illas explicata dicatur esse de fide, non requiritur secundũ aliquos in propositione naturali necessitas naturalis, seu quod idem est certitudo tanta, vt non possit ei subesse falsum, sed in aliquo casu potest sufficere moralis, vt in his argumentis, *omnis homo legitimè, & canonicè electus ad Thronum Petri, est Summus Pontifex, sed Alexander VII. sub cuius felici pontificatu hæc scribo, fuit legitimà, & canonicà electione promotus ad Thronum Petri; ergo Alexander VII. est summus pontifex*, similiter, *omne Concilium legitimè congregatũ, & à summo pontifice confirmatum est infallibilis authoritatis in fide, sed Concilium Nicænum v.g. aut Tridentinum sunt Concilia legitime congregata, & authoritate summorum pontificum firmata, ergo sunt infallibilis veritatis*; vbi conclusiones explicatæ, quod Alexander VII. sit summus pontifex, Concilium Nicenũ, aut Tridentinum sint infallibilis authoritatis, sunt propositiones de fide, & tamen in sui explicatione depẽdent, à propositionibus solũ moraliter certis, quia quòd huius hominis nempe Alexandri Septimi electio fuerit canonica, & huius Concilij congregatio fuerit legitima, videtur humano solum inniti testimonio, quia id testantur Historici v. g. &c. Nullum enim videtur esse inconueniẽs, quod ad conclusionem vt explicatam de fide, sufficiat propositio explicans moraliter solum certa, cum talis propositio concurrat etiam solum ad conclusionem explicatam, vt conditio applicans obiectum, & non vt influens certitudinem in conclusionem, vt dicetur in fine huius capitis. Nomine autem certitudinis moralis, solet illa intelligi, quæ excludit simpliciter omnem dubitationem, & formidinem, & fermè intellectum non proteruientem conuincit, v.g. quod sint Antipodes, quamuis non excludat omnem causam rationabilem dubitandi.

Nihilominus alij Doctores contendunt, præmissam naturalem, vel moralem subsumptam propositioni fidei debere esse ita necessariam, & certam, vt illi non possit subesse falsum, ad hoc vt conclusio per illã explicata dicatur pertinere ad fidem. Alias omnes istæ conclusiones, *Petrus est rite baptizatus, iste puer est in gratia, corpus Dominicum est sub hac hostia, hic homo est in gratia*, & aliæ plures eiusmodi essent propositiones de fide; syllogisando sic, *quotiescumque adhibetur alicui materia & forma sacramenti baptismi, cum debita intentione*; toties

toties aliquis dicitur ritè baptizatus; sed Petro v. g. fuit ita factum, ergo Petrus est ritè baptizatus; rursus *omnis ritè baptisatus est in gratia*, *iste puer*, signato Petro, vel alio, *est ritè baptizatus, ergo iste puer est in gratia*; tertiò, *ad hoc vt corpus Dominicum dicatur esse sub hostia aliqua, nihil aliud requiritur nisi quod sit ritè cõsecrata, sed hæc hostia, v. g. consecrata à summo Pontifice est ritè consecrata, ergò corpus Dominicum est sub hac hostia*. Vltimò, *omnis contritus est in gratia, hic homo est contritus, ergo hic homo est in gratia*; in omnibus enim argumentis iam factis, propositioni de fide, subsumitur alia, quæ potest esse certa moraliter. Cum igitur conclusiones sic explicatæ non sint de fide, signum est manifestum non sufficere certitudinem moralẽ præcisè, ad hoc vt conclusio per illam explicata dicatur esse de fide, sed hoc aliũde prouenire debere. Per quod facile respondetur ad argumenta pro prima sentẽtia facta, propositio enim illa quod Concilium Nicænum, aut Tridentinum fuerit legitimè congregatum, non solum habetur ex testificatione humana moraliter certa, sed ex testificatione Ecclesiæ illa recipientis, vnde non est mirum si conclusio per illam explicata sit de fide, nimirum quod sint infallibilis authoritatis.

Similiter supposito quod hæc propositio sit de fide, quod hic numero homo, Alexander v. g. VII. sit summus Pontifex, saltem per se secundò, vt lib. 3. declarabitur; dico quod propositio illa per quam explicatur non est propositio purè contingens, aut solam certitudinẽ moralem habens. Quamuis enim sit propositio contingens, quod eius electio fuerit canonica, absolutè, & secundum se; tamen in ordine ad diuinam prouidentiam, quamdam necessitatem induit ex suppositione, quæ à posteriori colligitur, ex eo quod vt talis receptus sit, & habitus ab Ecclesia, hinc enim sequitur electionem illam canonicã fuisse, ac legitimam, vt infra lib. 3. sect. 4. Deo dante explicabitur.

Vel secundò potest dici, quod quotiescumque, vniuersalis aliqua propositio est de fide, singulares etiam spectant ad fidem, quando illa vniuersalis propter particulares reuelatur, vt cum reuelatur, quod omnis homo sit à Christo redemptus, talis reuelatio est propter has singulares, Petrus est redemptus, Paulus est redemptus, Ioannes est redemptus, & sic de cæteris. Et sic cum hæc propositio vniuersalis, omnis homo legitimè electus ad Thronum Petri, est summus Pontifex, primario reuelata esse videatur propter particulares contingentes, nec enim ob alium finem reuelata est, nisi vt hic, vel ille Pontifex pro legitimo habeatur, & ita certi fiant fideles, de regula fidei indiuidua & signata, qualis est authoritas huius summi Pontificis definientis; quæcumque propositio vel naturalis, vel moralis rali propositioni vniuersali de fide subsumatur, semper conclusio explicata erit de fide. Quæ tamen doctrina non currit pro conclusionibus in secunda sententia allatis, quia quando reuelata est vniuersalis illa propositio, omnis contritus, aut omnis ritè baptizatus est in gratia, & sic de alijs, non est reuelata propter particulares contingentes, non enim primariò, & propter hunc finem reuelata est, vt ego credam me, aut alium esse in gratia, sed vt absolutè credatur quod omnis contritus, aut omnis ritè baptizatus sit in gratia, & ita conclusiones per illas propositiones particulares explicatæ non videntur posse habere maiorem certitudinem, quam habeant propositiones naturales; si quidem non participant suam certitudinem immediatè ab illa propositione vniuersali fidei, sed solum mediante propositione naturali.

Itaque concurrentibus supra assignatis regulis conclusio explicata semper erit propositio de fide, secundum communem Theologorum sententiam, cui minimè aduersantur alij doctores existimantes esse cõclusionem Theologicam, loquuntur enim solum de ea pro vt de-

ducta,

ducta, & veluti in genere causæ efficientis ad præmissas ordinata, enim verò sicut in scientijs naturalibus præmissæ dupliciter intelligi possunt esse causa conclusionum. Vno modo quasi in genere causæ materialis, in quantum termini qui sunt materia præmissarum, sunt etiam materia conclusionis, licet non vt stant sub forma præmissarum. Altero modo in genere causæ efficientis, id est secundum quod sub tali forma existunt, habentque virtutem conclusionum illatiuam. Ita & in sacra doctrina se habet vt explicuimus suprà. Si considerentur ergo præmissæ Theologicæ, vt sub tali forma existunt, comparanturque ad conclusiones vt principium, & causa effectiua earum, sic tales conclusiones non sunt de fide, sed habitu Theologico illis assentimur, at si considerentur veluti in genere causæ materialis, tunc conclusiones ex illis elicitæ concurrentibus regulis iam dictis pertinent ad fidem, dicunturque explicatæ; ratio est, quia discursus ille naturalis, qui tunc interuenit non se habet, vt ratio formalis assentiendi influens certitudinem in conclusionem, sed solum, quæ in præmissis cum medio connectebantur, maior, scilicet & minor extremitas, sine medio termino ad inuicem coniunguntur in cõclusione, ita vt naturalis discursus, qui talem connexionem facit apparere, solummodò se habeat vt conditio merè extrinseca, qualis est v. g. approximatio respectu combustibilis, vt conclusio non sit deducta, sed potius explicata, & sic facta deductione, & explicatione per discursum, intellectus spreto priori assensu qui nitebatur deductione, adductit conclusionem niti firmiori motiuo quam discursu, nempè diuina authoritate propter quam elicit assensum supernaturalem.

CAPVT III.

Quod Sacra doctrina certitudine superet quemlibet alium habitum intellectualem purè naturalem.

PRo intelligentia difficultatis 1. recolenda est diuisio superiori capite allata, certitudinis in formalem, obiectiuam & subiectiuam, quam diuisionem explicant alij per *certitudinem secundum se*, & *quo ad nos*; ita vt nomine certitudinis *secundum se* intelligatur illa, quæ se tenet ex parte actus, seu assensus, seu ex parte cognitionis aut intellectionis, quia scilicet attenta natura actus, ex suo obiecto formali, est talis actus, vt non solum non admittat actualem formidinem, sed nec etiam potentialẽ, sic enim perfectè & absolutè determinat intellectum ad vnum tantum. At nomine certitudinis *quo ad nos*, intelligitur illa quæ se tenet ex parte operantis, seu ex parte intelligentis, alicui actui firmiter, & stabiliter adhærentis; quæ firma adhæsio ex duplici causa potest originem habere, vel ab intrinseco, nempe ex ipsa natura, & vi luminis intellectualis creati, quod, posito aliquo obiecto sibi proportionato & connaturali, per se cognoscibili certò, & euidenter, necessitatur ad eius assensum, si nullum adsit impedimentum; vel ab extrinseco, nempè ex imperio voluntatis, aliquando quidem cum virtute, videlicet cum aliqua rationabilis causa occurrit, cur voluntas, in rebus citra euidentiam, & in quibus potest intellectus moueri, & determinari per voluntatem, possit hoc modo inclinare intellectum ad talem actum eliciendum, & non aliũ, siue quo ad exercitium, siue etiam quo ad speciem actus, & hoc semper, & firmiter; sicut contingit in actu fidei diuinæ, vnde dicitur intellectus captiuari in obsequium ipsius; aliquando vero cum vitio, quandò scilicet nulla est rationabilis causa id faciendi, & tunc talis firmitas dicitur pertinacia, vt accidit in hæretico suis opinioni-

nionibus pertinaciter adhærente.

Secundò notandum est, quando dicitur doctrinam sacram superare certitudine quemcumque alium habitum intellectualem purè naturalem non esse sermonem de perfectione propriè intensiua certitudinis, quæ sumitur à pluralitate graduum in actu cognitionis, sic enim plerumque potest contingere, vt actus scientię, sit ipsamet fide certior siue maiori certitudinis intensione perfectior, sicut, si quis eliceret actum scientię intensum vt sex, & actum fidei vt vnum, maior esset proculdubio certitudo intēsiuè in actu illo scientiæ in sua specie, quàm in actu fidei in sua; sed loquimur tantum de certitudine specifica & essentiali cuiuscumque actus, quę non desumitur à pluralitate graduum intensiuorum, sed ex ipsa essentiali differentia, & modo tendendi actus in suum obiectum materiale & formale, ita vt sensus sit, quod assensus Theologicus maiori certitudine, & infallibilitate tendat in suum obiectum, quàm actus cuiuscumque naturalis cognitionis in suum; & hoc ex ipsa essentia, & natura, seu quidditate talium actuum, quamuis enim certitudo, & infallibilitas perfecta, seu metaphysica, de qua modo loquimur, consistat aliquo modo in indiuisibili ratione negationis fallibilitatis, quam includit, tamen quia talis certitudo non est pura negatio, sed aliquid positiuum, connotans solùm in obliquo negationem, hinc est vt reipsa, possit esse maior, & minor non solum quo ad gradus intensionis, sed etiam quoad essentiales differentias perfectiores, & perfectiores, suppositas à prędicta negatione. His breuiter prę notatis.

Dicendum est primò doctrinam sacram in conclusionibus scientificis, quas resoluit in principia reuelata esse certiorem, ex parte suæ rationis formalis, seu certitudine se tenente ex parte actus, aut assensus, quacumque alia cognitione naturali, etiam primorum principiorum. Hæc assertio est communis inter Theologos, videturque colligi ex scriptura: 2. Petri 1. *Hanc vocem nos audiuimus &c. Habemus firmiorem propheticum sermonem &c.* Vbi assensus fidei, quo creditur prophetis, dicitur esse firmior, siue certior ipsa naturali euidentia vocis quam audiuit. Et ad Rom. 4. vbi cum dicitur, de Abraham. *Quod in spem contra spem credidisset, nec considerauit corpus suum emortuum*, manifestè ostenditur fidem ei contulisse maiorem certitudinem, quam illi tribueret naturalis euidentia, de sua & vxoris Saræ impotentia ad generandum.

Ex his igitur authoritatibus & similibus deduci potest ratio fundamentalis nostræ conclusionis. Nam assensus fidei diuinæ, qui sunt veluti prima principia in Theologia, secundum se, & ratione sui esse, certiores sunt quibuscumque alijs assensibus intellectualibus, etiam primorum principiorum, ergo etiam assensus conclusionum Theologicarum, quæ per euidentem consequentiam deducuntur ex illis, sunt certiores quibuscumque alijs assēsibus intellectualibus, pro vt certitudo dicit firmitatem assensus, ex parte actus, seu ipsius assensus. Consequentia patet, quia vt aliquis assensus sit certus, sufficit quod eius certitudo sit euidenter & certò deducta ex principijs certis, ergo vt sit certior, sufficit quod per eamdem euidentem consequentiā sit deducta ex principijs certioribus, si quidē præmissæ naturaliter determinant, & quantum possunt ad assensum conclusionis, quare si præmissę sunt certiores, & conclusio erit certior per se loquendo, certitudo enim conclusionis tota oritur ex certitudine præmissarum vt habet D. Tho. q. 11. de veritate, art. 1. ad 13. & 17.

Quod autem assensus fidei diuinæ, sint certiores secundum se, seu quo ad certitudinem perfectiores omnibus alijs assensibus iam probauimus authoritatibus Sacræ Scripturæ, potestque adhuc sequenti ratione efficaciter confirmari: Nam ille habitus secundum se est certior omni alio, qui innititur rationi, & causæ formali infallibiliori: talis autem est

est habitus fidei, comparatiuè ad omnes habitus naturales creatos, nam tota firmitas, & certitudo habitus aut actus naturalis, vltimatè innititur ipsi virtuti, & perfectioni luminis naturalis, in tantum enim intellectus certò iudicat aliqua obiecta esse vera, in quantum ex se habet proportionem ad veritatem illorum, at vero in habitu, aut assensu fidei longè perfectiori modo se habet intellectus, iudicat enim res fidei esse veras non innixus suo naturali lumini (quãuis tale lumẽ nõ excludatur, sed gratię subseruiat) sed lumini diuinæ sapientiæ, ad quam relatiõnem, & connexionẽ habent res fidei media reuelatione diuina, illis enim assẽtitur propter diuinam authoritatem, aut testimonium diuinum per se creditum.

Confirmatur hoc argumentum, ille habitus, aut assensus propriè loquendo, pro certiori debet haberi, qui minus potest falsificari, firmitas enim in definitione certitudinis posita maximè significat impossibilitatem falsificandi assensum, at assensus fidei, similiter, & assẽsus Theologicus ex principijs reuelatis per euidentem consequentiam deductus, minus possunt falsificari; cũ enim assensum falsificari nõ posse, proueniat ex obiecto, & causis veritatis eius, ille assensus propriè loquẽdo minus falsificari potest, qui fertur in obiecta habẽtia infallibiliores causas veritatis, propter quas illis assentimur cuiusmodi sunt tàm assensus fidei, quam assensus Theologicus, quorũ primus authoritati diuinę immediatè, & formaliter reuelanti innititur. Secũdus verò mediatè & virtualiter, vnde ex hac parte non solum fides, sed etiam Theologia cuius resolutio fit in principia supernaturalia, necessariò excedit totum genus & ordinem naturalis certitudinis, etiam quo ad habitus principiorum, quia hæc principia innituntur certitudini inferioris ordinis, scilicet naturali, quæ minor est certitudine diuina per reuelationem diuinam habita, & ideo certitudo principiorum naturalium corrigi potest, & certificari per diuinam reuelationem, tam quo ad vniuersalitatem, quam quo ad causam, vnde accipitur eorum certitudo, scilicet quantum ad inductiorem sensuũ, quia vt iam diximus reuelatio accipitur à lumine diuinę sapientiæ, quæ est vniuersalior, certior & infallibilior omnibus, quare licet non transfundat in fidem & Theologiã euidẽtiam, quia sub obscuritate attingitur, transfundit tamen certitudinem essentialiter longè maiorem, & perfectiorẽ quauis certitudine naturali.

Obijcies 1. Theologia procedit aliquando ex vna præmissa de fide, & altera naturali, vt in hoc syllogismo omnis homo est discursiuus, Christus est homo ergò Christus est discursiuus, at in hoc syllogismo conclusio, quãtumuis Theologica, non est certior maiori pertinente ad scientiam naturalem, quoniam qui resiliret ab assensu maioris, resiliret etiã ab assensu conclusionis, ergò Theologia saltem vniuersaliter loquendo, & quo ad omnes suas partes, non superat certitudine cęteros habitus naturales, quorum aliquando mutuatur principia in probandis suis conclusionibus.

Confirmatur hoc argumentum, nam certitudo Theologię, vt dicetur sequenti sectione, solum est naturalis ordinis formaliter loquendo, nostroque discursu acquisita, & comparata; ergò licet in ipsis principijs considerata maiorem habeat certitudinem, quam quicumque habitus naturalis, tamen in ipso lumine Theologico potest deficere, sicut aliæ scientię naturales, quod sufficit vt eius certitudo, non dicatur maior certitudine naturali aliarum scientiarum.

Resp. ad argumentum negando minorem, nempè quod certitudo conclusionis Theologicæ, non sit maior omnibus scientijs naturalibus, cum procedit ex altera pręmissa naturali, quia licet præmissa naturalis concurrat ad conclusionem inferendam, non influit tamen ex æquo cum præmissa de fide, nec sistit in ea vltima resolutio, sed vlterius resoluitur, & fit dependens à præmissa de fide, & eleuatur ab illa saltem extrinsecè, quatenus eius veritas subordinatur, & regulatur per illam de fide, iudicaturque

non opponi illi, & sic conclusio procedens ab illa vt sic eleuata, debet esse certior omnibus alijs scientijs carentibus, illa perfectione, aut eleuatione prouenienter ex subordinatione, & connexione cum certitudine fidei. Quod si dicatur impossibile esse, quod consequens sit magis certum & necessarium, quam ipsum antecedens, vnde cum in casu posito consequens Theologicum, connexionem habeat cum principio naturali, non potest assensus illius esse magis certus, quam assensus propositionis naturalis: Respondendum est impossibile quidem esse, quod conclusio, siue consequens maiorem habeat certitudinem, quàm vtraque præmissa simul, attamen potest fieri vt habeat maiorem certitudinem quam altera seorsum, quia non generatur ex altera seorsum; sed ex vtraque vt constituit vnum medium. Nec valet obijcere quod conclusio sequitur debiliorem partem: hoc enim non sic debet intelligi, quasi conclusio non sit aliquando firmior, aut certior quam altera præmissarum, quę debilis est, sed debet sic intelligi, quod si aliquid est debile in conclusione, referendum est ad illam præmissam quæ debilis est. Quod si quis perti[illegible] aciter vellet, illud axioma intelligendum esse in primo sensu, ad summum esset verum, quando præmissa se haberet, vt causa conclusionis in essendo, at in discursibus Theologicis præmissa naturalis, non sic se habet, quia lumen Theologicum non pendet per se à lumine naturali, sed solum se habet vt conditio applicans requisita quoad nos vt discursus Theologici sint demonstratiui in modo, & figura syllogistica.

Ad confirmationem respondetur certitudinem Theologicam ita esse formaliter ordinis naturalis, vt tamen originatiuè, & ex parte suorum principiorum sit supernaturalis; quod sufficit vt dicatur indefectibilis, perfectioneque superare omnem certitudinem naturalem; nam eo ipso quod resoluitur in principia supernaturalia, ad eorum indeficientiam aliquo modo eleuatur, si quidem in bona consequentia, si antecedens est verū, consequens non potest esse falsum, et si antecedens est indefectibile, consequens non potest esse fallibile pro vt subest illi antecedenti.

Obijcitur secundo illi habitus maiorem habent certitudinem, qui excludunt omnem dubitationem, & animi titubationem; sed Theologia in nobis non excludit omnem dubitationem, cum non habeat euidentiam; scientiæ autem naturales illam excludunt, quia habent euidentiam; Igitur Theologia non superat certitudine alios habitus intellectuales.

Resp. ad hoc argumentum, concedendo maiorem intellectam de exclusione dubitationis prouenientis ex parte obiecti, & rationis formalis in illud tendendi; deinde neganda est minor, etsi enim Theologia defectu euidentiæ, non excludat dubitationem ortam ex debilitate nostri intellectus non potentis, pro vt ex suis viribus naturalibus operatur, rem aliquam capere sine euidentia, non tamen oritur illa dubitatio ex ipso obiecto, vel ex ratione formali illud attingēdi, quod est diuinum testimonium, hoc enim summam habet firmitatem; & sic dubitationes illæ indeliberatę, quę reperiuntur aliquando in fidelibus, non fundantur in ipsa re, nec proueniunt ex habitu fidei, aut lumine eius, sed præcisè ex imperfectione nostri intellectus, vt operātis suis viribus naturalibus, vt magis explicabitur conclusione sequenti. Certitudo autem maior, vel minor, non debet iudicari, aut pensari ex dubitatione prouenienter ex parte subiecti, sed ex parte obiecti; vel luminis eius, quia certitudo propriè dicta secundum quod definitur à D.Tho. in 3.dist.26.q.2.art.4. *Firmitas adhæsionis virtutis cognoscitiuæ ad suum cognoscibile*, habet causas fundatas in ipsa immutabilitate, aut infallibilitate obiecti; sine fundamento enim veritatis non datur propriè dicta certitudo, dixi *propriè dicta*, quia loquendo de certitudine impropriè & largo modo, pro vt solam dicit determinationem intellectus ad vnam partem sine formidine

ne alterius, potest talis certitudo versari, & dari circa falsum. Per quam distinctionem facilè conciliantur duæ oppositæ sententiæ, quarum prima affirmat certitudinem posse esse, erga falsum; secunda verò negat; nam affirmatiua procedit de certitudine largè sumpta, secundum quam Concilium Tridentinum sess. 6. & D.Thom. quodlib. 6. q. 4. dicunt, hæreticos habere certitudinem de his erroribus, determinatè videlicet illis adhærendo, ex passione, vel ex praua dispositione, quæ est pertinacia. Negatiua verò procedit de certitudine propriè sumpta, quam solum esse erga verum docuit Diuus Thomas loco citato quodlib. & de veritate q. 6. art. 3. Vbi ait certitudinem cognitionis esse, quando cognitio non declinat ab eo, quod in rebus inuenitur.

Dico 2. Si loquamur de certitudine quoad nos, seu quo ad firmitatem adhæsionis ex parte subiecti, & operantis, sic Theologia nostra potest esse magis, vel minus certa, quam aliæ scientiæ aut habitus naturales. Hac conclusio debet esse communis inter Theologos: pro cuius intelligentia notandum est, duplicem posse esse sensum huius, quod dicitur; ex parte subiecti esse magis, vel minus certum fidelē Theologum de rebus scitis per Theologiam, quàm per alios habitus intellectuales. Vnus est, quod intellectus fidelis, qui est subiectum fidei, & Theologię, magis certificetur per habitum fidei, & Theologiæ in suo assensu, quàm per scientiam, quando vtitur habitu fidei aut Theologiæ, & habitu sciētiæ. Alter sensus esse potest, quod intellectus fidelis non sic certificetur ex proprijs, & naturalibus ipsius intellectus ad assentiendum rebus Theologicis, sicut certificatur ad assentiendum rebus per alias scientias cognitis.

Considerando ergo conclusionem in primo sensu, sic assero fidem & consequēter Theologiam etiam quo ad nos, superare certitudine omnem scientiam naturalem, & habitum principiorum. Probaturque primo ex D.August. lib. 7. confessionum cap. 10. vbi ait: *Facilius dubitarem, me viuere, quam non esse veritatem, quam audiui in corde meo*, quam authoritatem gratis limitant aliqui ad fidem, aut Theologiam aliquam extraordinariam; sed debet intelligi de quolibet fideli Theologo qui paratus est potius negare omnem euidentiam naturalem, quàm principia aut conclusiones Theologicas per bonam consequentiam illatas & deductas: quam firmitatem præstat illi virtus fidei infusæ habitusque Theologiæ, vnde maior est, quàm quælibet alia firmitas, quam nobis tribuit lumen principiorum, & scientiarum naturalium. Probatur secundo ex Diuo Thoma dicente: *Multo magis certior est homo de eo, quod audit à Deo qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione*. Et idem ferè habet in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. de veritate q. 10. art. 12. ad sextum. 2. loci, & quodlibeto 6. art. 6. per totum. Quod experientia ipsa patet, nam si aliquis Philosophus fidelis putet se habere demonstrationem alicuius conclusionis, & nihilominus audiat à Theologo fide digno talem conclusionē esse contra fidei principia, statim incipit dubitare de certitudine suæ scientiæ; ergo certior est talis Philosophus etiam ex parte subiecti de rebus fidei, quam de rebus per scientias purè naturales cognitis, aut scitis.

Ratio fundamentalis est, quia causę certitudinis in homine fideli, & Theologo sunt multo efficaciores causis certitudinis Philosophi naturalis, non solum secundum se, sed etiam prout sunt in illo; ergo producunt in illo maiorem certitudinem, & animi firmitatem, quam sit in Philosopho naturali; consequentia est certa; Probatur antecedens, nam certitudo fidelis Theologi prouenit radicaliter ex ratione formali supernaturali fidei, & ex imperio voluntatis motæ auxilio supernaturali, sed hæc maiorem vim habent ad firmandum intellectum, quam habeat ratio naturalis obiecti, cui adhæret Philosophus; ergo.

At si loquamur de certitudine in secundo sensu, sumendo scilicet certitudinem,

nem, pro eo quod connaturalius, aut plenius assequitur noster intellectus, sic D.Thomas q.12. de veritate art. 2. ad 3. docet, propter excellentiam rerum fidei supra rationem, quod assensus fidei, & consequenter Theologiæ. *Sit quædam defectiua cognitio, non ex defectu certitudinis cognitorum, sed ex defectu cognoscentis*, & in 1. ad Anibaldum distinct.1.q.2. dicit, *quod Theologia respectu nostri intellectus minus captabilis est*. Idem ferè habet 2.2.q.4.art.8.& in 3.dist.23.q.2.ar.2. quæstiuncula 3. 1.parte q.1.art.5.ad 1.

Principale fundamentum huius partis colligitur ex D. Thoma locis iam citatis, & quæst.de Trinitate super Boetiū art. 9. ad 4. Nam aliæ scientiæ purè naturales habent certitudinem ortam ex euidentia, quam non habent fides, aut Theologia: ex eo autem, quod earum certitudo prouenit ex euidentia, manifestè sequitur quod plenius assequatur illam intellectus, quietetùrque facilius; cum euidentia sit vltimum, in quo intellectus sistit circa obiectum. At fides admittit aliquem motum, & ita dicitur, quod credere est cum assensu cogitare, id est præbere assensum cum aliqua titubatione animi, aut motu cogitationis; vnde fit, quod posita fide, possunt adhuc insurgere motus quidam indeliberati dubitationis propter debilitatem nostri intellectus nondum videntis veritatem, qui motus dubitationis nō possunt expelli, ex vi obiecti, quia non videtur, sed ex vi voluntatis rectè dispositæ, & à Spiritu sancto efficaciter motæ, aut ex vehementia motiuorum credibilitatis: Atque hinc etiam fit, quod certitudo scientiarum purè naturalium immediatè incipit, & originatur ab obiectis ipsarum, quia videntur, siue euidenter cognoscuntur; certitudo verò fidei mediante voluntate, quæ prius tangitur à motione diuina, quàm intellectus, eo quod voluntas debet mouere intellectū vt credat, captiuando ipsum in obsequiū fidei, vt explicat D.Th. ad Heb.cap.11. lect.1. Igitur certitudo scientiarum purè naturalium, vt potè orta ex euidentia obiecti, connaturalior est intellectui, magisque illum relinquit intra suos proprios terminos, quàm fides, quæ ob suam obscuritatem ita captiuat intellectum, vt sub alienis terminis relinquat, hoc est dependentem faciat à motione voluntatis.

Confirmatur hoc argumentum, quia firmitas adhæsionis quæ reperitur ex parte intellectus, in assensu euidenti naturali, est ex necessitate naturæ, loquendo quo ad speciem actus, ita vt posito illo obiecto rectè proposito, & intellectu rectè disposito, & non impedito, si intellectus circa illud operari permittatur, non possit omnino neque physicè dissentire, aut aliter operari quam vno modo, vnde dicitur intellectus necessitatus quo ad speciem actus, ita vt in hoc nullo modo subijciatur imperio, aut motioni voluntatis, & quàmuis voluntas vellet contrarium, nō potest intellectus illi obedire; at verò firmitas adhæsionis ex parte intellectus in assensu fidei, aut Theologico, non est tanta propter defectum euidentiæ iam assignatum, sed minor, quamuis enim proponantur intellectui res fidei, cum omnibus requisitis quæcumque illa sint, nunquam tamen necessitatur intellectus ad assentiēdum, neque quo ad exercitium, neque quo ad speciem actus, vt docent Theologi 2.2. in materia de fide, vnde potest non solum non consentire, sed etiam dissentire, siue ex negligentia voluntatis non inclinantis ipsum in obsequium fidei; siue etiam ex malitia inclinantis in oppositum; ergo certitudo, seu firmitas adhæsionis ex parte intellectus, est maior in ordine ad actus naturales euidentes, quam in ordine ad actus fidei, aut Theologiæ, si sumamus certitudinē pro eo quod plenius, aut connaturalius assequitur noster intellectus ibi enim ex necessitate naturæ, independenter à voluntate, hic verò ex solo libero, & mutabili voluntatis imperio adhæret intellectus suo actui, vt iam explicatum est.

Dices. Sicuti posito discursu ex prin-

principijs naturalibus euidentibus, necessitatur intellectus quoad speciē actus ad assensum conclusionis, omnino independenter à voluntate, ita etiam contingit in demonstrationibus Theologicis; ergò dato quod fides in suis assensibus immediatis, non sit tàm certa in secundo sensu explicato, sicut scientiæ naturales, non tamen id debet asseri de conclusionibus Theologicis, quorum assensus non dependet ab imperio voluntatis.

Resp. ad hoc argumentum negando paritatem in antecedenti allatam; nam in discursu scientifico naturali, ita necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, vt hæc necessitas oriatur ex alia necessitate, qua determinatur, & necessitatur ad assensum præmissarū euidentium; at vero in Theologia necessitas in ordine ad assensum conclusionis, non prouenit ex alia necessitate ad assensum præmissarum fidei, siquidem intellectus vt supponimus non habet talem necessitatem, atque adeo intellectus absolutè, sicuti potest dissentire præmissis fidei, ita & conclusioni ex illis deductæ, & sicuti non habet firmitatem assensus absolutè ex parte intellectus respectu præmissarum, ita vt illas plenè assequatur, necessarioque illis adhęreat, ita neque respectu conclusionum, nisi ex suppositione illa non necessaria; sicuti, qui in tantum mouetur, in quantum currit, si contingenter & liberè currit, contingenter etiam & liberè mouetur absolutè loquendo, quamuis supposito, quod currat dicatur necessario moueri, vnde etiam absolutè loquendo dicendum est assensus Theologicos non esse tantæ certitudinis, ac assensus naturales euidentes, sumendo certitudinem pro eo quod plenius & connaturalius assequitur noster intellectus, quamuis sumendo certitudinem in proprio sensu, tàm fides quàm Theologia superent omnem certitudinem aliorum habituum intellectualium, vt aliunde satis probatum est.

SECTIO QVARTA.

De dignitate doctrinæ Sacræ super alias scientias.

CAPVT PRIMVM.

Quod doctrina Sacra sit dignior omnibus alijs scientijs naturalibus, tam speculatiuis quam practicis.



VM scientiarum naturalium vniuersaliter loquendo, aliæ sint speculatiuæ, aliæ verò practicæ, doctrina sacra quæ vtramque perfectionem formaliter eminenter complectitur, potest dupliciter cum illis comparari, primò quasi collectiuè, hoc est secundùm duplicem illam rationem speculatiui & practici, & in hoc sensu certum est doctrinam sacram superare dignitate quoscumque habitus naturales, qui limitato modo vnam solum aut alteram ex dictis iam perfectionibus, continent; alio modo comparari potest quasi diuisiuè, hoc est conferendo doctrinam sacram præcisè secundum quod est speculatiua, cum omnibus speculatiuis, & secundum quod est practica cum omnibus practicis;

eis; & in hoc ſenſu maximè intendimus doctrinam ſacram digniorem eſſe omnibus alijs ſcientijs, ita vt conditiones, & perfectiones ad ſcientias ſpeculatiuas requiſitæ, & ſimiliter ad ſcientias practicas, excellentiori, & eminentiori modo reperiantur in doctrina ſacra, quàm in omnibus alijs ſcientijs naturalibus.

Et primò quod doctrina ſacra, ſeu Theologia quatenus ſpeculatiua, omnibus alijs ſcientijs ſpeculatiuis longè antecellat, probat D. Th. 1. parte q. 1. artic. 5. quia comparatur, vt domina ad ancillas ex illo loco prouer. 9. myſticè intellecto; *Miſit ancillas ſuas vocare ad arcem.* Deinde accedit ratio, ſpeculatiuarum enim ſcientiarum vna, alterà dignior appellatur tùm propter dignitatem materiæ, ſeu obiecti circa quod verſatur, tùm propter modum tendendi in illud, ſeu certitudinem; at doctrina ſacra quantum ad vtrumque ſcientias alias ſpeculatiuas excedit; ſecundum certitudinem quidem, quoniam vt ſuperiori ſectione diximus, principia Theologiæ, nihil aliud ſunt quam fidei aſſertiones, ex quibus poſtea concluſiones Theologicæ per diſcurſum deducuntur; atqui fides eſt omnino infallibilis, totiuſque certitudinis principatum tenet, cum fundamentum habeat in lumine diuinæ ſcientiæ, quæ per nullam potentiam falli vnquam, aut fallere poteſt; ex oppoſito principia aliarum ſcientiarum cognoſcuntur ſolùm per naturale lumen rationis humanæ, quæ multis erroribus ſubiacet, vt conſtat ex magnis erroribus, in quos celeberrimi etiam Philoſophi turpiſſimè lapſi ſunt: Igitur conferendo certitudinem doctrinæ ſacræ, cum certitudine aliarum ſcientiarum, longè eſt ipſa perfectior, omnibus alijs ſcientijs ſpeculatiuis.

Quod ſpectat ad dignitatem materiæ, ſeu obiecti, ſic etiam obiectū proximum ſacræ doctrinæ, eſt infinitis modis nobilius obiectis aliarum diſciplinarum; cū nempe ſit Deus Optimus Maximus, non ſolum vt author naturæ, ſed etiam vt author gratiæ, hoc eſt ſecundum illa attributa eaſque perfectiones, quæ omnem humani intellectus facultatem naturalem exſuperant, nec vnquā in cor hominis aſcenderunt; vndè ſi minimum quod poteſt haberi de cognitione rerum altiſſimarū, deſiderabilius eſt, quàm certiſſima, & accuratiſſima rerum inferiorum cognitio, vt dicitur in vndecimo de animalibus; quid de ſacra doctrina dicendum, quæ non leuiter aut ſuperficie tenus, nec de vno tantùm, aut altero diuinitatis myſterio, ſed de tot, & tàm multis, tàm copioſè certòque diſſerit ex principijs fidei immediatè à Deo per reuelationem habitis.

Iam verò Theologiam, ſeu doctrinam ſacram, quatenus practicam, eſſe etiam digniorem omnibus alijs ſcientijs practicis humanis, quales præcipuæ ſūt illæ; Monaſtica, Oeconomica, & Politica: Probat D. Thomas, quia dignitas ſcientiæ practicæ potiſſimum ex fine colligitur, ita vt ex practicis ſcientijs illa ſit dignior, quæ habet finem digniorem, & ad quem aliæ ſcientiæ intra eādem ſeriem ordinantur, vt patet inductione in omnibus ſcientijs practicis, & artibus ſibi inuicem ſubordinatis; at doctrina ſacra comparata ad omnes naturales ſcientias practicas reſpicit finem vlteriorem, ſeu ſuperiorem, ad quem omnes eiuſmodi ſcientiæ, fineſque illarum ordinantur, ergò hæc doctrina eſt nobilior & dignior cæteris; Maior & conſequentia huius argumenti patent; Minor verò, in qua poſſet eſſe difficultas, probatur nam finis Theologiæ, eſt ipſamet beatitudo, & clara Dei viſio, vltimus omnino finis, qui ad nullum alium refertur, ſed cæteri potius ad ipſum.

Verum occurrit dubium, circa mentem Sancti Thomæ, quo ſenſu dicat finem doctrinæ ſacræ, in quantū eſt practica, eſſe beatitudinem æternā, & quomodo aliæ ſcientiæ practicæ ordinentur ad talem finem.

Circa primum, Caietanus 1. parte q. 1. art. 5. videtur docere quod æterna beatitudo ſit finis proximus Theologiæ; alij

alij tamen negant, verum hæ duæ sententiæ facile possunt ad concordiam reuocari, maximè quia ratio D. Thomæ, quâ probat dignitatem doctrinæ sacræ super alias scientias practicas, æquè cōcludit, quouis modo dicatur æterna beatitudo finis ipsius, siue remotus, siue proximus; si enim per finem proximum intelligatur ille, inter quem, & inter actū scientiæ, qui respicit illum finem, nullo modo alius finis proximior existat, sic æterna beatitudo non potest dici finis proximus Theologiæ siue doctrinæ sacræ, vt practica est, hoc enim pacto finis proximus est ipsa rectitudo operationum humanarum supernaturalium ad æternam beatitudinem consequendā necessariarum, sicut in ordine naturali finis proximus naturalis prudentiæ, non est beatitudo naturalis, sed est rectitudo naturalis operationum humanarum, & in hoc sensu finem proximum acceperunt illi, qui contra Caietanum existimant æternam beatitudinem non esse appellandam finem proximum doctrinæ sacræ. At si per finem proximum intelligamus illum, inter quem, & scientiam, quæ ordinatur ad illum, non mediat alia naturalis scientia, quæ proximius talem finem attingat, etiam si medient alij fines proximiores, potest ille finis in hoc vero sensu vocari proximus & immediatus, & hoc modo se habet æterna beatitudo ad sacram doctrinam, quæ vt practica est, ita dirigit operationes humanas in ordine ad vitam æternam, vt nulla ratione mediet inter sacram doctrinam, & finem vitæ æternæ, naturalis aliqua scientia, quæ immediatius respiciat talem finem.

Circa modum verò, quo omnes fines aliarum scientiarum practicarum ordinantur ad finem doctrinæ sacræ, facile potest explicari ex ordinatione hominis ad vltimum finem supernaturalē, posita enim tali ordinatione, habet obligationem necessariò consequentem dirigendi omnes suas operationes ad talem finem, vel saltem ita operandi, vt omnes eius operationes sint ad talem finem aptæ ordinari, siue ordinabiles, tanquam ad finem vlteriorem & ex natura, & essentia sua perfectiorem, quod sufficit ad nostrum intentum.

CAPVT II.

Quod sacra doctrina sit verè & propriè dicta sapientia.

PRo intelligentia difficultatis notādum est primò ex D. Th. 1. parte q. 1. art. 6. ad 3. & 22. q. 45. art. 2. quod cum Iudicium ad Sapientiam pertineat: secundum duplicem modum iudicandi, dupliciter sapientia accipitur: contingit enim aliquem iudicare vno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, rectè iudicat de his, quæ sunt secundum virtutem agenda, in quantum ad illa inclinatur. Alio modo per modum cognitionis sicut aliquis instructus in scientia morali, posset iudicare, de actibus virtutis, etiam si virtutem non haberet. Quando ergò asseritur quod doctrina sacra sit verè & propriè dicta sapientia, non est sermo de sapientia, quatenus est primò modo Iudicatiua, sed secundo; differunt enim Iudicium pertinens ad sapientiam infusam, quæ ponitur donum Spiritus Sancti, secundum illud 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia &c.* & iudiciū pertinens ad Theologiam siue doctrinam sacram, quæ est sapientia acquisita, quamuis sint de eadem re, quod primum sit secundum modum inclinationis, seu secundum inclinationem ipsius doni sapientiæ infusæ; alterum verò sit solùm secundum modum doctrinæ, seu cognitionis: nam iudicium per se à sapientiâ infusâ elicitū attingit pro obiecto formali proximo præmissas illas, ex quibus deducitur, modo prorsus supernaturali, nempe vt stat sub lumine supernaturali sapientiæ infusæ, & ex ipso lumine procedit, atque ita intellectus magis iudicat secundum inclinationem huius supernaturalis luminis, & doni, quo dicitur eleuatus, quam ex vi connexio-

nexionis consequentiæ cum antecedenti, vt docet idem D. Thom. in scripto. paruo super sententias q. 2. prologi artic. 1. his verbis: *Sapientia quæ dicitur donum Spiritus Sancti est quædam cognitio de Deo habita non tam secundum considerationem scientiæ in intellectu, quàm per experientiam diuinæ dulcedinis in affectu*: at verò assensus Theologicus, vt procedens ab habitu acquisito Theologiæ, attingit illas præmissas modo prorsus naturali, hoc est inferendo, & iudicando per lumen merè naturale inter consequens & antecedens ex vi naturalis connexionis; & sic prius iudicium dicitur secundum inclinationem supernaturalis doni, pertinetque ad sapientiam infusam, quæ est donum Spiritus Sancti; posterius verò secundum modum cognitionis, & doctrinæ per studium acquisitæ, cuiusmodi est doctrina sacra; & primum non reperitur nisi in homine iusto, secundum etiam in homine iniusto & peccatore, veram tamen Fidem habente, cum sine illa habitus Theologiæ esse non possit, vt dicetur sectione sequenti, explicando an maneat in Heretico.

Secundò notandum est Sapientiam secundo modo statim allato sumptam, iterum esse duplicem; altera quæ in aliquo solum determinato genere dicitur talis, altera verò quæ absolutè, & simpliciter dicitur talis; cum enim sapientis sit ordinare, & iudicare, iudiciumque per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in aliquo determinato genere, qui præcisè considerat causam altissimam illius generis, id est qui iudicat de aliquo effectu habente plures causas inferiores & superiores, per altissimam causam in illa serie, & ordine de quo agitur, vt in genere ædificij, artifex qui disponit formam domus, dicitur sapiens, & architector respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides. At verò sapiens simpliciter & absolutè dicitur ille, qui considerat simpliciter altissimã causam totius vniuersi, iudicando de omnibus rebus proximè, vel remotè per illam.

Tertiò notandum est, sapientiam esse formaliter scientiam, differreque solùm ab alijs scientijs, sicut speciem perfectissimam, à minus perfectis, ita colligitur ex D. Thom. super Boetium de Trinit. quęst. 2. vbi dicit, *quod sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum, sed sicut perfectissima species ab alijs*. Nam præter hoc, quod est demonstrare conclusiones inferendo illas ex aliquibus principijs, in quo conuenit cum omnibus alijs scientijs, habet insuper sapientia quod de omnibus iudicium ferat, etiam de primis principijs, non quidem formaliter aut elicitiuè, quasi ad ipsam pertineat elicere illos assensus primorum principiorum, sed solum terminatiuè, & obiectiuè, quatenus ex sua vniuersalitate, illa magis declarat, & quo ad nos probat, & contra negantes tuetur. Hinc S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 2. & alibi sæpe intulit sapientiam esse nobiliorem intellectu, & alijs scientijs, continereque aliquo modo sub se illas; non quod sapientia non sit specialis habitus, sed aggregatum ex habitibus principiorum, & conclusionum supremæ scientiæ, vt volunt aliqui, alias ineptè distingueret Aristoteles 6. Ethic. cap. 7. quinque habitus intellectus, si alter illorum, nimirum sapientia, non poneret in numero cum alijs, sed esset aggregatum quoddam ex illis: Aut quod sit simplicissimus, & perfectissimus habitus, qui sub vnica ratione formali eminentissima se extendat ad cognitionem principiorũ & conclusionum, ita vt talis habitus nec sit formaliter intellectus, nec scientia, sed vtrumque eminenter, vt volunt alij; si quidem non est intelligibilis talis habitus, si sit sermo de habitibus naturalibus. Omnis namque habitus intellectualis ordinis naturalis, vel est nobis à natura inditus, vel proprio labore & industria comparatus; at sapientia modo statim explicato, non est habitus ab ipsa natura inditus, quia aliàs omnes homines

nes præditi essent eiusmodi habitu, neque est acquisitus medio discursu, quia si talis discursus procedit ex principijs per se notis, & certis, ille habitus erit scientia, si autem ex principijs non certis, erit opinio; ergo per discursum non est producibilis in nobis habitus qui sit eminentior scientia, & habitu principiorum, in sensu ab illis authoribus intento.

Dicendum est igitur, sapientiam vocari à D.Thoma nobiliorem, aut altiorem virtutem, quàm sit habitus principiorum, quia cum sit suprema scientia iudicat & ordinat de omnibus, etiam de primis principijs, non quidem demonstrando illa, vt per se patet, sed reflectendo supra illa, nempè illa explicando per principia communia quo ad nos, per terminos clariores, & tuendo ab impugnātibus, qui modus procedendi non arguit quod sapientia sit perfectior aut nobilior simpliciter habitu primorum principiorum, sed solum secundum quid; quod est maximè verum in nostro casu; nam habitus principiorum in Theologia est nobilior ipso habitu Theologię, cum sit supernaturalis quo ad substantiam, & hic sit naturalis; & cum immediatius versetur circa Deum, & diuinam scientiam, quam Theologia. His adnotatis.

Respondeo dicendum, quod doctrina sacra non solum quatenus practica, sed etiam speculatiua, sit maximè sapientia inter omnes sapientias humanas, hoc est non solum comparata ad eas sapientias humanas, quæ tantum sunt sapientiæ secundum quid, sed etiam ad eam, quæ est sapientia humana simpliciter, qualis est Metaphysica. Circa hanc conclusionem omnes ferè Theologi conueniunt.

Et primò quod sacra doctrina in quantum practica, possit dici maximè sapientia, quo ad conditiones iudicandi, & ordinandi, quas ad munus sapientis pertinere docet D.Thomas 1. parte q.1. art.6.& 1.2. q.57.art.2. 2.2.q.45.art.1.& 2. contra gentes cap.24. num. 3. Facilè ostendi potest, ex alijs scientijs, & sapientijs practicis, quibus in tantum cōpetunt duo illa munera iudicandi, & ordinandi, in quantum iudicant de operibus artium inferiorum, & sibi subordinatarum, an rectè ita, vel ita fiant, & ea ordinant, ac disponunt ad suum vlteriorem finem: cum ergo doctrina sacra in quantum practica, omnes prorsus humanæ vitæ actiones ordinet in vniuersalem finem vitæ æternæ, iudicetque de illis per altissimam causam diuinæ sapientiæ medijs principijs reuelatis, potest dici maximè sapientia practica tamen quo ad vtrumque munus iam allatum.

Superest modo videre quomodo sacræ doctrinæ, etiam vt speculatiuę, conueniant duo illa officia iudicandi & ordinandi circa omnes prorsus scientias, vel purè naturales, & quidem quo ad primum, videtur explicare D. Thomas 1.parte q.1.art.6.ad 2. his verbis. *Quidquid in alijs scientijs inuenitur veritati huius scientiæ repugnans, totum condemnatur vt falsum, vnde dicitur 2. ad Cor.10. consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.* Itaque doctrina sacra per ipsum lumen sapientiæ increatæ, cui innititur medijs principijs fidei, tanquam per altissimam, & supremam causam in iudicium vocat omnes quotquot sunt cognitiones ordinis naturalis, considerando, an aliquid dicunt, quod repugnet suis veritatibus, sic enim statim reijcitur, vt falsum, etiamsi appareret verum, quia lumen diuinæ sapientiæ non potest falli, sicuti potest lumen creatum naturalis cognitionis: Iudicare autem hoc modo est iudicium perfectissimæ sapientiæ, & simpliciter talis, siue quæ consideret altissimam causam: in quo Theologia maximè superat Metaphysicam; quę non iudicat de alijs scientijs, nisi per prima principia naturalia, aut per rationes diuinas solo naturæ lumine cognitas, quæ sunt minus certæ principijs fidei. At eo ipso quod Theologia iudicat hoc modo de alijs scientijs, potest etiam dici illas aliquo modo ordinare, quatenus reijcit,

& separat ab illis eas apparentes veritates, quæ tamen re vera sunt falsitates,& ita aufert ab illis hanc inordinationem; Sic igitur doctrina sacra non solum quatenus practica, sed etiam speculatiua vocari potest maximè sapientia, quo ad vtrumque munus iudicandi,& ordinandi assignatum à D.Thoma locis iam citatis 1.2.q.66.art.5.in corpore.

Secundò probatur conclusio applicando sacræ doctrinæ cæteras conditiones sapientię proprias, quarum prima est, quod sit circa omnia, secunda circa difficilia, non enim quis dicitur sapiens ex eo quod sciat solum aliqua, sed multa, eaque supra communem vulgarium hominum captum; cum ergo faciliora nota sint vulgaribus etiam hominibus,vt quis dicatur sapiẽs debet nosse difficiliora. Tertia, & quarta, quod de his quæ scit, sit certa, cognoscatque ea per altissimas causas, cum enim scire, sit rem certò per suam causam cognoscere, supremæ scientiæ,qualis est sapientia,conuenire debet vt res certò & per altissimas causas cognoscat, duæ tandem vltimæ conditiones ad iam allatas subsequentes sunt, quod sapientia quæratur propter se, moderetur que alias scientias, quia eo ipso quod sit prima, & suprema inter scientias,eo ipso debet esse maximè propter seipsam, aliasque scientias moderari, tanquam tamen Regina, & Princeps.

At omnes illæ conditiones seu proprietates sapientiæ, perfectissimè competunt doctrinæ sacræ. Primo enim discurrit circa omnia,quia cum sit scientia vniuersalis, agatque de generalissimis rebus, & conclusionibus, & principijs, quæ ad omnia prorsus se extendunt,v.g. de Deo vt est Deus, & finis vltimus, & Creator, & Redemptor, &c. debet ex consequenti de omnibus disputare. Secundo cognoscit difficillima, agit enim de fidei mysterijs, quibus nihil altius, nec sublimius oculus videt,nec auris audiuit. Tertiò propter eamdem rationem de his quę scit, certissima est, si quidem principia Theologica nihil aliud sunt, quam fidei assertiones, quæ totius certitudinis principatum tenent, eo quod fundamentum habeant in diuina reuelatione; quæ etiam diuina reuelatio se habet tanquam causa valdè vniuersalis in cognoscendo, quæ est quarta conditio. Quintò tandem & sextò,cum obiectum proprium doctrinæ sacræ sit ipse Deus sub lumine adeò eminenti, vt cognoscat de Deo non solum quod lumine naturali manifestatur, sed quod notum est ipsi soli de seipso, & alijs per reuelationem communicatum; sequitur manifestè quod sit maximè propter seipsam & gratia sui, pertineatque ad ipsam moderari alias scientias per modum reginæ & dominæ earum, approbando, vel reijciendo omne illud, quod est in illis aut consonum, aut dissonum suis veritatibus.

Vltimò sapientia est,quæ non solum versatur in conclusionibus,sicut scientiæ inferiores, sed etiam in principijs, illa magis declarando, & quo ad nos probando, & contra negantes tuendo,vt supra adnotauimus; atqui talis est Theologia, quæ scilicet contemplatur non solum conclusiones, sed principia & assertiones fidei, ex quibus per discursum inferuntur, omniaque prorsus studet illustrare, confirmare, & ab impugnantibus defendere, nunc à posteriori, nunc à priori: quatenus rerum natura,& conditio patitur, aliquando à simili, à minori ad maius, à maiori ad minus, à pari, vel positiuè, vel negatiuè, & sic de reliquis: ergò optimo iure sapientia debet appellari,nec est quod in re tam clara diutius immoremur.

CAPVT III.

Quod Sacra doctrina non ita superet dignitate alias scientias, vt sit habitus formaliter supernaturalis.

ALiqui Theologi doctrinam sacram inde super alias scientias extollere conantur, quod sit habitus formaliter supernaturalis, etiam pro vt à fide di-

stin-

stinguitur, verùm ista sententia communiter reijcitur ab alijs; Quamuis enim possit dari Theologia infusa supernaturalis, quæ pertinet ad donum Spiritus Sancti secundum aliquam excellentiam gratis datam, quæ in illo reperitur: vt docet D.Thomas 2.2. quæst. 45. artic. 5. Attamen loquendo de Theologia pro vt nostris actibus acquiritur, probabilius est esse habitum formaliter, & substantialiter naturalem; licet radicaliter possit dici supernaturalis, ratione scilicet habitus, & actus fidei, ex quibus aliquo modo originem ducit, & in quibus radicatur.

Prima autem ratio fundamentalis huius conclusionis desumitur ex D.Tho. 1.parte q.1.art.6.ad 3.& 22.qu.9.art.1.& quæst.45.art.1. ad 2. Vbi ponit differentiam inter sapientiam, & scientiam, quæ sunt dona Spiritus Sancti, pertinentque ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit pro vt vult secundum illud 1. Corinth. 12. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ &c.* & inter Theologiam, quod talia dona non acquiruntur discursu, sed sunt participationes quædam diuinæ scientiæ, at verò Theologia est habitus sapientię acquisitus studio, & labore hominum, & per discursum. Vnde sic possumus argumentari.

Omnis habitus formaliter, ac substantialiter supernaturalis est per se infusus, at habitus Theologiæ, non est per se infusus, sed proprijs vniuscuiusque actibus comparatur, ergo habitus Theologiæ non est supernaturalis. Minor huius argumenti est D.Thomæ, potestque sic demonstrari; quia Theologia nostra, nec est habitus per se infusus concomitans solam gratiam sanctificantem sicut aliæ virtutes, alias non remaneret in peccatore, à quo separatur gratia, nec est concomitans solam fidem, sic enim omnis fidelis esset Theologus, quod est falsum, loquendo de Theologia in sensu in quo est difficultas; Nec tandem est habitus infusus sicut gratia gratis data, cum frequenti potius ac continua actuū nostrorum repetitione acquiratur. Nam per assiduum exercitium studij Theologici aliquid de nouo producitur in nostro intellectu, quo percipimus, & cognoscimus multa quæ antea non cognoscebamus: illud autem quod sic acquiritur nihil est aliud quam habitus scientificus Theologiæ, ergò datur Theologia ex genere suo acquisita; Et tandem hoc supponitur, non enim est modo difficultas inter nos & authores oppositæ sententiæ num habitus Theologicus per se infusus sit supernaturalis; sed est difficultas de illo habitu Theologico, qui propria vniuscuiusque Theologi labore & industria per se acquiritur; & de hoc asserimus esse habitum formaliter, ac substantialiter naturalem, non verò supernaturalem, cum omnis habitus formaliter, ac substantialiter supernaturalis debeat esse per se infusus: Quæ est maior primi argumenti, & sic probatur quia omnis habitus; qui per se excedit, ac superat facultatem humanæ naturæ, est per se infusus; sed omnis habitus secundum substantiam supernaturalis, excedit vires humanæ naturæ, vt patet ex definitione talis supernaturalitatis, ergo est per se infusus; Maior autem est expressè D.Th.1.2.q.51.art.4. in corpore, vbi ex eo, quod sint aliqui habitus in nobis excedentes facultatem humanæ naturę, infert tales habitus nunquam posse hominibus inesse, nisi ex infusione diuina; Vnde apud D.Thomam idem prorsus est esse habitum secundum substantiam supernaturalem, & naturę vires excedentem, ac esse habitum per se infusum, imo nullo alio vocabulo appellare solet habitus, quos nos vocamus supernaturales, nisi habitus infusos; si ergo habitus Theologiæ excedit facultatem humanæ naturæ, cum sit secundum substantiam supernaturalis, vt volunt aduersarij, non poterit esse in nobis, nisi ex diuina infusione, quod est falsum, & contra suppositionem factam.

Huic argumento, quod proculdubio est efficax posset aliquis respondere negando maiorem, si quidem non videtur

vniuersaliter vera, nec ad conuertentiam dici; quamuis enim sit verum, omnem habitum per se infusum, debere esse substantialiter supernaturalem, non tamen vice versa omnis habitus supernaturalis debet esse semper per se infusus, sed potest esse aliquis acquisitus, dummodo fiat, & acquiratur ex concursu alicuius causæ supernaturalis, si quidem ad producendum actum aut habitum merè naturalem in se, nullum principiũ supernaturale est necessarium, sed sufficit sola natura, saltem in aliquo casu, cum ergò Theologia producatur in nobis ex concursu fidei, quæ est causa supernaturalis, poterit etiam esse supernaturalis, sicut actus virtutum supernaturalium supernaturales sunt, quia fiunt ab habitu supernaturali.

Respondeo solutionem allatam multa continere falsa; nam primò ex suppositione, quod nomine habitus supernaturalis quoad substantiam, intelligatur illud quod excedit omnes naturæ vires per modum actus primi, debet esse necessario quid per se infusum; dixi per modum actus primi, quia licet actus supernaturales possint à nobis elici, non possumus tamen per actus supernaturales habitum supernaturalem acquirere, sed necessario debet infundi vt docent communiter Theologi 1.2.q.110.& 22. qu.23. cuius ratio desumitur ex differentia inter actus, & habitus supernaturales, nam habitus dantur per modum actus primi, & consequenter, vt immediatè participationes Dei, qui est ens supernaturale per essentiam, actus autem sunt participationes mediatè, quia sunt vitales vitalitate creata, id est elicientia physica agentis creati; Si quidem actus vitales essentialem dependentiam habent ab illo principio cuius sunt actus vitales, & sic ex ipsa ratione supernaturalitatis vitalis per modum actus secundi, petunt procedere, & elici ab agente creato eleuato tamen, at habitus, non sunt entia supernaturalia vitalia à vita agentis creati procedentia; sed dantur per modum actus primi eleuantis potentiam ac supernaturaliter illam viuificantis, ita vt immediatè deriuentur à Deo, alias immediatè participationes supernaturales non essent, & sic idem est esse ens supernaturale per modum habitus, seu per modum actus primi, & esse per se infusum, seu immediatè à Deo procedens. Cum ergo Theologia non sit habitus per se infusus, sed proprio vniuscuiusque valore & industria comparatus, rectè sequitur etiam, quod non sit habitus formaliter, ac substantialiter supernaturalis.

Impugnatur adhuc magis, quia si aliquis habitus supernaturalis potest acquiri per suos actus, etiam supernaturales, vt aduersarij fatentur de habitu Theologico, sequeretur quod omnes prorsus habitus supernaturales possent generari, & acquiri per suos actus similiter supernaturales, v. g. habitus fidei, spei & charitatis per actus supernaturales huius illarum virtutum, sed consequens est falsum, vt conceditur ab ipsis aduersarijs, alias nullus daretur habitus per se infusus; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia si semel admittitur, actum supernaturalem posse generare aliquem habitum inclinantem ad similes actus, nulla prorsus assignari potest ratio aut disparitas, cur etiam actus illarum virtutum Theologalium non possint generare habitus suos, aut saltem physicè augere; non enim dici potest, hos habitus esse per se infusos, quia saltem eorum infusio prærequiritur ad primos actus, atque adeò non possunt per actus suos generari; nam primo actus fidei, & spei, vt docent communiter Theologi in materia de fide, possunt præcedere infusionem habituum; imo licet habitus charitatis simul tempore sit cum actu charitatis perfecto, multi tamen existimant etiam iuxta mentem D. Thomæ, primum eius actum non procedere effectiuè ab habitu, sed à solo auxilio supernaturali antecedente infusionem habitus; igitur non potest assignari disparitas ex hoc capite. Rectè ergo D. Thomas pro eodem habuit habitum supernaturalẽ, & infusũ.

Se-

Secundum quod continet falsum solutio allata, est quod assensum Theologicum, mediante quo generatur in nobis habitus Theologiæ, concurrat principium supernaturale fidei; licet enim sit verum, quod ad assensum conclusionis, non præcisè, sed pro vt connotat præmissas, seu ratione præmissarum antecedentium, requiratur fides, quia concursus fidei est ad assentiendum obiecto credito, cuiusmodi sunt præmissæ Theologicæ, tamen ad deducendas conclusiones Theologicas præcisè, sufficit lumen naturale intellectus; & ita non possunt producere habitum supernaturalem; sic enim rectè probatur actum diuinæ charitatis, & spei, esse secundum substantiam supernaturalem, quia posito quocumque lumine fidei antecedenti, adhuc tamen ad ipsos actus charitatis eliciendos, requiritur auxilium supernaturale in voluntate quodcumque illud sit, vt eleuetur ad tales actus, si ergo positis præmissis, adhuc intellectus indigeret nouo auxilio, aut lumine supernaturali, ad deductionem aut assensum conclusionum; rectè probaretur esse aliquid substantialiter supernaturale; at nullam esse indigentiam talis auxilij probatur ratione sequenti, quæ est secundum fundamentum nostræ conclusionis.

Probatur secunda conclusio, quia ille assensus, aut actus, ad quem concurrit intellectus per suam veram potentiam, & vim naturalem, absque vllo gratiæ auxilio, aut eleuatione supernaturali, est in se formaliter naturalis, sed talis est assensus Theologicus, vt distinguitur ab habitu fidei; ergo vt sic præcisè, est habitus merè naturalis formaliter loquendo. Maior est certa ex definitione assensus naturalis veluti à posteriori: sicut enim nullum habemus euidentius signum ad asserendū quod aliquis actus intellectus sit substantialiter supernaturalis, quam si non valeat illum elicere, nisi vt eleuatus supernaturaliter, seu per principium aliquod supernaturale; ita per oppositum nullo euidentiori signo possumus colligere aliquem actum esse naturalem, quam si possit intellectus illum immediatè elicere, per suam potentiam præcisè sine vlla eleuatione diuina supra exigentiam, & conditionem suæ naturæ, sed sua propria, & innata virtute, concurrente solùm Deo, per modum causæ vniuersalis.

Minor ergò in qua potest esse difficultas, probatur, quia bene stat aliquas veritates esse notas supernaturaliter quoad assensum, & tamen per discursum naturalem penetrari multa, quæ dependentiam, & connexionem habent cum tali veritate; ergò ad illum actum præcisè, non exigit intellectus vllum gratiæ supernaturalis auxilium, atque adeo talis actus erit in se naturalis; patet vtraque consequentia ex dictis; antecedens autem probatur, nam certè non video, cur propositis intellectui veritatibus fidei tanquam certis per ipsam fidem, si relinquatur intellectus suis viribus naturalibus præcisè, non possit, sicuti solet facere circa obiecta aliarum scientiarum, ordinare, aut reducere in formam syllogisticam aliquas ex illis veritatibus præsuppositis, siue nō admiscendo alias virtuales aut principia naturalia, siue admiscēdo; ex quibus ita dispositis, & suppositis, tanquā certis, potest videre, & inferre, quid sequatur, suoq; modo connaturali assentiri. Quamuis enim intellectus ex ipsa certitudine fidei roboretur, & perficiatur ad assentiendū certius veritatibus illatis, quia principia præbent certitudinem conclusionibus propter resolutionem & dependentiam veritatis conclusionum à veritatibus principiorum; ipsumque resolui hanc veritatem in illam, & dependere ab illa, reddit veritatem resolutam firmiorem; tamen ista certitudo fidei ex parte veritatum cognitarū, non eleuat intellectum ad modum ipsum deducendi consequentias, aut ad inferendum conclusiones altiori modo, quam ratio naturalis attingit, sed talis modus discurrendi, & inferendi, relinquitur naturali discurrendi facultati; Vnde apud Theologum bonitas consequentiæ eisdē principijs regulatur, sicut aliæ consequen-

quentiæ Logicales, & tantùm deducitur per discursum circa veritates fidei, quãtùm quis habet de ingenio, & de naturali perfectione in discurrendo, sicuti in alijs scientijs merè naturalibus, quod est vehemens inditium, & argumentum naturalitatis actus Theologici, & quod tota ratio illum acquirendi sit ex viribus naturalibus; ita vt habitus, vel lumen fidei nullo modo influant in assensum conclusionis, sed solum in actum fidei, per quem proponitur intellectui materia, & veritas aliqua complexa, vt ipse postea facultate suæ naturæ videat, quid inde sequatur, alioqui non distingueretur habitus fidei ab habitu Theologiæ.

Dices; ex communi sententia Logicorum assensus præmissarum concurrit in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis, sed illud quod concurrit ad aliquid in genere causæ efficientis, debet in illud influere, ergo si assensus præmissarum cõcurrit efficienter ad assensum conclusionis, debet id præstare per aliquem influxum, naturalem quidem, si assensus præmissarum sit naturalis, supernaturalem verò si assensus sit supernaturalis, vt contingit in habitu Theologico, vnde etiam conclusio poterit esse supernaturalis, nam ille actus, qui necessario, & connaturaliter sequitur, positis aliquibus principijs, & causis supernaturalibus realiter in illum influẽtibus, supernaturalis quoque esse debet.

Instantia adducta petit vt breuiter explicemus, qua ratione præmissæ in scientijs sint causa assensus conclusionis, pro cuius intelligentia notandum est, præmissas sumi posse, vel formaliter, vel obiectiuè, formaliter sunt assensus, seu actus ipsi intellectus, quibus propositiones ipsas iudicamus, obiectiuè sunt res ipsæ quæ assensu, & propositione attinguntur; & in hoc genere loquendo, præmissæ quodammodò sunt causa materialis conclusionis, vt docet expresè Arist. 2. Physic. text.31. & explicat optimè D. Thom. ibid. lect.5. in quantum termini, qui præhabentur in præmissis, sunt etiam materia conclusionis, licet non vt stant sub forma præmissarum: sicut farina dicitur materia panis, licet non vt stat sub forma farinæ. Similiter præmissæ obiectiuè sumptæ dicuntur cõcurrere aliquo modo in genere causæ formalis extrinsecæ, quasi specificando conclusionem, in quantum sunt ratio *sub qua* assentiendi conclusioni, mediumque probatiuum, & illuminatiuum vnde sumitur eius specificatio.

Maior difficultas est de præmissis formaliter sumptis, hoc est pro assensu seu actu intellectus; quomodo concurrant ad assensum conclusionis; quia vix apparet, quomodo vnus actus intellectus possit alium causare, vnde aliqui negant ex hoc fundamento assensum præmissarum esse causam assensus conclusionis. Nihilominus cõmunior sententia tribuit efficientiam, siue causalitatem in genere causæ efficientis actibus præmissarum, respectu actus conclusionis. Quod sumitur ex D.Th.1. Poster. lect.3. 5. Metaph. lect.3. 1. p. q.14. artic.7. & 1. contra gentes cap. 55. alibique sæpe quamuis postea sit difficultas inter Doctores in explicanda illa efficientia assensus præmissarum, respectu assensus conclusionis. Aliqui enim ita concedunt assensum præmissarum concurrere in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis, vt tamen non cõcurrat, vt principium influens in ipsum actum, sed solum vt determinans intellectum ad assensum conclusionis, & veluti remotè; intellectus enim determinatus assensu præmissarum, vi sua naturali infert id, quod videt sequi ex illis præmissis, vnde primis principijs assentitur per diuersum habitum, ac ipsi conclusioni. Alij vero ita explicant illam efficientiam, quod per assensum premissarum producitur in intellectu quædam species intelligibilis, quæ simul cum ipso producat assensum conclusionis, & ratione cuius talis actio tribuatur ipsi assensui præmissarum, ad eum modum quo solet explicari ab aliquibus efficiẽtia sensationis exterioris respectu interio-

riorum, in quantum species expressa v. g. visionis, producit aliam speciem in sensu communi, qua mediante ipse elicit effectiuè suam sensationem. His breuiter adnotatis.

Resp. 1. ad instantiam concedendo maiorem, & negando minorem, cum iuxta primę sententię explicationem, præmissæ concurrant in genere causæ efficientis, solum prædeterminatiuè, non autem influendo in conclusionem, ad quam sufficit influxus solius potentiæ naturalis; quare in casu nostro, præmissæ fidei non concurrunt ad assensum conclusionis, eliciendo vel influendo in talem assensum, sed solum prædeterminando intellectum, qui postea vi sua naturali, sine vllo prorsus auxilio gratiæ supernaturalis, aut eleuatione potest videre rectitudinem illationis, & inferre quid sequatur ex illis præmissis, quāuis cognitis lumine supernaturali; nullum enim est inconueniens, quod intellectus ita determinatus, possit vi sua naturali præcisè colligere, & inferre aliquid, quod sit inferius ipsa supernaturali cognitione.

Resp. 2. concedendo maiorem, & minorem; deinde negandum est quod ille influxus sit supernaturalis, cum enim nos in hac vita cognoscamus res supernaturales solum abstractiuè; species, per quas illas cognoscimus ad modum rerum nostrarum, sunt merè naturales, atque adeò ex hoc concursu, & influxu premissæ supernaturalis, mediante tali specie, inferri non potest conclusionem Theologicam, vt sic præcisè esse supernaturalem: vndè quando dicitur, illum actum, qui necessario & connaturaliter sequitur positis aliquibus principijs, & causis supernaturalibus, esse etiam supernaturalem; distinguenda est illa propositio, & concedenda si ille actus, positis aliquibus principijs, & causis supernaturalibus, immediatè sequatur ex ipsis in aliqua potentia recipiente: Cæterum si ille actus, sequatur mediante solum aliquo naturali adequatè eliciti-uo ipsius, ita vt principium supernaturale se habeat merè præsuppositiuè, negandum est quod ille actus sit supernaturalis; sic autem se habet in nostro casu, vbi si influit assensus præmissarum, id præstat mediantibus speciebus naturalibus, & mediante dispositione illa syllogistica facta lumine naturali, ac tādem mediante ipsa potentia naturali adequate eliciti-ua talis actus, ita vt assensus fidei, merè præsuppositiuè se habeat; nullum autem est inconueniens, quod aliquis actus merè naturalis, non sit possibilis nisi facta aliqua suppositione supernaturali; nam profectò non minus distant in genere moris bonum, & malum, quam in genere entis naturale, & supernaturale; & tamen aliqua bona non sunt possibilia, nisi ex suppositione mali, vt communiter dicitur de actu pœnitentiæ, quæ supponit peccatum; imo aliqua supernaturalia non sunt possibilia, nisi supposito aliquo naturali; qua ergo ratione repugnabit, posse esse aliquam cognitionem merè in se naturalem, positis principijs fidei, quà intellectus merè naturaliter cognoscat, quid ex illis in bona forma, & quomodo sequatur, assentiendo tali consequentiæ, naturali sua facultate deductæ, & illatæ ex illis principijs, quod pertinet ad Theologiam, quæ nunquam separatur à fide, nec separari potest, sed ex vtrisque integratur vna doctrina sacra, & quamuis non possent afferri exempla similia in alijs rebus, nihil tamen hoc obesset, quia nulla potest assignari ratio, cur id in casu nostro sit impossibile.

Ex dictis in hac secunda ratione sequitur, quod, etiam si per impossibile habitus supernaturales possent per suos actus acquiri & produci, adhuc tamen habitus Theologiæ non esset formaliter supernaturalis, cum assensus Theologicus non sit actus supernaturalis.

Tertio probatur nostra conclusio euertendo principale fundamentum, cui opposita sententia posset inniti. Quia si esset aliqua ratio cur Theologia esset habitus formaliter supernaturalis, maximè quia versatur circa obiecta valde superna-

pernaturalia, sed ista ratio in præsenti non est efficax; ergo. Maior est certa, cum supernaturalitas actus non possit aliunde melius colligi, quam ex supernaturalitate obiecti ipsius. Minor autem probatur. Nam licet obiectum Theologiæ sit aliquid in se supernaturale, modo tamen naturale disponitur, & penetratur, siue quod in idem redit est aliquid supernaturale materialiter, non autem formaliter; ad hoc autem vt aliquis actus dicatur formaliter supernaturalis, v. g. actus fidei, quo iudico Verbum diuinum esse incarnatum, non sufficit, quod sit iudicium de illa veritate materialiter considerata, quantumcumque supernaturalis sit, quia etiam hæreticus, & infidelis potest habere simile iudicium, sed est necessarium, quod illam attingat modo supernaturali, quicumque ille sit in fide, de quo modo nō disputo; ergò à pari assensus conclusionis Theologicæ non ideo erit supernaturalis, quia infert aliquam veritatem supernaturalem, quæ est eius obiectum materiale; sed quia attingit veritates supernaturales præmissarū, quæ sunt eius obiectum formale, modo supernaturali; ita vt si non attingat tali modo non possit inferri, quod sit supernaturalis. Quod autem Theologia non attingat sua obiecta modo supernaturali, quæ maior probanda, sic declarari potest, quia assensus iudicatiuus, seu iudicium aliquod, quale est assensus Theologicus, non potest modo supernaturali versari circa aliquam veritatem, nisi iudicet de illa, siue explicitè, siue implicitè, & tali modo iudicet, qui sit supernaturalis; sed assensus Theologicus, in primis non iudicat de veritate præmissarum, quæ sunt eius obiectum formale vllo modo, sed hoc iudicium iam supponit ex fide elicitum, & si iudicat de veritate conclusionis, quæ est eius obiectum veluti materiale, iudicat solum de illa, propter euidentem naturalem consequentiam, & connexionem ad veritatem premissarū, qui modus attingendi in se spectatus, est formaliter naturalis, & virtualiter solum supernaturalis, id est resolubilis in principia supernaturalia. Vnde cum dicitur quod mediū probandi in Theologia est supernaturale, scilicet veritates ac principia fidei, distinguendum est, vt connexa & penetrata modo naturali, & studio propriaque industria acquisito concedo, vt stant præcisè sub lumine supernaturali, nego. Nam vt iam dixi non proponuntur in habitu Theologico lumini naturali intellectus illæ veritates cognitæ, & stabilitæ tanquam certissimæ per fidem, vt intellectus iudicet de illis, cum iam per lumen fidei iudicauerit, sed vt vi sua naturali videat, quid ex illis sequatur, & inferat. Ad rationem autem luminis, & habitus supernaturalis, non sufficit quæcumque dependent ia, & resolutio in medium seu principium supernaturale, sed requiritur quod modus ipse illuminationis, supernaturalis sit, & non modo naturali dispositus, & acquisitus: Quamuis enim modus sciēdi, & inferendi per consequentias, siue quod idem est bonitas consequentiæ secundum se non sit ratio formalis scientiæ, sed conditio, tamen lumen scientificum quod non nisi per talem conditionem acquiri potest, naturalis est ordinis, sicut licet obscuritas non sit ratio formalis habitus fidei, tamen lumen intellectuale, quod talem obscuritatem petit, & fundat, fides est.

Verum contra doctrinam huc vsque traditam potest obijci primò pro opposita sententia. Quia Theologia in Christo Domino fuit habitus supernaturalis, ergo etiam nostra debet esse talis: Probatur consequentia, nam Theologia in Christo non habuit amplius, quam deriuari ex principijs supernaturalibus per discursum, sicut nostra Theologia deriuatur ex fide, ergo sicut illa fuit supernaturalis, ita erit & nostra.

Resp. ad hoc argumentum, quod in Christo Domino fuit duplex Theologia, vna acquisita sicut nostra (vel si fuit Christo infusa, solùm fuit infusa per accidens, quod non variat intrinsecam naturam scientiæ) & hęc Theologia fuit habi-

habitus formaliter naturalis, quamuis enim procederet ex visione clara Dei, tamen lumen gloriæ ita influebat in acquisitionem illius, sicut in nobis fides, scilicet præbendo principia, non tamen supernaturali vi habitum producendo, sed Christus Dominus ex studio & industria naturalis ingenij conclusiones deducebat. Alia Theologia fuit, quæ pertinet ad donum sapientiæ, vel scientiæ, secundum quod sunt gratiæ gratis datæ,& hęc in Christo Domino fuit habitus supernaturalis; nec refert quod aliquando vtraque Theologia versetur circa eadem obiecta; quamuis enim iudicium sapientiæ,aut prudentiæ infusæ, quando procedit ex ijsdem pręmissis de fide, ex quibus procedit assensus Theologicus, habeat pro obiecto materiali, seu formali quod easdem veritates pręmissarum, non tamen sub eadem prorsus ratione formali, aut modo tendendi, sed sub diuerso; nam primo donum scientiæ, aut sapientiæ, quod est Theologia supernaturalis infusa, non innititur discursui, sed simplici cognitioni, in quo assimilatur diuinæ scientiæ,cuius est formalis participatio, vt docet D. Thom.2.2.q.9.art.1.ad 5. vnde ex hac parte longè differt à Theologia nostra ordinaria, quæ virtute studij acquiritur per connexionem, & consequentiam præmissarum; secundo ratio formalis Theologiæ acquisitæ est virtualiter reuelatum, quatenus attingitur ex vi connexionis, & consequentiæ deductæ ex aliqua veritate formaliter reuelata; siue quod idem est, sunt veritates fidei, vt attingibiles solo lumine naturali, ratione connexionis quam habet consequens cum antecedente, ex vi solius discursus. At ratio formalis doni sapientiæ, aut scientiæ, est aliqua experientia interna diuinorum, quatenus aliquis patitur diuina, seu ex impulsu interiori Spiritus Sancti iudicat de aliquo; quatenus mens experiendo aliquos effectus supernaturales in se illuminatur, vt iudicet iuxta experientiam ipsorum magis, & minus, iuxta quod magis vel minus perfectè experitur: Istæ autem rationes, sunt rationes valdè diuersæ, scilicet illuminatio experimentalis circa diuina, & vt illatiua ex propria industria & studio; & ita secundum has duas considerationes dicendum est etiam diuersa esse obiecta formalia Theologiæ infusæ, & acquisitæ, sicuti in physicis eadem infima superficies aëris, quatenus est terminus motus deorsum alicuius grauis, & quatenus est terminus motus sursum alicuius leuis, habet rationem duplicis termini formaliter, licet sit vna materialiter, poteśtque specificare duos diuersos motus.

Obijcitur 2. Doctrina sacra vocatur ordinariè scientia supernaturalis, ad distinctionem Metaphysicæ, quæ vocatur Theologia, siue scientia de Deo naturalis; ergo.

Respondeo sacram doctrinam ad distinctionem Metaphysicæ vocari ab aliquibus scientiam supernaturalem, non quia sit in se formaliter supernaturalis, sed quia includit principia supernaturalia, & in illis fundatur vt supernaturaliter cognitis, non per habitum Theologiæ, sed per habitũ & lumen fidei,quod non competit Metaphysicæ: cæterum quia doctrina sacra sub modo naturali illatiuo per propriam industriam, & studium illa attingit,ad modum Metaphysicæ, ideo formaliter loquendo est habitus naturalis, sicut & Metaphysica.

Obijcitur 3. Sicut voluntas eligit media propter intentionem finis, ita intellectus assentitur conclusioni propter assensum pręmissarum,ex illo communi axiomate quo dicitur ita se habere principia in speculatiuis, sicut finis in practicis; sed electio mediorum propter intentionem finis supernaturalis,est etiam supernaturalis: ergo & assensus conclusionis propter pręmissas supernaturales, quales sunt pręmissæ Theologicæ, erit etiam supernaturalis.

Resp. ad hoc argumentum negando maiorem, quamuis enim principia in speculatiuis, & finis in practicis conueniant in aliquibus, de quibus modo non

K agi-

agimus, distinguuntur tamen in hoc, iuxta communiorem sententiam, quod voluntas in electione mediorum, non habet aliam rationem formalem proximã & specificatiuam, nisi ipsam bonitatem finis, qualem etiam habet ipsa intentio; vnde non est mirum, si intentio ponitur supernaturalis, quod etiam electio propter eumdem finem sit actus supernaturalis; eademque similitudo reperitur in intellectu quando non operatur ex discursu, vt patet in visione beatifica, cuius obiectum formale specificatiuũ est diuina essentia clarè visa, semper enim eadem specie visio est, siue pro vt se extendit ad diuinam essentiam, siue pro vt se extendit ad creaturas in ipsa contentas, propter eamdem rationem formalem; & idem prorsus in casu nostro contingeret, si eodem actu fidei, quo iudico v.g. verbum diuinum esse æternum, viderem tanquam in causa aliquid quod ex illo principio sequeretur; at verò quando intellectus operatur ex discursu, alio modo res se habet; sicuti enim assensus seu iudicium conclusionis, nullo prorsus modo dicendum est iudicium præmissarum, neque per assensus conclusionis iudicat intellectus de veritate præmissarum, ita ratio formalis obiecti iudicij præmissarum, non est nisi ratio formalis remota respectu iudicij conclusionis; & ita remota vt non spectet ad conclusionem, neque in illam resoluatur conclusio, nisi medio habitu, & iudicio realiter & essentialiter diuerso, nempe habitu, & assensu principiorum, quare superest, vt ratio formalis proxima & immediata conclusionis, sit ipsa veritas complexa obiecti præmissarum syllogisticè dispositarum, propter quam immediatè infertur: & quamuis hęc in habitu Theologico sit supernaturalis, quia tamen non attingitur nisi modo naturali, vt supra explicuimus, ideo non est talis assensus conclusionis, in se & formaliter, nisi naturalis.

SECTIO QVINTA.

De doctrina Sacra quantum ad subiecta in quibus reperitur.

CAPVT PRIMVM.

Quod Sacra doctrina non remaneat in Hæretico.



QVANDO quæritur, num doctrina sacra, seu habitus Theologiæ maneat in hęretico, aut esse possit in illo? talis propositio duplicẽ potest habere sensum, iuxta duplicem modum quo de hęretico possumus loqui; primò, de illo qui acquisito in statu fidelitatis habitu Theologico, posteà negata ex pertinaci voluntate aliqua veritate fidei contra manifestum Ecclesiæ sensum sit hęreticus; de hoc enim quęri potest an simul cum habitu fidei deperdat habitum Theologiæ antea acquisitum. Secundo loqui possumus de aliquo hęretico, qui solum post hęresim rebus Theologicis operam nauat, deducendo conclusiones in illis materijs in quibus benè sentit de principijs fidei, quamuis in aliquibus sit hęreticus; & ita quęri potest an habitus ab hoc hęretico circa tales materias acquisitus, sit eiusdem speciei essentialis cum habitu

bitu Theologiæ alterius Catholici.

Omnes illi doctores qui existimant habitum Christianę Theologię, non distingui ab habitu fidei infusæ, consequēter ad hanc opinionem tenentur asserere doctrinam sacram nulla ratiōne manere posse in hęretico quouis modo cōsiderato. Sed cum falso innitantur fundamento, non est quod in eo diutius detineamur. Per oppositum Gabriel Vasquez & illi, qui cum eo putant habitum Theologię non assentiri conclusionibus propter præmissas fidei, vt cognitas lumine fidei, & assensu supernaturali, sed vt cognitas per fidem acquisitam siue humanam, aut opinionem quamdam mere naturalem, consequenter etiam fateri tenentur, manere in hæretico eumdem habitum Theologię qui erat prius, cum non amittat fidem humanam, aut opinionem circa illa principia fidei, quæ non negat.

Inter eos verò qui distingunt habitum Theologiæ ab habitu fidei infusæ, ita vt talis habitus fidei se habeat respectu Theologiæ tanquam habitus principiorum, aliqui existimant, quod in hæretico nō corrumpitur habitus Theologię essentialiter, & intrinsecè, sed quo ad statum, & denominationem scientiæ solum; alij verò docent habitum Theologiæ simul amitti cū habitu fidei, quid sit in hac re certius tenendum breuiter aperietur in sequentibus.

Dico igitur primò, esse probabile, quod ad breue tempus, & incorrumpi maneat in hęretico ille idem numero habitus Theologiæ, quantùm ad substantiam sui, quem habebat ante peccatum. Ratio est quia si statim destrueretur in hæretico per peccatum infidelitatis, habitus antea acquisitus Theologiæ, vel id fieret physicè, vel demeritoriè, sed ex neutro capite potest id contingere, ergò. Maior est certa; Minor autem in qua est difficultas probatur, quia habitus acquisiti neque physicè, neque demeritoriè statim per vnum actum contrarium communiter deperduntur, maximè si sint intellectuales, qualis est habitus Theologiæ acquisitus. Quod si dicas habitum Theologię acquisitum differre ab alijs, quod præsupponere debeat fidem; vnde, sicut amisso per vnicum actum infidelitatis habitu fidei, deperditur etiam statim habitus spei, non aliam ob causam, nisi quod hic habitus fundatur in fide, destructo autem fundamento, destruitur totum id, quod fundatur in illo, ita etiā destructa fide, habitus Theologię qui fundatur in illa, destrui debet. Contra est, nam spes, de qua loquimur, est habitus supernaturalis, & per se infusus, attingens bonum increatum, quatenus est vltima nostra, & supernaturalis beatitudo, per fidem credita, prorsus supernaturaliter; vndè non est mirum, si per peccatum infidelitatis, quo destruitur fides, destruatur etiam saltem demeritoriè spes, & charitas, aliæque virtutes infusæ, & dona ad gratiam sanctificantem subsequentia; nam verè talis peccator meretur, vt Deus subtrahat supernaturalem concursum ad tales habitus, qui ab ipso solo conseruabantur: at verò habitus Theologiæ est naturalis, & acquisitus, vt supra vidimus, & non supponit fidem nisi vt proponentem sibi principia, ex quibus postea intellectus facultate sua naturali deducat conclusiones, attingendo illa principia modo naturali; neque conseruatur à solo Deo supernaturaliter; igitur non est necesse, vt vel physicè, vel demeritoriè statim destruatur ablata fide, sed probabile est quod ad breue tempus, & in corrumpi remaneat in hæretico; dixi ad breue tempus, & in corrumpi; quia, cum habitus acquisiti non possint in aliquo subiecto, diù conseruari, nisi medijs actibus, quibus fuerunt, semel producti, & assensus ille qui elicitur ab hæretico, etiam in materia Theologica in qua non errat, sit prorsus diuersæ speciei ab illo assensu, quem in simili, aut eadem materia elicuit, quando erat Catholicus; vt statim dicemus; non potest esse ibi habitus Theologiæ antea acquisitus, nisi in corrumpi, ita vt aliquo temporis in-

teruallo diminuatur, & destruatur, sicut solent alij habitus acquisiti.

Sic igitur ablata fide in hæretico manent saltem ad aliquod tempus, duo habitus Theologię, specie diuersi, alter qui prius erat ex fide Catholica genitus, & non statim corrumpitur, ex ablatione fidei; Alter qui ab Hæretico generatur de nouo ex fide acquisita, qua solum credit, quandiu est hæreticus, non vero vna & eadem Theologia deseruit Catholico & hęretico, licet apparenter & similitudinariè videatur eadem, vt explicabitur in fine huius capitis.

Dico secundò, quod assensus ille qui elicitur ab hęretico etiam in materia Theologica, in qua non errat, fit diuersæ prorsus speciei ab illo assensu, quē in simili materia elicit Theologus fidelis, aut idem Hæreticus, quando erat Catholicus, elicuit. Probatur assertio, quia illi assensus sunt diuersæ prorsus speciei essentialis, qui deducuntur ex principijs, siue præmissis specie essentiali differentibus, sed assensus in Theologo Catholico, & assensus in hæretico circa eamdem materiam Theologicam cum Catholico discurrente, procedunt ex principijs, siue præmissis essentialiter & formaliter diuersis; ergò assensus conclusionis in vtroque debet esse diuersæ prorsus speciei essentialis. Maior est certa cum iuxta communiorem, & veram Philosophorum sententiam diuersitas essentialis, & specifica in scientijs desumatur ex diuersitate primorum principiorum formaliter, & essentialiter diuersorum. Minor igitur probatur, nam assensus Catholici dicit ordinem, & dependentiam essentialem ad pręmissas fidei, vt creditas fide diuina, atque adeò, est ita assensus formaliter naturalis, vt tamen sit radicaliter, & virtualiter supernaturalis, quatenus petit resolui in lumen diuinæ reuelationis, & authoritatem diuinam per se creditam; at verò assensus Hæretici dicit ordinem ad easdem præmissas, vt creditas iam fide humana, & resoluitur vltimò in fidem humanam, & opinionem propriam ipsius Hæretici, cum enim in Hæretico etiam negante vnum tantum articulum, tota fides tam actualis, quam habitualis pereat, non potest in illo, circa res, quas non negat, manere alia fides, quam acquisita, quare eius assensus non potest resolui, nisi in talem fidem acquisitam, aut opinionem propriam; sed præmissæ vt per se creditæ per fidem diuinam, & vt creditæ per fidem humanam non possunt non esse formaliter, & essentialiter diuersæ, si quidem mutatio penes certitudinem, & incertitudinem, supernaturale, vel naturale lumen, est mutatio essentialis; ergò assensus conclusionis in Theologo Catholico, & in hæretico, quamuis circa eandem materiam Theologicam, procedunt ex principijs formaliter & essentialiter diuersis, quod erat probandum, ita vt tam certum esse videatur assensum illum Catholici esse diuersum ab assensu Hæretici, quam certum est fidem diuinam esse diuersam à fide humana, etiam si sint de eadem re, quia ita sunt de eadem re materialiter, vt tamen non sint de eadem re formaliter, quod sufficit ad formalem, & essentialem distinctionem quorumcumque habituum.

Confirmatur hoc argumentum. Nam si quis ex ijsdem præmissis, aut principijs materialiter, probabiliter solum cognitis, aut per fidem humanam deduceret aliquam conclusionem, & alius ex ijsdem præmissis certò & euidenter notis inferret eamdem conclusionem, hi discursus proculdubiò essentialiter differrent, & in vno assensus conclusionis esset pura opinio, in alio esset vera sciētia, quæ sine dubio distinguntur specie; idem autem in casu nostro contingit, ob eamdem prorsus rationem, quia scilicet diuersum est obiectum formale specificatiuum in vtroque assensu Catholici, & Hæretici; veritates enim obiectiuæ præmissarum, non terminant assensum Theologicum in Catholico, nisi vt cognoscibiles, & cognitæ per fidem diuinam supernaturalem, in hæretico verò vt cognoscibiles, & cognitæ per fidem hu-

humanā, atque adeò veritates illæ præmissarum sic materialiter sunt eædem, vt tamen formaliter differant, secundum diuersum cognoscibilitatis modum quē habent, & explicatur per actus proprios quibus cognoscuntur, pro vt scilicet cognoscuntur per actum fidei diuinæ, vel fidei humanæ & acquisitæ; vndè etiam consequenter infertur quod assensus ille in hęretico nullam habet rationem sciētiæ neque formaliter, neque æquiualenter, sed meræ opinionis ex intrinseca ratione sua, & motiuo formali, licet non sentiat formidinem in illo assensu propter pertinacem adhęsionem ad propriā sententiam, non enim ipse credit rebus illis fidei quas non negat, & ex quibus cum fideli discurrit, ex motiuo infallibili & vniuersali, sicut fides Catholica, sed ex proprio arbitrio, quia sic sibi videtur acceptandum vnum, & reijciendum aliud; de quo vide inferius dicenda lib. 3. sect. 3.

Dico tertio, quod in hæretico non solum corrumpitur habitus Theologiæ quo ad statum, & denominationem, sed essentialiter & intrinsecè. Ratio est, quia mutatio scientiæ ex parte principiorum penes certitudinem, & incertitudinem, supernaturale vel naturale lumen, non potest non esse mutatio essentialis & intrinseca, & non solum quo ad statum accidentalem, cum sit mutatio in ratione formali, & specifica, quæ desumitur ex diuerso lumine principiorum; sed mutatio Theologię in eo qui ex Catholico fit Hæreticus, est talis mutatio vt conclusione superiori probatum fuit, ergo perit in ipso habitus Theologicus non solum quo ad statum accidentalem, quem antea ex consortio fidei habebat, sed etiam essentialiter & intrinsecè. Vnde non potest manere habitus Theologiæ, sicut cadauer quod veniente forma viuificatur; eo ferè modo quo fides mortua adueniente charitate dicitur viuificari; illa enim similitudo cadaueris quātum ad hoc in habitibus tenet solum, quando destruitur in eis aliquis ordo accidentalis superadditus perficiens, & quasi viuificans, sicut in fide ordo ad charitatem, qui accidentalis est; at in nostro casu ex amissione fidei, non destruitur solum in Theologia quidam ordo accidentalis, sed ipsamet ratio essentialis specifica ipsius, quæ est virtualis reuelatio, atque adeo talis habitus corrumpitur essentialiter, & intrinsecè, & non solum quo ad statum & denominationem, eò modo quo fides ex amissione charitatis, dicitur perire solum, quo ad denominationē formatę, aut viuentis.

Secundò probatur conclusio destruēdo principale fundamentum oppositæ sententiæ. Quia si esset aliqua ratio cur in eo qui ex Catholico fit Hęreticus remaneret habitus Theologiæ entitatiuè & essentialiter, maximè quia habet facilitatem in discurrendo, circa illas res veras, circa quas prius acquisierat habitum, quæ facilitas non videtur posse commodius oriri, quam ex habitu præexistente; sed ista ratio non est efficax; nam sicut facilitas quam hæreticus habet in concedendis omnibus alijs propositionibus fidei, quas non negat, non prouenit ab habitu fidei, qui in illo non est amplius influenter in tales actus, sed vel à memoria præteritorum, vel ab habitu acquisito; eodem modo facilitas illa quam experitur hæreticus in discurrendo circa materias Theologicas, quas non negat, non est ex habitu Tgeologiæ immediatè & proximè influente in tales actus; sed prouenit ex hoc quod in ipso remanet memoria syllogismorum, circa quos prius ex habitu facilitatem acquisiuit, & ex tali memoria facilè similes syllogismos efformat.

Sic igitur, quando Hęreticus syllogizat, & discurrit circa res Theologicas, ex illis principijs fidei, quæ non negat, etiam si veras inferat conclusiones, & easdem materialiter, quas deducit in eadem materia Theologus fidelis, non discurrit ex habitu Theologię, quem prius habebat, sed ex ipso lumine naturæ, & habitu opinionis, vel fidei humanæ, quē habet circa illa principia fidei, quæ non negat: ita vt in ipso generetur de nouo

alius

alius habitus Theologiæ opinatiuus, qui formaliter excludit Theologiam veram, vel statim, vt volunt multi, aut aliquo temporis successu, vt probabiliter docuimus in prima conclusione: quamdiu autem remanet ille habitus in corrumpi potest dici habitus cadauerosus, siue cadauer præexistentis Theologiæ, non in eo sensu quem supra refutauimus, sed quia non potest, sicut antea exire in suas operationes, veluti vitales ex defectu principiorum, quibus inniti debet, vt in eas prorumpere dicatur.

Dico quarto, circa secundum sensum præsentis difficultatis initio propositam, quod habitus acquisitus ab hæretico circa materias Theologicas, durante statu hæresis, sit omnino diuersæ speciei ab habitu Theologiæ alterius Catholici. Hęc conclusio manifestè sequitur ex dictis; nam sicuti si ad prædicationem Euangelij crederet aliquis rebus auditis per fidem diuinam, & alius per fidem humanam, hæ fides differrent specie, & correspondenent illis habitus specie diuersi, ita habitus acquisiti conclusionibus deductis ex principijs fidei taliter creditis, debent etiam specie differre; sed sic se habet, quod hæreticus, qui prius non erat Theologus, & durante statu hęreseos Theologiæ studet, acquirat habitum assentiendo conclusionibus deductis ex principijs fidei, non tamen ab ipso creditis fide diuina, sed sua fide humana tantum, & opinione, ergo talis habitus debet esse omnino specie diuersus ab habitu Theologiæ Catholici, qui assentitur illis conclusionibus deductis ex principijs fidei fide infusa, & supernaturali creditis; quare ille hæreticus potest dici æquiuocè, aut materialiter Theologus si comparetur ad verum Theologum fidelem, quia versatur circa veritates materiales Theologiæ, sed non secundum eamdem rationem formalem obiecti Theologiæ, quæ in Catholico reperitur.

Inquiret aliquis in fine huius capitis an sicut amissa fide diuina deperditur vera Theologia in eo, qui ex Theologo fideli fit hæreticus, ita semel habita fide, acquiratur vera Theologia ab eo qui ex Theologo hęretico fit Catholicus.

Respondeo ex dictis, quod sicut amisso habitu fidei in hęretico, non aufertur per illam infidelitatem Theologia formaliter, & immediatè cum sic non opponantur, sed excluditur causaliter tantum, & mediatè, quia remotis principijs remouetur sciētia quæ ab illis essentialiter pendet, & generatur habitus Theologiæ opinatiuus, vel erroneus qui formaliter destruit veram Theologiam. Ita similiter cum restituitur, aut de nouo infunditur fides Hęretico, non acquirit Theologiam formaliter, & immediatè, sed causaliter vel radicaliter, quatenus positis principijs certis, potest rursum elicere assensus certos & infallibiles circa conclusiones, quibus generatur, & acquiritur de nouo vera Theologia. Quod totum facillimè fit, & quasi insensibiliter, quia licet fides auferatur, aut restituatur hęretico, manent tamen eodem modo dispositæ & coordinatæ species in memoria, in qua specierum coordinatione sita est tota difficultas comparandi scientias: vnde illa ordinatione semel posita, seu non amissa, facile acquiritur scientia, quantum ad id quod est luminis, & certitudinis ex principijs in conclusiones deductæ, aut deriuatæ.

CAPVT II.

Quomodo Sacra doctrina in statu viæ acquisita remanere possit in Patria.

IN pręsenti difficultate aliqua vt certa supponuntur, in primis quod sacra doctrina, pro vt reduplicatiuè fuit in statu viæ, non remaneat in patria: cum enim sacra doctrina sic reduplicatiuè sumpta, includat actum vel habitum fidei, & secundum opinionem probabiliorem non remaneant in cælo nec habitus, nec actus fidei, sed illis succedat

dat visio beata, & clara eorumdem obiectorum, quorum in hac vita fidem habuimus, iuxta illud Prophetæ Psal. 47. *Sicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Dei nostri, &c.* manifestè sequitur ex defectu perseuerantiæ fidei in patria cœlesti, perseuerare etiam non posse doctrinam sacram reduplicatiuè consideratam, pro vt antea fuit in statu viæ.

Secundò tanquam certum supponitur, doctrinam sacram in via proprio vniuscuiusque studio, & labore comparatam aliqua ratione perseuerare in cęlo iuxta notissimum illud dictum D. Hieronymi Epistola 103. ad Paulinum. *Discamus in terris quorum nobis scientia perseuerat in cælo.* Et sanè nihil vetat, vt beati recordentur eorum, quæ prius in hac vita didicerint, recordentur etiam demonstrationum, quibus hic vti, & argumẽtari solebant, etenim si diues Epulo quamuis damnatus, & in medijs inferorum flammis, recordatus est nihilominus fratrum suorum, agnouit quoque Lazarum, cui antea eleemosynam negauerat, quanto magis memoria rerum Theologicarum in beatis remanebit, ad ornatum simul, & ad exercitium, & vt pluribus modis, ac medijs vnum idemque obiectum cognoscant.

Quod igitur in controuersiam reuocari potest; est nùm doctrina sacra in statu viæ acquisita perseueret solum obiectiuè in cælo, siue ex parte rerum cognitarum, non modi cognoscendi, qui nunc est imperfectus, ibi perfectissimus? an verò perseueret etiam formaliter, & ex parte luminis, ita vt substantialiter, & formaliter loquendo idem sit numero habitus Theologiæ acquisitæ in via, & in patria, differantque accidentaliter solum, penes euidentiam & ineuidentiam, claritatem, & obscuritatem.

Prima sententia quam plures Theologi tam intra, quam extra scolam, Sancti Thomæ sequuntur, asserit eamdem numero Theologiam essentialiter, quæ fuit in statu viæ, perseuerare in statu patriæ.

Probant primò, quia non minus videntur dependere dona Spiritus Sancti à fide, quam Theologia acquisita, si quidem iuxta doctrinam Sancti Thomæ 1. 2. q. 68. art. 8. & 2. 2. quæst. 8. & 9. virtutes Theologicę se habent vt principia regulatiua donorum Spiritus Sancti ideoque dignitate superant dona; sed non obstante tali dependentia, docet idem D. Thomas 2. 2. art. 6. manere in patria dona Spiritus Sancti, sublatis imperfectionibus, & mutato statu, ergo idem possumus affirmare de scientia Theologiæ, quamuis dependenter à fide in via, acquisita. Secundò scientiæ naturales, & acquisitæ manent in patria sublatis imperfectionibus, vt docet D. Thomas 1. par. q. 58. art. 5. & 12. q. 67. art. 2. ergò etiam, & Theologia.

Tamen vt fatear verum duo iam allata fundamenta non videntur efficacia, sufficiens enim disparitas in nostro casu afferri potest, inter dona Spiritus Sancti & scientias purè naturales ex vna parte, & inter Theologiam acquisitam ex alia, cur duo prima formaliter, & essentialiter remaneant in cælo, secus verò Theologia. Nam primò dona Spiritus Sancti ad intellectum pertinentia, non sunt habitus acquisiti per actus, ita vt sequi debeant præcisam limitationem actuum imperfectorũ ad quos adiuuant in hac vita, sed sunt per se infusi, atque ita possunt habere perfectionem superiorem, quæ sit sufficiens ad imperfectionem huius vitæ, & ad perfectionem patriæ, vnde etiam habent vt inseparabiliter concomitentur gratiam sanctificantem, quæ perfectissima est in patria, & ita non est mirum si cum illa remaneant, & perseuerent; at verò Theologia est habitus acquisitus, atque adeò formaliter naturalis, vnde sequi debet naturam actuum quibus acquiritur, qui sunt eius causa, cum igitur eiusmodi actus sint essentialiter ineuidentes, vt potè fundati in præmissis fidei essentialiter ineuidentibus, posset etiã dici quod habitus Theologicus, sit habitus essentialiter ineuidens; quare sicuti fides ob illam imperfectionem non manet in cælo,

lo, sed ex suspensione diuini concursus desinit esse, ita exigente statu illo beatitudinis, eodem etiam modo ex substractione eiusdem concursus diuini, desinet esse habitus Theologiæ in via acquisitę.

Similiter quia aliæ scientiæ purè naturales procedunt ex principijs lumine naturæ cognitis, quorum notitia permanet in cælo, etiam ex eodem lumine, cum gratia naturam non destruat, ideò rectè dicuntur tales scientiæ in patria remanere; secus verò Theologia, vt potè acquisita ex principijs lumine fidei cognitis, quod lumen non remanet in patria. Quæ disparitas sufficit ad eneruanda duo iam allata fundamenta, desumpta ex paritate ad alias virtutes infusas, & ad scientias purè naturales.

Solidius igitur, & efficacius fundamentum, quodque sententiam hanc de perseuerantia Theologiæ in cælo valdè probabilem reddit, debet desumi ex hoc quod Theologia nostra ita acquiritur, & generatur in via per actus ineuidentes, & obscuros, vt illa ineuidentia solum se teneat ex parte subiecti, atque adeò per accidens conueniat habitui Theologico, non verò se teneat ex parte ipsius scientiæ, & rationis formalis eius. Nam ratio formalis intrinseca habitus scientifici sumitur ex resolutione, quam talis habitus facit in sua principia. Ex vi autem talis resolutionis petit Theologia nostra tendere, & resolui in principia euidentia, non quidem ratione sui, cum sit scientia subalternata, sed ratione alterius scientiæ superioris, scientiæ nimirum beatificæ, cui subalternatur; deficiente autem scientia superiori in subiecto propter aliquod impedimentum, non redditur propterea scientia inferior obscura, & ineuidens ab intrinseco, & ex vi propriæ resolutionis, sed per accidens, ac veluti ab extrinseco ex defectu superioris scientiæ quæ in tali subiecto non est ad perficiendum, & formandum actu scientiam inferiorem. Quare negandum est scientiam subalternatam, atque adeò Theologiam nostram, esse intrinsecè, & essentialiter, id est ex vi ipsius rationis formalis euidentem, & ineuidentem, sed solum participatiuè, & præsuppositiuè id habet. Dicitur enim intrinsecè, & essentialiter conuenire euidentia, aut ineuidentia alicui habitui, quando ex vi proprij luminis & rationis formalis petit resolui vsque ad principia per se nota, aut per se ineuidentia, & obscura: quod tamen Sacrę Theologiæ non competit, nam eo ipso quod sit sciētia subalternata de se non facit euidentiam resoluendo vsque ad prima principia, sed factam à scientia superiori participat, & sic licet euidentia illa principiorum sit ei connaturalis, non tamen essentialis, sicut nec ineuidentia, alias nulla vnquam scientia subalternata posset in eodem intellectu continuari cum scientia subalternante, quod tamen est falsum; solummodo ergo participatiuè, & præsuppositiuè vtrumq; habet Theologia, dicitur enim aliquid esse participatiuè, & præsuppositiuè euidens, aut ineuidens, quando lumen aliquod scientificum non est ita efficax, vt possit ipsa resolutione à se facta peruenire vsque ad prima principia per se nota, sed indiget subijci, & subordinari alteri scientiæ superiori quæ illam resolutionem perficiat, & ad scientiam inferiorem pertinet solum præsupponere illam, non autem facere, & hoc vocatur extrinseca euidentia, id est præsupposita, & facta ab alia scientia, non ex propria resolutione vsque ad prima principia orta: sicut per oppositum extrinseca ineuidentia dicitur, quando propter aliquod impedimentum, ita caret subiectum illa scientia superiori, vt loco ipsius substituatur in subiecto aliquod lumen obscurum, certum tamen, quemadmodum contingit in nostro casu, vbi statu viæ id ita exigente, fides gerit actu in nobis vices scientiæ superioris, in quam petit resolui sacra Theologia, & sic assensus fidei ita concurrunt ad productionem habitus Theologici mediante discursu naturali, vt influāt intrinsecè certitudinem ad rationem scientiæ essentialiter requisitam, extrinsecè verò solum, & tanquam aliquid

quid separabile ineuidentiam, & obscuritatem, ratione videlicet subiecti quod nondum est capax euidentiæ à superiori scientiæ faciendæ, siue quod idem est coniunctionis scientiæ subalternantis, & subalternatæ.

Ex qua doctrina sic argumentum efformari potest. Sacra Theologia est habitus solùm de se inclinans ad participandam euidentiam à superiori scientia beatorum, non de se illam habens, aut faciens, ergò adueniente illa euidētia sine sui corruptione illam participat, & ablata illa, etiam potest manere idem habitus sine tali euidentia.

Probatur consequentia, nam vt statim diximus euidentia illa non oritur ab ipso habitu scientiæ inferioris, sed illi solum conuenit vt præsupposita, & cōmunicata ab alia distincta scientia, & cōsequenter si coniungatur illi; etiā si ex tali coniunctione aliquam perfectionē participet inferior scientia, quia tunc mouetur à suo proprio & connaturali principio clarè per scientiam superiorē manifestato & illuminato, talis nihilominus perfectio proueniens ex illa euidentia sic participata, non destruit, aut constituit scientiam inferiorem, sed solum perficit, & format ponendo in illa ordinem, & continuationem ad scientiam superiorem sibi in eodem intellectu coniunctam, quam antea non habebat. Vnde sicut virtutes morales possunt aliquando esse formatæ à prudentia, ad cuius directionem pariitā ex natura sua inclinant, & tamen possunt carere tali formatione prudentiæ, absque eò quod essentialiter entitatiue corrumpi dicantur, quia hęc directio est participata, non ab ipsa virtute morali originata; eodem modo ratiocinari possumus de doctrina sacra comparatiuè ad scientiam beatam, in quam sic petit resolui, vt tamen non repugnet, quod aliquando propter aliquod impedimentum careat illa, atque adeo actuali euidentia ab illa participanda, & tamen remoto illo impedimento illam participet, absque vlla sui mutatione substantiali aut essentiali,

sed accidentali solum, transeundo de statu imperfecto, ad perfectum, sicut si puer in virum mutari diceretur.

Itaque secundum sententiam iam explicatam Theologia secundum se cōsiderata non pręscindit à nostra, & beatorum, ab euidentia, & ineuidentia, eo modo quo pręscindit genus à suis speciebus, ita vt specie essentiali distinguātur ab inuicem Theologia nostra acquisita & Theologia beatorum, sed solum pręscindit pręscisione subiecti à suis accidentibus, quæ successiuè potest habere, secundum diuersum ipsius statum, & ita ex ineuidenti potest fieri euidens, stante & perseuerante eadem entitate habitus.

Dices non potest intelligi quod actus ineuidens successiuè fiat euidens, stante eadem actus entitate, ergo neque habitus, si quidem non minus videtur intrinseca esse tendentia in obiectum in habitu, quam in actu; ex ipsa autem tendētia sumitur claritas, vel obscuritas.

Respondetur quod tam habitus, quā actus Theologicus conueniunt in hoc, quod vterque est euidens solùm euidentia præsupposita in scientia superiori, non verò à se facta & resoluta. Est tamen differentia, quod habitus est actus primus, habens indifferentiam ad procedendum cum tali applicatione euidētiæ superioris, vel sine illa, secundum quod pro diuersitate status cū tali sciētia superiori coniungitur, vel non coniungitur, quia actus primus de se solum est applicabilis non de facto applicatus, & potest hoc, vel illo modo applicari. At actus secundus determinatam applicationem importat, quia iam de facto est exiens à suo principio. Vnde actus semel euidens etiam euidentia præsupposita & applicata ab alio, aut vice versa, non potest reddi ineuidens, quia non potest applicatio sua iam facta, & exitus à suo principio sic manifestato & probato tolli; quamuis etiam posset dici eumdem actum posse fieri ex ineuidenti euidentem supposito quod talis euidentia, vel ineuidentia se haberet tan-

quam modus illius, ſicut in ſententia multorum idem actus voluntatis ſubſtantialiter ex libero poteſt fieri neceſſarius, aut vice verſa ex neceſſario liber. Et hoc ſufficit pro prima ſententia, quã valde probabilẽ reddunt iam allata fundamenta; nunc veniamus ad ſecundam, quam etiam probabilem eſſe putamus.

Secunda igitur ſententia aſſerit doctrinam ſacram in via acquiſitam, remanere ſolum in patria obiectiuè, non verò formaliter aut ex parte luminis. Quid ſit autem ſacram doctrinam in via comparatam, obiectiuè remanere in cælo, dupliciter poteſt intelligi, primo ita vt beatus cognoſcat in cælo, eaſdem res quas in via cognouit, ſed per alias ſpecies infuſas perfectiores. Secundo ita vt remaneant in patria eædem ſpecies quas in via acquiſiuimus, eo ferè modo quo in eo qui ex Theologo catholico fit hæreticus, diximus dubio ſuperiori remanere ſpecies Theologiæ, ſecus verò lumen aut habitum. Itaque ſicut hæreticus ſemel deperdita fide infuſa, remanentibus tamen iiſdem, quæ prius, ſpeciebus Theologicis, generat nouum habitum Theologiæ quantũ ad id quod eſt luminis, ex fide acquiſita qua ſolum credit, ità proportione ſeruata diſcurrere poſſumus de beato, quod deſinente habitu fidei, vt potè incompoſſibili cum ſtatu gloriæ, remanentibus tamen iiſdem, quæ fuerunt in via ſpeciebus, acquirat de nouo habitũ Theologiæ perfectiorem, vt potè innixum lumini gloriæ, loco imperfecti quem habebat antea in via, quique ſolum innitebatur habitui fidei. Quamuis inter exemplum allatum ſit iſta diſparitas, quod in hæretico ita remanent ſpecies Theologicæ antea acquiſitæ, vt non inſeruiant amplius, quamdiù eſt in illo ſtatu, habitui ſcientifico, ſed opinatiuo ſolum; qui loco ſcientifici dicitur ſuccedere; at in Beato ita remanent ſpecies prius in ſtatu viæ ab illo acquiſitæ, vt inſeruiant ſemper habitui ſciẽtifico, ſed perfectiori, & excellentiori vt iam diximus: & ſic Theologia ſecundum hunc explicãdi modum eſt quidam habitus genericè ad illum, qui in via acquiritur ex fide, & ad illum qui in patria acquiritur ex lumine gloriæ, per noſtros diſcurſus extra verbum, manentibus in noſtro intellectu, ac memoria ſpeciebus eodem modo diſpoſitis, & ordinatis, ac erant in ſtatu viæ, ſolaq; mutatione facta ex parte luminis, & claritatis ex principijs deductæ. Nam ſicut reuelatio vt ſic abſtrahit ab hoc quod ſit obſcura vel clara, ita vt reuelatio obſcura, cuiuſmodi eſt fides, diſtinguatur ſpecie à reuelatione clara, cuiuſmodi eſt lumen gloriæ in beatis; ita habitus Theologicus, qui per hoc diſtinguitur ab omnibus alijs ſcientijs, quod innitatur reuelationi diuinæ, debet diuidi tanquam in duas ſpecies eſſentialiter diuerſas, in illum habitũ qui in via innititur reuelationi obſcuræ fidei, & in illum qui in patria innititur reuelationi claræ luminis gloriæ.

Probabilitas huius ſententiæ ſic explicatæ, dependet ex fundamento directè oppoſito illi, quod primam ſententiam probabilem efficere diximus; videlicet quod fides & ineuidentia illam ſequens, non ſe habeant reſpectu habitus Theologici in viatoribus, tanquam aliquod accidens ſeparabile, ſed potius tãquam aliquid eſſentiale, vnde ſic argumentor primo. Habitus Theologicus, qualis eſt in hac vita, non ſolum reduplicatiuè, ſed etiam ſpecificatiuè, ratione ſuæ vltimæ, & eſſentialis differentiæ eſt ineuidens, & obſcurus, licet certus; ſed ſi aliquis eſt illi correſpondens in patria, non eſt ineuidens, & obſcurus, ergo ſi aliquis eſt illi correſpondens in patria, non eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtro, atque adeo habitus Theologicus in via acquiſitus non remanet formaliter in patria. Minor conceditur ab authoribus oppoſitæ ſententiæ, & ſupponitur vt certa. Difficultas igitur eſt in maiori, quam ſic probo primo, quia hic habitus cum ſit acquiſitus ex actibus eſſentialiter ineuidentibus, non poteſt eſſe perfectior illis, nam habitus acquiſitus ſequitur imperfectionem ſuorum actuũ

qui

qui sunt eius causa, vt constat inductione in omnibus habitibus, sic enim habitus opinionis, aut fidei humanę non potest perficere intellectum ad eliciendos actus scientiæ; si igitur actus, quibus acquiritur in via Theologia, sunt actus essentialiter ineuidentes, vt potè fundati in præmissis fidei ineuidentibus, non potest non esse Theologia habitus essentialiter etiam ineuidens, & obscurus, atque adeo non potest remanere in patria, nec perficere intellectum in ordine ad actus claros, & euidentes, quales sunt actus scientiæ in patria. Secundò quia nullo modo repugnat, imò est necessarium ponere, quod aliquis habitus ratione suæ vltimæ differentiæ sit ineuidens, ita vt ineuidentia non sit accidens, ab illo separabile, sed conueniat illi per se, saltem in secundo modo dicendi per se, vt constat in habitu fidei diuinæ; ergo etiam tali modo ineuidens erit habitus Theologiæ, si quidem nulla rationabilis disparitas in cōtrarium afferri posse videtur; sicuti enim fidei essentiale est, quod sit habitus ineuidens, quia ex sua vltima differentia habet, vt attingat rationem formalem sui obiecti, vt obscurè credibilem, ita vt huius rei nulla alia ratio à priori possit assignari, nisi quod hoc intelligimus per fidem diuinam, sitque eius essentia & natura; ita etiam habitui Theologico à nobis viatoribus acquisito, essentiale erit ferri circa suam rationem formalem, suaque principia, qui sunt articuli fidei, vt obscurè credita per ipsum habitum fidei, neque enim repugnat, vt iam dixi, quod detur talis essentia habitus, alioquin eodem modo dicere quis posset, ineuidentiam in habitu fidei, esse prorsus accidentalem, & separabilem, & manere eumdem habitum fidei in specie in patria, sublata solum accidentali illa differentia & imperfectione; fingendo quod obiectum formale fidei, non sit veritas prima, vt obscurè reuelans, aut credibilis, sed præscindendo ab eo, quod obscurè, vel clarè sit cognoscibilis, at verò in præsenti vita imperfectè attingi ratione status, quæ imperfectio postea tollatur in patria, manente eodem prorsus habitu fidei secundum speciem suam, si enim hoc licet fingere & concipere in habitu Theologiæ, quare non liceat in habitu fidei? Supposito igitur, quod in patria non remaneat, sed ex suspensione diuini concursus desinat esse habitus fidei, consequenter affirmari debet quod ex substractione eiusdem concursus diuini desinat esse habitus Theologiæ, qui essentialiter in fide fundatur participando ab ipsa essentialiter ineuidentiam & obscuritatem, quæ felici beatorum statui repugnat. Et est id quod in defensionem huius secundæ sententiæ probabilius dici posse videtur.

Ex dictis infero tres in vniuersum distingui posse Theologias in beatis. Prima consistit in faciali, & intuitiua visione diuinæ essentiæ, quam Theologi communiter ex authoritate S. Augustini libro vndecimo de ciuitate Dei, capite septimo, & alijs locis, cognitionem, seu Theologiam matutinam appellant. Secunda est Theologia infusa, seu indita, cuius nomine intelligunt Theologi cognitionem illam, quæ per species à Deo infusas, fit extra essentiam diuinam, qua res ipsæ cognoscuntur in proprio genere, seu in propria sua natura, quæque cognitio non potest ab intellectu comparari humana industria. Tertia tandem, est Theologia acquisita, sic dicta, quia pertinet ad naturalem perfectionem nostri intellectus, potestque frequenti actuum Theologicorum repetitione, speciebusque acceptis à sensibus proprio vniuscuiusque labore, & industria comparari, ita vt si infundatur à Deo, dicatur solum per accidens infusa.

Et quamuis hæ duæ vltimæ Theologiæ eodem cognitionis vespertinæ nomine possint appellari, intelligendo per cognitionem vespertinam, omnem cognitionem extra verbum, est tamen magna differentia inter vtramque, siue per Theologiam acquisitam intelligatur illa, quæ prius acquisita fuit in via, & secundum primam opinionem supra allatam,

tam,formaliter in cælo remanet,siue intelligatur illa, quæ, manentibus solum speciebus antea acquisitis, de nouo acquiritur in cælo ex parte luminis,vt explicuimus in secunda sententia;nam primo Theologia per se infusa suas cõclusiones immediatè resoluit in principia per se nota, ita quod immediatè postulet ex natura sua oriri ex lumine supernaturali diuinæ reuelationis, non autem id præsupponit ab alia scientia factum, vt contingit in Theologia acquisita respectu visionis beatificæ, cui propterea subalternari dicitur,vt suo loco explicatum fuit. Secundo differunt, quod per Theologiam infusam veritates ipsæ non solũ supernaturaliter cognoscuntur tàm ex parte luminis, quam ex parte specierum, sed etiam ipsa connexio, & consequentia illatiua supernaturaliter est nota,non autem lumine naturali acquisita, vt accidit in Theologia nostra, iuxta ea quæ diximus supra,ostendendo quomodo Theologia à nobis acquisita sit habitus formaliter naturalis.

Circa quam multiplicitatem Theologiarum in beatis, eodem ferè modo discurrere possumus, quo insigniores Theologi ad quæstionem nonam tertiæ partis, ponendo in Christo Domino, prętęr scientiam beatam,duas alias sciẽtias insuper creatas,quarum primam infusam per se, aliam verò acquisitam, aut per accidens infusam appellant. Vnde primò sicut illæ multiplices scientiæ in Christo Domino non sunt superfluæ, ita nec in beatis. Quod vt intelligatur breuiter noto, obiecta scita posse duobus modis considerari, primò secundũ multitudinem, deinde iuxta modum quo percipiuntur, idem enim obiectum potest percipi distinctis etiam specie cognitionibus, scientia igitur infusa, licet per se nõ esset necessaria intellectui beato propter multitudinem, & numerum obiectorum, seu scibilium,est tamen requisita in illo ad cognoscendum ipsa obiecta alio modo, nimirum in suo proprio genere; nam creaturæ videntur in essentia diuina, vt in alio cognito,& per intellectum luminæ gloriæ collustratũ, per scientiam vero infusam per se, non in alio tanquam in medio cognito, sed per species acceptas à Deo, & in seipsis cognoscuntur; quod idem proportionaliter dicendum est de ipsa per se infusa, comparatiuè ad Theologiam acquisitam siue formaliter, siue obiectiue solum in patria remanentem. Iterum sicut in Christo Domino, secundum opinionem magis probabilem, lumen, seu habitus huius scientiæ per se infusę, non est idem ac ipsum lumen gloriæ,seu ac ipse habitus quo intellectus beati cõfortatus, & eleuatus videt clarè, & intuitiuè diuinam essentiam, & res alias in illa, sed quid ab ipso essentialiter distinctum, eo quod habeant rationes sub qua specificatiuas specie distinctas ac diuersas; nam ratio sub qua specificatiua luminis gloriæ, est ipsamet diuinitas intuitiuè, & quidditatiue cognita, quia primò per se tendit in Deum cognoscendum sicuti est in se, in alia verò obiecta distincta à Deo, quatenus diuina essentia est ratio cognoscendi illa. At ratio specificatiua sub qua luminis, seu habitus scientiæ per se infusæ est modus ille quo res,& singula eius obiecta cognoscuntur vt in seipsis,& in proprio suo genere, sub ratione quadam perfectiori, & magis abstracta, quàm cognoscantur per omnes alias scientias naturales,scilicet independenter à corpore, & phantasmatibus per species infusas per se, quæ ratio est quidem minus perfecta, quàm sit illa, qua videntur in verbo, aut in diuina essentia clarè visa habente rationem medij cogniti; perfectior est tamen illa, qua videntur à Theologis beatis per species ab ipsis in via acquisitas. Sicut inquam tales scientiæ distinguntur essentialiter in Christo Domino penes sua lumina,ita & in beatis, ob easdem prorsus rationes, & idem dic de alijs. Vnde omnia argumenta, quæ possunt fieri contra hanc triplicem Theologiam quã in beatis reperiri posse diximus, militant etiam aduersus triplicem illam scientiam in Christo Do-

mino

mino communiter receptam.

Tandem pro coronide huius capitis addo sacram doctrinam in statu viæ acquisitã remanere adhuc in beatis veluti effectiuè, ratione scilicet aureolæ; siue laureolæ, quæ est veluti effectus moralis assidui diuinarum ac Theologicarum rerum studij, quo tale præmium apud Deum promeriti sunt. Sicut enim per Martyrium, & Virginitatem, aliquis perfectissimam victoriã obtinet de carne, & mundo, ita & perfectissima victoria contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam eum expellit, & non solum à se, sed etiam ab alijs: hoc autẽ fit per studiũ doctrinæ sacræ, qua Theologus propulsat ignorantiæ, & infidelitatis tenebras in his quæ ad salutem pertinent, quibus princeps tenebrarũ Diabolus conatur in dies omnes decipere, ac in errorem mittere. Igitur sicut virginitati, & martyrio, ob eam rationem quod sint insignes victoriæ, correspondent in cælo duæ aureolæ, ita & doctrinæ, sicque Danielis 12. dicitur, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt tanquam stellæ firmamenti in perpetuas aeternitates*. & Matthęi capite quinto. *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum*.

Quod si inquirat aliquis quinam sint propriè doctores dicendi, quibus eiusmodi Aureola doctrinæ competit. Respondent quidam, solum deberi Prelatis, quibus competit ex officio prædicare, & docere; verum melius D. Thom. in 4. asserit Aureolam doctorum non competere solis Prælatis, & Episcopis qui ex officio docere tenentur: imo nec ijs concedi, nisi actu doceant, quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnæ, secundum illud 2. ad Thimot. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, sed potius dari omnibus qui re vera exercent munus docendi & prædicandi, quamuis sola charitate id faciant. Non enim Aureola hæc debetur ratione status, aut obligationis, sed tantum actus secundi, in quo nempe sita est vtilitas operis, & difficultas laboris. Vnde S. Bonauent. in 4. distinct. 33. art. 2. ad 3. & Henricus Gaudanensis quodlibeto 2. quæst. 12. rectè aiunt ad consequendam istam Aureolam non requiri nec Licentiarum gradum, nec titulum Doctoratus. Intellige non requiri necessario: alias enim constat multis modis iuuare, ac prodesse posse.

Secundo obseruat D. Thomas Aureolam doctorum ijs tantum deberi, qui Theologiam & salutis scientiam profitentur, per quam diabolus à cordibus hominum expugnatur, sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur 2. Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia*. Vnde apparet non extendi ad ius ciuile, nec ad alias humaniores litteras præcisè sumptas & consideratas.

Tertio addunt Theologi vnum aut alterum docendi actum non sufficere ad hanc aureolam, sed multis esse opus, id enim legitimum certamen, cui soli coronam pollicetur Apostolus expostulare videtur. Ita Dominicus Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. vbi etiam notat nil interesse vtrum aliquis doceat viua voce, an solo scripto: sed quemlibet horum modorum sufficere ad aureolam doctoris promerendam, accedente charitate, & alijs ad meritum necessarijs.



SE-

SECTIO SEXTA.

De doctrina Sacra, quo ad diuersa eius munera, procedendique modos, vnde etiam varias suscipit denominationes.

CAPVT PRIMVM.

Quod in Sacra Doctrina sextuplex munus, vel procedendi modus distingui possit: vnde huius operis diuisio.



CVM ratio formalis doctrinæ Sacræ, quatenus est habitus scientificus realiter à diuina fide distinctus, consistat in ratiocinatione & discursu ex reuelatis, eliciendo per euidentem consequentiam, conclusiones, & veritates, quæ virtualiter, & implicitè continebantur in propositionibus fidei; quod visus est innuisse Diuus Paulus Roman. 1. scribens iustitiam reuelari in Euangelio ex fide in fidem, nimirum ex vna re, quę fide teneatur, accipi alteram quæ fide non tenebatur; Cùm, inquam, res ita se habeat in doctrina Sacra, debet esse maximè argumentatiua, ac necessariò vti forma, regulisque Logicalibus; bonitas enim conclusionum, ac euidentia consequentiæ non fundatur in alijs regulis, quàm in Logicalibus, ita vt, si in argumento Theologico negatur aliqua consequentia, non possit aliunde melius probari, quàm per regulas Logicales.

Sic igitur primum munus, primusque procedendi modus Sacræ doctrinæ, ex parte formæ communis ipsi cum omnibus alijs scientijs, est quod respectu suarum conclusionum sit simpliciter *Argumentatiua*, vel, vt alij vocant, *dialectica*, supple adiectiuè, id est, ratiocinans, non enim est *dialectica*, si hoc vocabulum substantiuè accipiatur. Alij etiam ab hoc præsertim munere *Scholasticam*, illam appellant; etsi enim plures, variéque sint huius vocis etymologię, ac significationes; nam hominem de Schola vocat Cicero 1. de Orat. qui eruditus, & doctus optimè fuisset à Magistro; Scholas item quinque dierum appellat 1. Tuscul. quæst. accuratas, & politas disputationes, quę habitę fuerāt à præstantibus viris. Porrò Scholasticus à Seneca dicitur, is qui probè erat in declamationibus exercitatus. Bona, inquit, lib. 10. controuers. fide Scholasticus erat in illis declamationibus, quæ benè illi successerunt, nulli post primum Tetradeum præferendus. Immò Venerabilis Beda de arte metrica Prudentium nobilissimum Hispanorum Scholasticum, & Gennadius in vita Iuliani Capuani, Musæum, Iulianum, Eucherium, ac plerosque alios inter Scholasticos, hoc est inter Scholasticæ eloquentiæ professores nominat. Idem in vita Prosperi, stylum, ait, Prosperi esse Scholasticum, qui inter antiquos ferè est disertissimus. Sidonius Appollinaris lib. 16. Epistolar. Epist. 17. loquitur ad eumdem modum. Et Hieronymus in Epistola ad Titum scri-

scribit se calentibus adhuc in ipso Rethorum studijs, multa de sacris rebus Scholastico flore pinxisse, atque ait Paulum Apostolum, cum in Areopago concionaretur, argumentum concionis ab inscriptione Aræ Atheniensium Scholastica quadam elegantia traxisse. Libro quoque de Scriptoribus Ecclesiasticis memorat, Serapionem quemdam in Aegypto Episcopum, ob ingenij elegantiam cognomen Scholastici meruisse, quem & refert scripsisse librum egregium contra Manichæum. Etsi, inquam, tot ac tantæ sint huius vocis Scholasticæ significationes, quæ sacræ doctrinæ, illiusque professoribus non incongruè possent accommodari; modo tamen Theologiam Scholasticam, indeque Theologos Scholasticos dicimus, qui certiore methodo, & rationibus imprimis ex diuina scriptura, ac traditionibus, seu Decretis Patrum in Concilijs definitis veritatem eruunt, ac discutiendo comprobant. Quod cum in Scholis præcipuè argumentando, disserendique arte, & solertia, quæ dialectica vocatur, comparetur; inde Scholasticæ Theologiæ nomen sortita est doctrina Sacra, eiusque professores Scholastici dicti, hoc est ingeniosi quidam diuinarum rerum disputatores, & acuti.

Secundum munus, seu procedendi modus sacræ doctrinæ, est, quod sit ordinatiua, & explicatiua suorum locorum, vocantur autem loci Theologici, non mysteria ipsa, nec materiæ, de quibus Theologi discurrunt, sed potius sedes quædam, & promptuaria, in quibus continentur media, quibus vti potest, & solet Theologus ad argumentandum, quæ etiam media dicuntur argumenta, quia ex illis procedunt discursus, & argumentationes Theologicæ. Et ab hoc potissimum munere ordinandi, & explicandi suos locos, sacra doctrina vocari debet *Positiua*, siue fundamentalis, ita vt non dicatur *Positiua* ex eo quod agat de iure positiuo libero, & per solam Dei voluntatem imposito, vt docuerunt aliqui, eodem ferè sensu putantes Sacram doctrinam, seu Theologiam debere dici Positiuam, quo ius positiuum vulgò dicimus, quod scriptum, & arbitrarium ex mera voluntate superioris; sed à *Positionibus*, sicut Græcè *Thetica* à thesibus, quia nêpè positiones, & theses vulgò accipiuntur, tanquam firmamenta & fundamenta præcipua cuiuslibet artis vel disciplinæ de qua fuerit disputandum; vnde & Tullius sua paradoxa *Thetica* nominauit.

Tertium munus, procedendique modus, qui distingui potest in sacra doctrina, est circa sua principia, ipsasmetque fidei veritates, cum enim superiorem aliquã in hac vita non habeat scientiam, debet ipsamet disputare cum negantibus sua principia, quæ sunt articuli fidei, & aliæ veritates immediatè à Deo reuelatæ. Iuxta quod munus, ac procedendi modum sacram doctrinam, Theologiam *reflexiuam*, seu *Polemicam* rectè possumus appellare, eo quod se habeat ad modum sapientiæ, seu quod idem est scientiæ superioris in reflectendo supra sua principia, illaque defendendo contra omnes impugnantes, secundum vniuscuiusque naturam, & qualitatem.

Quartum sacræ doctrinę munus cõsistit in debita, & ordinata materiarum Theologicarum dispositiõne, eteni m si omnem scientiam, omnem artem, omnemque disciplinam, methodo aliqua tradi, & absque methodo consistere non posse manifestum est; hoc prę sertim habet locum in sacra doctrina scientiarum omnium perfectissima; ab hoc igitur munere sic ordinatè dispõnedi suas materias, rectè sibi *Methodica* nomen vendicat.

Quintum munus, procedendique modus ad sacram doctrinam pertinens, quique oritur ex differentia quadam vocabulorum, quibus vtitur in explicanda fide, consistit in Metaphorarum vsu ad diuina, & spiritualia significanda, inde-

deque *Symbolicæ* nomen illi imponimus. Dum enim D.Thomas 1. par. q.2. art.9. proponit hanc quæstionem ; *Vtrum sacra scriptura vti debeat Metaphoris* ; Metaphoræ vocabulo intelligit quicquid est symbolicum . Mam vt notat Caietanus, vti Metaphora est vti loquutionibus,quę non verificantur de his, de quibus dicuntur, secundum propriam significationem, sed secundum aliquam similitudinem,& analogiam ad propriè significata : vt cum dicitur, quod Deus noster *ignis consumens est* , vtimur Metaphora, quia Deus non est verè ignis,sed se habet ad modum ignis consumentis . Porrò ignis symbolum est Dei, secundū formationem figurationis cadentis sub sensum. Vt enim suo loco dicetur duplex est genus figurarum , quibus diuina explicantur:Alterum earum,quæ sub sensum cadunt, vt patet in exemplo statim adducto ignis, cumque nominantur Dei *oculi* ,& *aures* , & alia eiusmodi; alterum earum , quæ cadunt solum in intellectum , vt cum dicitur *Dei furor* , & *ira* .

Sextum denique , & vltimum sacræ doctrinæ munus desumitur à fine , dirigendi videlicet affectum in Deum,vnde *Mystica* dicitur , secundum quod iuxta definitionem suo loco explicandā,*Theologia mystica est notitia contemplatiua sapida Dei , ac diuinorum* . Et si enim larga quadam acceptione , ac veluti generica , Mystica & symbolica Theologia plerumque confundantur , vel quia omnis arcani sensus , & significatus de Deo sermocinatio,Mystica dicitur, atq; symbolica ; vel etiam quia Mystica symbolis interdum vtitur ; nihilominus propriè loquendo , aliqua est Theologia Mystica , vltra eam quæ symbolica denominatur. Ita enim Theologia Mystica specificè accepta vsurpat vocabula,& loquendi formulas minus vsitatas , notasque in scholis , vt tamen haud necessarius illi sit vsus *symbolorum* , quatenus symbola distinguuntur à vocabulis,quæ sunt rerum signa , & notæ propriæ. Ratio est , quia Theologia Mystica , siue habitum spectes , siue actum , obit munus suum perfectissimè , quamuis imagines, quibus vtitur,sint rerum propriæ, absque vlla figurata translatione . Imò, quatenus sunt magis propriæ , eo melius perfectiusque negotium suum peragit . Et si posset circa obiectum suum versari , absque formarum intellectualium , vllarumue imaginum alienarum interuentu , etiam has sperneret : vt satis patet ex ijs , quę de functionibus Mysticæ huius disciplinæ dici solent .

En ergò sex præcipua sacrę doctrinæ munera , procedendique modi , de quibus tot etiam distinctis agemus libris ; cum vnusquisque ex illis plura ad perfectam sui notitiam requirat .

CAPVT II.

Vtrum sex supradicta sacræ doctrinæ munera , faciant in ea distinctionem essentialem , ita vt tot sint Sacræ doctrinæ , seu Theologiæ species essentialiter diuersæ .

QVantum ad duo prima munera deducendi conclusiones beneficio artis syllogisticæ in materia Theologica , & ordinandi,vel explicandi locos quibus vtitur in argumētando,sacra doctrina,nemini dubium esse potest , quod faciant in ea distinctionē aliquam essentialem ; Ea enim ratione qua vnus , & idem specie habitus scientiæ , maximè si sit perfectissimus , sapientiæque habitus ; simul est ordinatiuus , & explicatiuus locorum , seu principiorum , vnde sua desumit , ac deducit argumenta ; eadem, inquam, ratione spectat ad vnam & eamdem specie doctrinam sacram deducere suas conclusiones , & ordinare locos ex quibus deducuntur,cum sit omnium

omnium scientiarum præstantissima, perfectissimèque dicta sapientia.

Quod pertinet ad tertium munus reflectendi supra principia Theologica, seu fidei veritates, eas defendendo aduersus impugnantes, soluendo potissimum eorum argumenta; nulla etiam est necessitas ad tale munus, alicuius habitus specificè & essentialiter distincti ab habitu Theologiæ, aut aliarum scientiarum; contra quas pugnant talia argumenta. Aut enim peccant in forma, aut in materia: Si in forma, soluuntur euidenter beneficio artis syllogisticæ. Euidenter enim ostendi potest formæ vitium ab eo, qui nouerit leges rectè disserendi. Si in materia, aut præmissa vna, vel ambæ pugnant directè contra fidem, & tunc, si arguens est hæreticus, & aliquid admittat, aut concedat, ex quo præmissarum falsitas possit conuinci, & ostendi, soluitur non solum euidenter negatiuè, sed etiam cum certitudine positiua argumentum; aut arguens est Gentilis infidelis, & tunc soluitur tantùm negatiuè; & hoc vtrumque per vnum, & eumdem specie habitum Theologię; Si quidem per eumdem habitum assentimur alicui propositioni, & dissentimur eius oppositis, atqui per habitum Theologicum assentimur propositionibus deductis ex reuelatis, nec non etiam principijs reuelatis, prout in formam syllogisticam redacta sunt earum illatiua, ergo, &c. præterquam quod ad eumdem habitum scientiæ, qui simul est sapientia pertinet defendere sua principia; Vel denique ambæ præmissæ pugnant tantùm ex consequenti contra fidem, & directè contra veritatem naturalem, & tunc soluuntur per eam Philosophię partem, cuius veritati repugnant; quamque Theologia vocat vt ancillam ad arcem, vt fusiùs explicabitur libro 3. sectione 7.

Idem dicendum est de munere Methodicè ordinandi materias Theologicas; etsi enim Methodus, quemadmodum & Logica docens, seu à rebus seiuncta, cuius est pars, distinguatur tàm à doctrina sacra, quàm ab omnibus alijs scientijs, tamquam vniuersale earum instrumentum; Methodus tamen sicut, & Logica rebus applicata, & iam in vsu posita, est illamet scientia, vel disciplina cui dicitur applicata. Propterea Aristot. multis in locis scientias ipsas ac disciplinas methodos appellare solitus est; nam methodo vtuntur omnes, methodoque consistunt, si quidem nihil aliud sunt, quam Logicæ methodi in vsu positæ; nos autem in præsentia methodum non à rebus abiunctam, sed Theologicis materijs applicatam considerandam proponimus in sacra doctrina.

Totum igitur difficultatis pondus ad duo vltima reducitur munera, quæ etiã probabilius est non pertinere ad diuisionem aliquam sacræ doctrinæ essentialem, seu generis in suas species, sed potius subiecti in sua accidentia, vel vnius, & eiusdem habitus in diuersa munera veluti inadæquata. Primùm enim sacra doctrina *symbolica* dicitur, quatenus pręcisè figuratis vocabulis explicat diuina, quod totum oritur ex differentia quadã accidentali verborum; ex quorum vsu quemdam reconditum sensum habet, neque illud nobis significat, quod ipsa verba præ se ferunt. Similiter, etsi Theologia Mystica experimentatiua, vel pro vt est notitia, quę adquiritur de Deo, diuinisque, experimentis proprijs in intellectu & affectu firmata; etsi inquam Theologia Mystica sic sumpta, & considerata sit habitus realiter à sacra doctrina de qua in præsenti agimus distinctus, vt potè consistens in altissimo sapientiæ, vel intellectus dono; attamen si loquamur de Theologia Mystica ratiocinatiua, & speculatiua, siue pro vt est notitia, quæ haberi potest de Deo, diuinisque per ratiocinationem, auditionem, vel lectionem, non penetrans affectum nec à sciente vsurpata; certùm est illam non distingui à sacra doctrina; Ratio est, quia vbi est vnum & idem obiectum tàm formale, quàm materiale; nulla est

M ha-

habituum distinctio; sed sacra doctrina pro vt se extendit ad omnia supradicta munera, habet idem obiectum materiale, Deum videlicet, ac diuina; idemque obiectum formale, virtualem scilicet reuelationem; quatenus semper & vbique procedit ex præmissis reuelatis, ac fide diuina creditis ad omnes suas veritates ostendendas, & probandas; ergo dicendum est, omnia supradicta munera, procedendique modos non facere distinctionem aliquam essentialem in sacra doctrina, sed illam esse vnum & eumdem eminentem habitum se se ad omnia illa extendentem.

Finis Libri Primi.



BIBLIO-



BIBLIOTHECAE THEOLOGICAE

LIBER SECVNDVS.

De sacra doctrina quantùm ad munus deducendi conclusiones, beneficio artis syllogisticæ, vndè Scholastica potissimum, vel argumentatiua nuncupatur.

SECTIO PRIMA.

An sacra doctrina verè sit argumentatrix; quantaque sit in illa talis muneris vtilitas, & necessitas.

CAPVT PRIMVM.

Quod sacra doctrina verè sit argumentatrix.



QVAMVIS aliqui Theologi existiment, sacram doctrinam non esse verè argumentatiuam, sed habitũ dumtaxat explicatiuum scripturæ, & articulorum fidei, siue declarando tantùm quid nominis, id est, tradendo significationem vocum, & vocalis orationis, vt sentire videtur Goffredus apud Aureolum quæst. 2. prol. art. 2. siue declarando etiam quid rei, id est, res ipsas, earumque veritates vocibus significatas, vt ibidem docet Aureolus. Nihilominus tamen longè probabilior est opposita doctoris Angelici D. Thomæ sententia 1. p. quæst. 2. art. 8. quod sacra doctrina verè sit etiam argumentatiua, habitusque adhęsiuus, hoc est, inclinans intellectum, vt per assensum, vel dissensum adhęreat alicui veritati nouæ, quæ saltem explicitè non continebatur in alijs veritatibus explicitè creditis, ac reuelatis: *Sicut aliæ scientiæ*, inquit, *non argumentantur ad sua principia probanda; sed ex principijs argumen-*

tantur ad ostendendum alia in ipsis scientijs; ita hæc doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei, sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum: Doctrina autē procedens ex principijs fidei, seu vi necessariæ cōsequentię deducens cōclusiones ex pręmissis reuelatis, ita vt vi talium præmissarum appareat in cōclusionibus aliqua veritas noua, quæ saltem explicitè non apparebat in præmissis secundum terminos earum; talis, inquam, doctrina non est tantùm declaratiua fidei, sed etiam verè argumentatiua, ac discursiua.

Probatur hæc sententia primo authoritate diuinæ scripturæ Sap. 8. vbi sapiens dicitur, *Scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorū*: & Ecclesiast. 39. *Sapiens in versutias parabolarum introibit, & occulta prouerbiorum exquiret*. Similiter in nouo testamento 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis doctrina diuinitus reuelata, vtilis est ad docendum, & arguendum*. Ad Titum 1. *Oportet Episcopum amplecti fidelem sermonem, vt sit potens eos, qui contradicunt arguere*: & additur ratio ab Apostolo: *Quia multi sunt docentes, quæ non oportet*.

Hinc etiam sæpe videmus apertos & dialecticos syllogismos in scripturis ipsis fieri; Diui Mathæi cap. 12. vbi Christus Dominus ostendit se non eijcere dæmonia in Beelzebuth, quia alioqui sequeretur regnum diaboli esse diuisum in seipso, atqui non est diuisum; & hoc rursus probat, quia iam stare non posset: ostendit quoque eodem capite Apostolos suos non peccare vellendo spicas die Sabbathi, quia & Sacerdotes ipsi propter Sabbathum non desinebant mutare panes propositionis, & alios alijs substituere Leuit. 24. Addit & aliā rationem, quia necessitas legem non habet, vt patet exemplo Dauidis, qui in summa rerum penuria constitutus egit contra mandatum, & accepit panes propositionis quamuis esset laicus, quia nempè alios tunc inuenire non poterat, nec egit contra mandatum formaliter, sed tantùm materialiter, cum versaretur in summis angustijs, & mandatum tunc non obligaret; atqui Apostoli vellentes spicas erant etiam in magna egestate, nec cibum habebant; ergò poterant in die Sabbathi illas vellere. Eiusdem Mathęi cap. 22. suam diuinitatem Christus demonstrat ex Psal. 109. Si enim Christus nō esset Deus, sed purus homo, certè regius Propheta non vocaret illum Dominū suum, *Dixit Dominus Domino meo*.

Sic & Christus subtiliter probat resurrectionem mortuorum, nec non immortalitatē animæ, aduersus Saduceos, D. Lucæ cap. 20. quia Deus in scripturis passim vocatur Deus Abraham, Isaac, & Iacob; atqui non est Deus mortuorum, sed viuorum: ergò Abraham, Isaac, & Iacob sunt adhuc viuentes, at non secundum corpus, ergò secundùm animā, ac proindè anima est immortalis: prætereà si Deus est viuorum, ergò totius suppositi anima & corpore constantis; siquidem viuere est suppositorū, & per viuentia intelligimus supposita; ergò cū Abraham, Isaac & Iacob mortui sint, sequitur aliquando resurrecturos.

Diuus etiam Paulus ad Romanos 4. argumentatur gratiam non esse ex operibus, quia alioqui iam esset debita, nec amplius posset vocari gratia; at falsum consequens. Et 1. Corinth. cap. 15. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandā; & sic de alijs innumeris exemplis, quæ passim in diuinis scripturis occurrunt.

Secundò probatur authoritate SS. Patrum, Diui præsertim Basilij in Psal. 115. vbi explicans verba illa, *Credidi propter quod locutus sum*, ait, *In quacumque professione, & via, & ordine ad finem procedente, impossibile est primorum propositorum demonstrationes inquirere; sed necesse est rationalium artium principijs citra contentionem assumptis; id, quod ex propositis consequens est, in his, quæ deindè sequuntur, inspicere. Sic sane etiam Theologia mysterium assensum ex fide, citra examinationem requirit*. En quomodo sacra doctrina inter alia sua munera habet,

habet, quod sit argumentatiua, quodque ex articulis fidei, aut veritatibus à Deo immediatè reuelatis, tanquam ex proptijs, & indubitatis principijs, vel vt loquitur Basilius *citra examinationē*, deducat conclusiones in ijsdem reuelatis principijs virtute contentas.

Cui non obstat quod ait D. Dionysius cap. 2. de diuinis nominibus. *Nulla ratione præsumendum est aliquid de superſubstantiali, secretissimaque deitate aut dicere, aut cogitare præter illa, quæ nobis sacra eloquia tradiderunt:* hoc, inquam non obstat, dum enim in sacra doctrina beneficio artis syllogisticæ, ex scripturæ veritatibus, tanquam ex principijs necessariæ colliguntur conclusiones, quod ipsemet Dionysius frequenter præstitit, nihil verè in ea, aut ab ea consideratur, nisi quod sacra eloquia tradiderunt, non quidem explicitè, ac formaliter, sed implicitè, & virtualiter. Quem sensum clarius reddidit altera versio his verbis: *Vniuersaliter nō est audendum dicere aliquid, nec etiā cogitare de superſubstantiali occulta Deitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex sanctis eloquijs sūt expressa.* Quæ verba explicans D. Thomas optimè ad præsens institutum ait: *Signanter non dicit, in sanctis eloquijs, sed, ex sanctis eloquijs: quia quæcumque ex his, quæ continentur in sacra scriptura, elici possunt, non sunt aliena ab hac doctrina, licet ipsa in sacra non contineantur scriptura*: nimirum expresſè, vel explicitè.

Tertiò probatur rationibus; primò quia vt superiori libro diximus sacra doctrina pro habitu Theologico sumpta, est verè ac propriè dicta scientia, consistitque formalis eius ratio in discursu, & ratiocinatione ex reuelatis, ad distinctionem fidei, quæ ob diuinam veritatem reuelantem assentitur suis veritatibus vt formaliter, & immediatè reuelatis; ergò oportet sacram doctrinam sic consideratam esse maximè argumentatricem; hacque etiam de causa sectione vltima superioris libri vidimus, illam vocari Scolasticam, vel asceticam, ac si diceres certatricem, palæstricam, laboriosam, quia tota est præcipuè in discursu, & in disputatione ad inferendas conclusiones ex reuelatis principijs; alij vocant dialecticam, supple, adiectiuè, id est ratiocinantem.

Secundò, sacræ doctrinæ seu Theologiæ nomine debet ab omnibus intelligi quędam facultas, quæ de rebus diuinis, ac reuelatis, quatenus reuelatis, tractat sub quacumque ratione tractabiles illæ sunt; satis autem constat ex innumeris demonstrationibus, quæ in Theologia fiunt, vt dicemus infra; satis, inquam, inde constat circa huiusmodi res mentem nostram etiā arguitiuè versari posse; deducendo ex illis vt expresſè & formaliter reuelatis, vi necessariæ, atque euidentis consequentiæ, alias veritates non expresſè reuelatas; qui modus est adhæsiuus, & non pure declaratiuus; quia facit intellectum assentiri, & adhærere alicui nouæ veritati, cui antea non adhęrebat; eoque respiciuntur res reuelatæ sub alia habitudine, nimirum tanquàm id, ex quo, & vt principia conclusionum.

At dices, qui assentitur conclusioni virtualiter contentæ in præmissa reuelata facit actum fidei; ergò dicendum est, vel Theologiam non esse à fide distinctam, ac proinde non esse verè argumentatricem; vel distingui tantùm ab illa penes hoc quod sit habitus duntaxat declaratiuus scripturæ, & articulorum fidei; non autem adhęsiuus, aut deductiuus, id est inclinans intellectum, vt per assensum discursiuum adhęreat alicui nouæ veritati. Patet consequentia. Probatur antecedens tripliciter. Primò quia qui assentitur conclusioni, virtualiter contentæ in præmissa reuelata; assentitur propter reuelationem præmissæ, ergò facit actum fidei. Secundò quia si conclusionem negaret, esset hæreticus. Tertiò quia hic assensus conclusionis saltem implicitè continetur in assensu præmissæ, quem admittimus esse assensum fidei; explicitum autem, & implicitum non distingunt assensus fidei ab alijs assensibus, vt docetur in materia

de

de fide, & satis patet in antiquis fidelibus antè Christum, qui eadem fide credebant implicitè multa, v.g. mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quæ post Christum explicitè credimus.

Respondetur ad hoc argumentum negandò antecedens. Ad cuius primam probationem dico, quod ille, qui assentitur conclusioni virtualiter contentæ in præmissa formaliter reuelata, assentitur quidem remotè propter reuelationem; proximè autem non, sed propter assensum præmissæ, cui assentitur propter reuelationem, & Dei attestantis auctoritatem: in ipso enim assensu præmissæ duo debent diligenter distingui, & motiuum, quo assensus ipse in se immediatè nititur, idque est prima veritas Dei dicentis; & totus ipse fidei assensus, actusque creatus, qui potest esse motiuum, & causa mouendi eumdem intellectum ad alium conclusionis assensum eliciendum beneficio artis syllogisticæ, & hoc, vt superiori libro ostendimus, est proprium Theologiæ motiuum, valde diuersum à primo; vt ex se patet; qui enim per habitum Theologicum assentitur cōclusioni eo formali motiuo, quia deducta est ex præmissis reuelatis, assentitur proximè propter reuelatas præmissas tali figura, ac modo beneficio artis syllogisticæ dispositas, quod motiuum est aliquid creatum, & non est increata authoritas Dei reuelantis, quod est proprium ac proximum fidei motiuum.

Ad secundam, non esset hæreticus, si talem conclusionem negaret, ex eo quod putaret illam non rectè sequi ex præmissa; daret tamen magnam hæresis suspicionem, ita vt prudenter existimari posset hæreticus, & vt talis puniri; quia quando est euidens deductio conclusionis ex præmissa reuelata obscura, & ineuidente, nemo sanæ mentis, vimque bonæ consequentiæ penetrans censeri potest negare deductionem, vel consequentiam euidenter veram, sed potius obscuram, & ineuidentem præmissam, vndè cōclusio illa manifestè colligitur.

Ad tertiam respondetur, implicitum considerari posse dupliciter. Primò, vt substat diuinæ reuelationi, ita vt assentiamur implicito, quia Deus dixit, & sic idem est fidei habitus substantialiter circa implicitum, & explicitum. Secundò vt substat deductioni, ita vt implicito assentiamur, quia rectè deducitur ex alio nostro assensu fidei explicito, & tunc mutata formali ratione assētiendi vt statim diximus, versatur circa illud alius distinctus habitus discursiuus Theologicus.

Tertio tandem & vltimo probatur nostra sententia; quia si sacra doctrina pro habitu Theologico sumpta, non esset verè argumentatrix, sed declaratiua tantùm rerum diuinarum, quæ sunt proprium ipsius obiectum, versaretur circa suum obiectum nihil asserendo, ac iudicando de illo, nec attingendo illius veritatem in actu exercito; sed tantùm declarando assertiones, ac iudicia, & veritates alterius habitus fidei, quod munus exerceri posset etiam ab illo, qui omnes fidei veritates negaret; possumus enim, ac solemus explicare sententias, & veras quibus adhæremus; & falsas quibus non adhæremus, v.g. Catholicas & hæreticas. Hoc autem sicut repugnat modo tendendi reliquorum omnium habituum cognoscitiuorum circa propria obiecta, eorumque dignitati, ita & habitus Theologici, sic enim nec sapientia, nec scientiarum præstantissima, imò nec simpliciter sciētia dici posset, contra illud quod superiori libro suo loco demonstrauimus.

CAPVT II.

Vtrum sacra doctrina ita sit argumentatiua, vt habeat veras ac proprias demonstrationes etiam de Deo, tàm à priori quàm à posteriori.

SVpposito quod sacra doctrina verè sit argumentatiua; ex præmissis reuelatis, ac fide diuina creditis procedendo ad alias veritates ostendendas, & pro-

probandas; superest breuiter examinandum, nùm tales argumentationes, sint verè ac propriè demonstrationes tàm à priori, quàm à posteriori; idque etiam de Deo; affirmant enim aliqui, negant verò alij existimantes sacram doctrinã habere peculiare aliquod argumentandi genus ab illis duobus distinctum.

Nihilominus pro intelligentia difficultatis, sententiarumque oppositarum concordia, notandum est primò, malè confundi ab aliquibus demonstrationes *à priori*, & *à posteriori*, cum demonstrationibus *propter quid*, &, *quia*; ita vt dicantur ad conuertentiam, & eadem sit diuisio, quà distinguitur demonstratio in demonstrationes *à priori*, &, *à posterioris* & quà diuiditur in demõstrationes *propter quid*, &, *quia*. Licet enim omnis demonstratio *propter quid*, sit *à priori*; & omnis demõstratio *à posteriori* sit demonstratio *quia*, non tamen è contra: Nam demonstratio *quia* solùm consistit in hoc, quod ostendatur veritas, sed non radix illius propria, & immediata; siue, quod idem est, demonstratio *quia* est illa, quæ ostendit tantùm passionem conuenire subiecto; nõ autem adducit propter quid illi conueniat, vndè in præsenti particula *quia* non sumitur causaliter, sed est pura coniunctio, quasi dicatur demonstratio, quod hoc, sit hoc. Quod autem hoc sit hoc, siue quod detur aliqua veritas, potest interdum ostẽdi per aliquid posterius, scilicet per effectum, aliquandò per aliquid prius, scilicet, per causam remotam, & aliquando per aliquid concomitans. Non omnis igitur demonstratio *quia* est solum à posteriori, id est, ex effectu, sed aliquandò per aliquid prius, scilicet per causam remotam; quamuis omnis demonstratio *à posteriori* sit demonstratio *quia*, cùm fieri non possit, vt satis patet ex terminis, quod in demonstratione *à posteriori* assignetur propter quid conclusionis.

Similiter omnis demonstratio *propter quid*, semper est *à priori*, quia semper fit per causam, eamque proximam, & immediatam; demonstratio enim *propter quid* est illa, quæ non solùm probat passionem inesse subiecto, sed etiam ostendit propter quid illi proximè & immediatè conueniat: quod proculdubio fieri non potest, nisi adducendo in præmissis propriam, & adæquatam talis passionis causam. Non tamen omnis demonstratio *à priori*, est, *propter quid*; illa enim demonstratio, in qua per causam remotam, seu communem non conuertibilem probatur aliquis effectus, proculdubio est demonstratio *à priori*, &, non *propter quid*: cùm enim vnaquæque passio, vel proprietas habeat proprium, & adæquatum propter quid, per quod probetur conuenire alicui subiecto; & demonstratio illa, in qua solùm continetur causa remota, & non conuertibilis passionis, nõ adducat propter quid illius, vt per se constat, certè nulla ratione potest esse demonstratio *propter quid*. Dicendum est ergò has duas diuisiones non omnino coincidere, ita vt demõstratio *propter quid*, & *à priori* conuertantur; & similiter demonstratio *quia*, & *à posteriori*; sed quod multæ sint demonstrationes *à priori*, quæ non sunt *propter quid*, & multæ *quia*, quæ non sunt *à posteriori*: ac proindè licet omnis demonstratio *propter quid* sit *à priori*; & omnis demonstratio *à posteriori* sit *quia*, non tamen è contra.

Supponendum est secundò diuinam reuelationem, quæ est ratio sub qua doctrinæ sacræ modo superiori libro explicato, dupliciter ingredi posse demõstrationes Theologicas; siue, quod idem est, dupliciter posse Theologum vti reuelatione diuina, ad inferendam syllogisticè conclusionem aliquam. Vno modo in actu exercito, alio modo veluti in actu signato. Exemplum primi habetur in sequenti syllogismo. *Omnis homo est discursiuus, Christus Dominus est homo, ergò discursiuus.* Hic enim syllogismus procedit ex quodam principio reuelato, sed non significatur aut exprimitur in illo quod sit reuelatum, licet re verà ita sit, quòd veritas illius prout est in nobis pen-

pendeat ex reuelatione diuina. Exemplum secundi est in hoc syllogismo; *Omne reuelatum à Deo est verum, sed Deum esse vnum, & Trinum, Verbum esse incarnatum, & sic de cæteris, est à Deo reuelatum, ergò est verum*. His prænotatis.

Dico primò, demonstrationẽ Theologicam procedentem ex reuelatione diuina in actu signato solùm, non esse demonstrationem, neque à priori, neque à posteriori; in hac conclusione cõuenire debent omnes Theologi. Et ratio est, quia talis demonstratio neque procedit ex causa, aut proxima, aut remota conclusionis; neque ab effectu conclusionis, vt per se patet, quod enim Deus sit vnus, & Trinus, non est causa huius, quod est esse reuelatum, neque hoc quod est esse reuelatum, est causa huius, quod est esse Deum vnum & Trinum; igitur neque est demonstratio *à priori*, neque *à posteriori*; idem dic de demonstratione *propter quid*, & *quia*. Sed similis demonstratio est propria doctrinæ sacræ, ad quam pertinet argumentari ab authoritate diuina. Quamuis enim locus ab authoritate humana sit infirmissimus, atque adeò nõ possit esse præcisè ratio assentiendi certò, & infallibiliter alicui conclusioni vniuersim loquendo; locus tamen ab authoritate, quæ fundatur super reuelatione diuina, est efficacissimus, & certissimus; atque adeò potest esse medium demonstrationis Theologicæ, ad inferendam aliquã conclusionem certò, & infallibiliter, vt patet in exemplo allato; alijsque similibus.

Dico secundò omnes demonstrationes Theologicas etiam de Deo, posse esse demonstrationes & *à priori*, & *à posteriori*; & *propter quid*, & *quia*; si loquamur de illis secundùm quod procedunt ex principio, vel principijs in actu exercito reuelatis. Hęc conclusio debet esse pariter communis inter Theologos. Ratio fundamentalis est, quia ad hoc vt demonstrationes Theologicæ dicantur tales, nihil aliud requiritur, nisi quod in præmissis assumantur causæ, & effectus, ad probandam aliquam conclusionem, sed quãdò Theologia procedit ex principijs in actu exercito reuelatis, potest procedere à causa ad effectum, & ab effectu ad causam, v.g. *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*; vel, *omne id quod habet duplicem voluntatem, debet etiam habere duplicem naturam intellectualem; sed Christus Dominus duplicem habet voluntatem, ergò duplicem etiam habet naturam intellectualem, diuinam scilicet, & humanam.* Non est igitur cur demonstrationibus Theologicis procedentibus ex aliquo principio, vel principijs in actu exercito reuelatis, denegemus rationem demonstrationis à priori, aut à posteriori; si quidem rationi illi, sub qua doctrinæ sacræ, quæ est diuina reuelatio virtualis, vt superiori libro explicuimus, substare possunt plures propositiones in quibus continentur causa, vel effectus conclusionum demonstrandarum.

Secundò probatur, quia si esset aliqua ratio cur argumentationes Theologicæ non essent verè ac propriè dictæ demonstrationes tàm à priori, quàm à posteriori, maximè ob defectum euidentiæ, vel quia semper in illis proceditur eodem formali lumine diuinæ reuelationis; sed ista non obstant; ergò dicendum est argumentationes Theologicas, esse verè ac propriè dictas demonstrationes tàm à priori quàm à posteriori: Maior est certa, præcipuumque fundamentum aduersariorum denegantiũ argumentationibus Theologicis veram ac propriè dictam rationem demõstrationis à priori, vel à posteriori. Minor probatur quo ad primam partem, tùm quia defectus euidentiæ non tam pugnat cùm demonstratione in eo præcisè, quod sit *propter quid*, & *à priori*, & in eo quod sit *à posteriori*, & *quia*, quàm in eo quod sit simpliciter demonstratio; Igitur si defectus euidentiæ non obstat argumentationibus Theologicis, quin dicantur veræ demonstrationes, vt concedunt aduersarij, nec obstabit quin sint formaliter, & essentialiter demon-

stra-

strationes *propter quid*, siue à priori, & *quia*, siue à posteriori. Tum etiam quia non est de essentia huiusmodi demonstrationum, vt procedant ex notioribus, siue euidentioribus conclusione: quam euidentiam Theologia non habet; sed sufficit, vt procedant ex certioribus, vt superiori libro probauimus, ostendendo quomodò sacra doctrina sit verè ac propriè dicta scientia.

Non obstat etiam secundum, sicut enim in alijs scientijs non tollitur formalitas demonstrationis *propter quid*, & *quia*, propter identitatem in vno formali lumine naturalis abstractionis, ita nec in Theologia, ex eo quod semper procedat eodem formali lumine diuinæ reuelationis virtualis. Quamuis enim eidem lumini substent medium quod est causa, seu ratio prior, & medium, quod est effectus, seu ratio posterior: adhuc tamen intellectus moueri potest ad assensum conclusionis ex illo medio illuminato, non solùm propter lumen præcisè, sed etiam formaliter, quia prius est, vel quia posteriùs; quod sufficere debet, vt demonstratio dicatur esse formaliter *propter quid*, vel *à priori*, & formaliter *quia*, vel à *posteriori*.

Tertio tandem, si esset aliqua ratio, cur argumentationes Theologicæ de Deo, rebusque diuinis in particulari non essent veræ demonstrationes *propter quid*, vel *quia*; maximè quia vt volunt nominales, id asserentes; ad essentiam, & formalitatem huiusmodi demonstrationnm, necessarium est, vt procedatur, per medium, quod sit vera causa, vel verus effectus, nimirum cum actuali distinctione à parte rei inter causam, & effectum, & subiectum, de quo in conclusione aliquid probatur per illud medium; quod repugnat infinitæ simplicitati diuinæ; sed ista ratio nulla est, ruinosoque innititur fundamento; si quidem talis distinctio realis, non requiritur, sed sufficit virtualis, seu fundamentalis, & quod medium ex suo intrinseco, & formali conceptu sit, vel quid *prius*, & realis quædam ratio, propter quam verè aliud posterius conueniat subiecto, ita vt si per impossibile inter illa daretur vera causalitas, illud natura præcederet, & causaret, hoc natura subsequeretur, & fieret ab illo; vel sit quid *posterius* cum suo priore inseparabiliter coniunctum; vt satis patet primo in pluribus demonstrationibus Metaphysicis. Secundo in opinione eorum, qui nullam distinctionem ex natura rei agnoscunt in potentijs inter se se, & cum subiecto, in qua non minus rectè demonstratur à priori v.g. de homine admiratiuum per discursiuum, & à posteriori admiratiuũ per risibile; ac si ista omnia inter se realiter distinguerentur. Et ratio est, quia demonstratio cum sit actus rationis discursiuæ, pendet à terminis vt stant sub esse cognoscibili, & apprehenso per simplices notitias, quibus vnum terminum ab alio abstrahimus, & sine alio consideramus. Quem cognoscibilitatis statum æquè semper habent termini demonstrationis, siue actualiter, siue fundamentaliter tantùm distinguantur.

Hoc autem totum reperitur in Deo, rebusque diuinis; etsi enim simplicitati Dei repugnet ratio medij realis actualiter distincti, non tamen ratio medij rationis distincti virtualiter; siue quod idem est, licet repugnet aliqua demonstratio de Deo, quę procedat per medium, quod sit verè, & realiter causa inhęrentiæ prædicati, seu passionis ad subiectum de quo demonstratur. Quo sensu D.Thom. 1.contra Gentes cap.25. asserit. *Non posse demonstrationem de Deo fieri nisi per effectum; quia principium demonstrationis est definitio eiusdem de quo fit demonstratio Deus autem definiri non potest*; etsi, inquam, talis demonstratio procedens per veram causam in essendo, quæ est essentia definibilis, constans ex genere, & differentia, repugnet Deo, ob infinitam eius simplicitatem; non tamen illa, quæ procedit per medium, quod sit ratio quędam virtualiter prior eo, quod accipitur vt passio, simulque ratio, vt talis insit subiecto, eique conueniat; per quod satis patet, ad om-

nes obiectiones, quę contra nostram conclusionem fieri possent.

CAPVT III.

Quam sit necessarium argumentandi munus, Philosophiaque subtiliter disputantis vsus in Sacra doctrina, seu Theologia.

Diuersis temporibus non defuere plures etiam hęretici, qui vel pro suo rerum omnium diuinarum, & humanarum contemptu, vel ne facilius sinceræ, ac germanæ Philosophiæ, & Dialecticę præsidijs, perplexos illorum aduersus Catholicam veritatem nodos, ac laqueos solueremus; non defuere, inquam, plures hæretici, qui in Theologiam Scholasticam, pro eo potissimum quod illis vtitur & ad diuinarum rerum scientiam frequenter adhibet, implacabili odio lati sunt.

Sic Donatistæ D. Augustino Dialecticæ vsum pro crimine obijciebāt, quasi Christianæ non congrueret veritati, vt ipsemet Augustinus testatur lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 13. Per easdem semitas incessit Vvicleffus, dum asseruit. *Vniuersitates, studia, collegia, graduationes, & magisteria in eisdem esse vana Gentilitate introducta, & tantum prodesse Ecclesię, sicut prodest diabolus.* Vt patet ex articulo in Concilio Constantiensi damnato. Extat etiam de hac re longa & stomachi plena contra Latinos, & cultum ab illis Theologiæ Scholasticæ studiū expostulatio Nicephori Gregoræ historici Gręculi in fine libri decimi, qui viuebat circa annum Dñi 1328.

Caluinus quoque, & Lutherus duo pręcipui hæreticorum nostri temporis antesignani non minori odio Theologiam Scholasticam prosecuti sunt: Nam primus in suis institutionibus Theologos Scholasticos, passim *Sophistas* vocat, docetque illos, *velut obducto velo Christum texisse, & plurima mala illis accepta referri debere*; scribit quoque, *quod tota Papatus Theologia, immane sit chaos, & horribilis labirynthus, quia neglecto Christo sibi insanis, & ventosis speculationibus indulgent.* Lutherus autem, etsi Theologiæ Scholasticę magisterium aliquando se in pretio habere ostenderit, cum ab vna ad aliā vniuersitatem, & academica iudicia appellaret, nihilominus tamen postea Theologorum Scholas lib. 2. de abroganda Missa *Satanæ Lupanaria* vocauit, multisque alijs conuicijs onerauit.

Dolet quippè hæreticis, quod videant suas fraudes, & dolos, suas imposturas, suam ignorantiam per Scholasticam Theologiam exactè, diligenter, ac neruosè confutari, vellentque si possent perturbare omnia, ac tenebris inuoluere, sicut mendacium odit lucem, & diabolus est princeps tenebrarum, vellent Ecclesiam Catholicā validissimo Scholasticæ Theologiæ præsidio, & auxilio carere, vt illam facilius inuadere, ac dissipare possent; dicente vno ex illis Bucero, *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam*; Qua in re certè Philistæos imitari videntur, qui cum Hebræos ad ciuitatem Gabam expugnassent, teste Iosepho lib. 6. antiq. cap. 7. Seuerè illis prohibuerunt, ne deinceps haberent fabros ferrarios, itaque 1. Regum 13. non inueniebatur ferrarius faber in Israel, & descendebat vnusquisque ad Philistim, vt aceueret vomerem suum, vel ligonem, aut securim: videbant enim Philistæi hoc modo futurum, vt Israelitæ omnibus armis priuarentur in perpetuum, nec pugnare amplius possent; ita ergo & hæretici, omnesque illi quos sectarum, & dogmatum nouitas delectat, cuperent Catholicorum Scholas de medio tolli, vt his sublatis, vel nulla, vel saltem minus apta, & vtilia arma nobis ad spiritalem pugnam superessent.

Cęterum frustra iacitur rete ante oculos pennatorum; quo enim magis videmus hanc Scholasticam Hæreticis ingratam, & exosam, eo feruentiùs & alacriùs illi incumbere debemus, eorum ad quos prouocant, exemplo Theologorum veterum, & authoritate conuicti; qui ita Dialecticam à Theologia segregan-

gandam putarunt, quo ad eam partem, quæ Eristica, hoc est, *litigiosa*, & *contentiosa* dicitur, qua Sophistæ tam Gentiles, quàm Hæretici identidem vtebantur ad Christianam, & Catholicam euertendam fidem, ac circumueniendos rudes, aut minus, quàm isti erant, versutos, & callidos; vt tamen veram ex eâ differendi artem, ac solertiam, ad diuinarum rerum scientiam, vel ornandam, vel tuendam, vel formandam adhibuerint.

De ornatu perspicuum est, quantum ad illum conferat in Sacra doctrina, dialecticæ cum illa Societas. Tunc enim aliqua scientia numeris omnibus absoluta dicenda est, quando primùm secundum rectum docendi ordinem colligũtur simul variç eius sententiæ, hic illic sparsę, ad eamdem quæstionem pertinentes, nec solum colliguntur, sed insuper exponuntur perspicuè, simulque inter se conferuntur, simul conciliantur vbi aliquid contrarium, & repugnans prę se ferunt: & sic de similibus; Hoc autem totum habet scientia Theologica, ab eo potissimum, quod differendi ars, & solertia, quæ dialectica vocatur, ad diuinarum rerum tractationem adhibeatur, ac per vniuersam implicata, & conserta, pœnè idem, vnumque cùm ea componat disciplinę corpus. Illius enim ope omnia in locos communes digerit, seruata semper methodo secundũ rectum docendi ordinem; ita vt à Deo optimo Maximo incipiat, inde transeat ad diuinæ prouidentiæ effectus, quia scilicet Deus est adęquatũ totius Theologiæ obiectum, & omnia ad illum referenda. Neque Scholastica solum ordinem seruat in prædictis, sed etiam inter quoscumque alios Theologię tractatus, & titulos, vel materias, quę inter se connexæ, alięque alijs fulciuntur, ac nutriuntur, colligendo simul ad illorum omnium probationem varias Sacrę Scripturæ sententias hic illic sparsas, ad eãdem quęstionem pertinentes; Præterea non solum colligit varios illos textus, sed exponit perspicuè, simulque inter se confert, simul conciliat, vbi aliquid contrarium & repugnans prę se ferre videntur. Tandem non hęret cum solis Scripturis, sed etiam addit indubitatas Ecclesię traditiones, Summorumque Pontificum, & Oecumenicorum Conciliorum definitiones, euoluit historiam Ecclesiasticam, adhibet libros, & commentarios Sanctorum Patrum; quibus omnibus certè nihil ad Sacram doctrinam ornatiùs esse potest, vt satis ex se patet.

Verùm quod maius; non tantùm Dialectica modo explicato diuinarum rerum scientiam ornatiorem, sed & munitiorem etiam reddit aduersus omnia inimicorum tentamenta. Vnde non immeritò Clemens Alexandrinus in lib. 6. Stromatum dialecticam *Sepimentum* appellat, *vt ne à Sophistis veritas proculcetur*. Quod prius eleganter docuerat l. 2. *Est*, inquit, *per seipsam perfecta, & nullius indigens doctrina Saluatoris, vt potè facultas, & sapientia Dei. Porrò Græca Philosophia ad eam accedens, non potentiorem facit veritatem, sed Sophisticam aduersus eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum & vallum dicitur*. Basilius quoque ad capur 1. Isaiæ: *Facultas*, inquit, *Dialectica muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere*. Nimirum etsi ad repellendos, ac refutandos hęreticos, diuinis scripturis, ac dogmatibus, hoc est proprijs disciplinæ suæ principijs nitatur Theologus, ac præcipuum in ijs robur, & momentum pugnæ positum habeat: non tamen illis ipsis vti, nec ea tractare scienter arma poterit, si sit dialecticæ rudis à qua definiendi, diuidendi, ratiocinandi modum, ac vim accipit: nec non artes aduersariorum, & fallacis, tum quemadmodum diluendæ, dissoluendęque sint, illa pręeunte, ac monstrante cognoscit.

Et ad hoc accommodant aliqui allegoriam ex pugna Dauid cùm Goliath desumptam, cui quidem Iordanis fluuius aut torrens in valle Therebinti lapides

N 2 ad

ad pugnandum firmos, ac limpidos ministrabat; attamen, nisi ipse aptato lapide, fundaque circumducta, in frontem Spurij Gigantis collineasset, non abstulisset opprobrium populi, & Philisteus incircumcisus exprobraret adhuc acies Dei viuentis. Ita profectò, quamuis sacrarum litterarum effata, ipsa Dei verba validissimi lapides in capita nequitiæ sint; nisi tamen illa Theologus, dirigente ingenium Deo, rationis appositę, seu fundę turbine, in argumentationis rotauerit gyrum pręsidio artis syllogisticę, hereticam prauitatem, frontem illam perfrictam diaboli non confringeret, neque Satanam immanem illum Colossum Babylonicum deturbaret.

Quare Basilium Gregorius Nazianzenus prædicat orat. 20. quod artes omnes, atque doctrinas apprimè calleret; præsertim Philosophiam, eiusque partem illam, *quæ in Logicis demonstrationibus, aut appositionibus, & concertationibus versatur, quam Dialecticam nominant: in qua adeo excelluit, vt ijs, qui cum eo disputabant facilius esset è labyrintho se se extricare, quam argumentorum eius laqueos effugere, si quando res ita postularet.* Et certè quid aliud Basilius, & Gregorius Nyssenus in libris contra Eunomium faciunt, nisi ex dialecticis locis, ac regulis perplexa, & captiosa omnia illius argumenta dissoluere? Quid Cyrillus Alexandrinus, in Thesauris, & Dialogis; nec non in commentarijs ad Ioannem, ac passim alijs in libris instituit, præterquam vt hereticas fallacias, & subtiles argutias eodem differendi acumine configat? Idem & plerique alij Græci, Latinique studuerunt. Hinc Arnobius, non ille, qui scripsit contra gentes, & sub Diocletiano floruit, sed alius iunior, qui paulo post Sanctum Leonem Papam vixisse videtur, in conflictu Catholici cum Serapione de Deo Trino, & vno, obijcienti hæretico, *in dialecticum sophisma prorumpis,* occurrit sic: *Dialecticum sophisma duas facies recipit, & vt verum probetur, quod adstruitur, & non verum ex aliqua parte arguatur.* Et antea, dicenti eidem Hæretico; *Cesset ars dialectica;* respondet: *Ars dialectica in rebus obscuris ingreditur, vt videatur esse verum, quod verum est.* Quod sanè didicerat à D. Augustino in secundo libro de Doctrina Christiana cap. 31. vbi ait, *disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda, & dissoluenda, plurimum valet. Tantùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium.* Et fusius lib. 1. contra Cresconium capit. 13. & sequentibus, vbi Hæretico dialecticam ipsi pro crimine obijciente, & ideo velut hominem dialecticum meritò fugiendum potiùs & cauendum, quam refellendum reuincendumque dicente; acriter illum reprehendit, & quantùm ad sacram scientiam dialectica prosit, non solum exemplo Christi Domini, Diui Pauli, sed & validissimis etiam rationibus ostendit per sex integra capita.

Tandem de hac necessitate Dialecticæ in Theologia, seu ad tractandas sacras & litteras, & disciplinas non solum ad maiorem earum decorem, ac præsidium singulare, sed vt facilius etiam tam in nobis, quam in alijs efficiantur, ac formentur, memorabilis est D. Augustini locus lib. 14. de Trinitate cap. 1. vbi loquens de Theologia secundum quod est scientia, & habitus beneficio artis syllogisticę discursiuus, ait. *Per hanc scientiam fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Eamdem Theologiæ Scholasticæ, vel Dialecticæ necessitatem eleganter significat D. Ambrosius in cap. 5. S. Lucæ, comparans illam cum ijs rebus, de quibus dixit Christus. *Laxate retia vestra in capturam; Quæ sunt,* inquit, *Apostolorum, quæ laxari iubentur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittant?*

Et certè cum fides, rerumque diuinarum scientia gigni non possit, nisi ex præ-

præcedente auditu, & prædicatione dicente Apostolo ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Satis patet. quantum ad hoc sit vtile, & necessarium Theologię Scholasticę magisterium, cuius est, rerum reuelatarum possibilitatem, & credibilitatem ostendere, obscuritatem declarare, quid ex quoque consequens sit, & consentaneũ explicare; separare distincta; copulata iungere; diuidere, definire, ratiocinari, ex quibusdam reuelatis deducendo conclusiones, tàm ad alias res reuelatas intelligendas, explicandas, confirmandasque, quàm ad alias veritates, quæ non sunt explicite reuelatæ; sed continentur implicitè, & virtute in alijs explicitè, & formaliter reuelatis. Quæ omnia sunt certa, & necessaria doctrinæ instrumenta.

Vndè manifestum relinquitur, quàm temerè nouatores suas acuerint linguas, & pennas in nostram Scholasticam, quã antiquissimi, & Sanctissimi Patres, non verbis tantum, & sententijs suis, sed factis etiam, & exemplis probarunt, solumque in ea condemnarunt, vel immoderatum dialecticæ vsum, vel quo ad illam partem quæ contentiosa, & sophistica dicitur; vt præclarè inter alios docet Clemens Alexandrinus lib. 1. stromat ex illo loco 1. ad Timoth. cap. 6. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, &c. languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, &c.* Et rursus lib. 6. *Qui in Philosophia*, inquit, *appetunt ea, quæ minimè necessaria sunt, sed superflua, & in solis ad contentionem factis Sophisticis argutijs insistunt, ab necessarijs aberrant, ac præcipuis: qui vmbras doctrinarum reipsa persequuntur.*

Sed nec illam adhuc partem funditus aspernandam esse voluerunt Patres: non, vt ea sic vtamur, quomodo hæretici, ac reliqui hostes Ecclesiæ, ad oppugnandam veritatem, falsamque adstruendam opinionem: sed ad propugnandam potius fidei doctrinam, & ad illorum perplexos nodos, ac laqueos eiusdem, vnde implicati sunt, artis ope soluendos. Qua in re placet audire Diuum Ioannem Damascenum Dialog. cap. 1. *Omnis artifex*, inquit, *aliquibus instrumentis opus habet, ad operum suorum effectionem. Porro decet reginam ancillarum quarundam vti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas, tanquam veritatis famulas, & impietatem, quę tyrannico dominatu sibi eas vsurpauerat, procul amandemus: neque bono malè vtamur: nec ad circumueniendos simpliciores, conuertamus artem illam disputandi. Ac tametsi neutiquam varijs istis sophisticis inuentis veritas opus habeat; nihilominus ad euertendos malos illos pugnatores, & ad falso nomine appellatam istam refellendam scientiam, illis vtimur.*

CAPVT IV.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra Doctrinam Superiori capite traditam de necessitate, & vtilitate Theologiæ Scholasticæ.

QVamuis ex dictis superiori capite satis constet aduersus hæreticos, morososque illos, ac delicatos, quibus Philosophicæ, ac dialecticæ subtilitatis genus omne displicet; qua ratione ad Theologiam, fideique doctrinam laudabiliter adiungenda sit; quęue iterum culpanda, & ab illius communione maiorum iudicio reijcienda; quia tamen vel propter tarditatem non intelligunt, vel quod verisimilius nequiter, & calumniosè dissimulant; prestat in hoc capite, vt stultè molesti esse desinant, earum, ad quas prouocant, authoritatum, & rationum momentis satisfacere.

Primumque occurrit Nicephorus Gregoras in libro decimo historiæ suæ, vbi orationem describit, quam in conuentu presulum habuit, vt eos absterreret à certamine cum Latinis ineundo de processione Spiritus Sancti ab vtroque, ad quod duo illos Episcopi prouo-

cauerant ex Occidente missi de conciliandis inuicem Ecclesijs. In hac enim declamatione primùm in Latinorum superbiam inuehitur, qui sibi primatum arrogarent ex Petri successione. Deindè subtiles & acutas in rebus fidei, Theologicisque disputationes funditus damnat, cum earum magistra dialectica, hoc argumento: quòd cùm ratiocinandi genera sint duo; alterum necessariū, quod *demonstratio* dicitur; alterum probabile, quod dialecticæ proprium habetur: neutrum in diuinis rebus explicandis vtile esse possit. Non prius: *Nam si efficientem scientiæ demonstrationem consequens est propositiones exigere certas, & confessas, quæ demonstrari nequeant, & sint cõclusione notiores: eæ verò vel inductione, vel sensibus, vel experiẽtia manifestæ reddantur, nullus istic argumentationi locus est, quæ ex demonstrandi scientia conficitur: eo quod ad contemplandum difficiles sunt diuinarum rerum rationes, neque cõprehendi possunt.* Porro neque posterius syllogismi genus quidquam valet, quoniam ex opinabilibus, ac verisimilibus tantummodò procedit: quæ ad veritatis inuestigationem imbecilla sunt, & Sophistis, quàm Theologis aptiora. Vndè subiungit antiquos illos Patres syllogismis, & argumentatione vsos esse diuinis in rebus exponendis: *Non ad Dei naturam vel proprietatem explicandam; neque ad hoc docendum, quid esset generatio filij, vel Spiritus Sancti processio: sed eo potius, vt indecorè in Theologiam prosilientes cõpescerent.*

Græco huic plus æquo Theologiæ Scholasticæ infenso melius responderi non potest, quàm per alium Græcum, Emmanuelem videlicet Calecam, qui circa annum Domini millesimū ducentesimum octogesimum floruit; & contra tetricos, ac Nicephori similes quosdam, ex eadem Græcia, quibus subtilis ac scholasticus disputandi vsus fastidio erat, & qui Apostolicum illud 1. Corinth. cap. 2. vsurpabant: *in illa sapientia verbi euacuari crucem Christi*: contra illos, inquam, patrocinium eius assumens, necessarium esse demonstrauit. *Qui syllogismos, & argumentationes penitus excludit à Theologia, primū id quod humanæ naturæ proprium est, & hominum inter se colloquium, & communionem tollet è medio. tum beatum Paulum redarguet reprehendentem eos, qui ex aspectabilibus rebus de Deo ratiocinari minime potuerunt, & ex creaturis agnoscere creatorem. Vitio id etiam vertet Theologis, siue de ijs, quæ ad hypostases attinent, siue de diuinis processionibus disputantibus. Quin ipsius Saluatoris sententiam labefactabit, qua scrutari scripturas iubet. Perspicuum est enim, eum qui scripturas perscrutatur, nonnisi argumentando legere.* His adiungit, Christum etiam Dominum syllogismis non raro vsum esse vt primo huius sectionis capite notauimus. *Ad hæc sibi ipsi quoque contrarius ille fuerit*, paulo post ait idem Calecas; *Nam quæ contra argumentationem dicit, ea nonnisi argumentando loquutur.* Cui rationi similem quandam adducit Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 13. Et antè vtrumque Clemens Alexandrinus lib. 6. stromat. vbi asserit, *Philosophandum esse, vel si minimè philosophandum est. Non enim improbari ac damnari aliquid potest, nisi prius cognitum sit.*

Præterea, pergit Calecas; si processionem Spiritus Sancti à Patre filioque nefas est argumentatione conficere: ne eiusdem quidem processionem Spiritus solo ex Patre licebit colligere: quod tamen Græci ipsi sedulò, & acutè ac subtiliter quantùm possunt conantur facere. Quod ipsum & contra hæreticos, ostoresque cæteros Scholasticæ Theologiæ valet, illoque vtitur Augustinus loco statim citato. Vnde præfatus author rectè subiungit: *Non vniuersè argumentari esse malum: sed tantummodo ad id, quod propositum est, nõ congruis vti principijs, ac putare fidem naturalibus demonstrari principijs. Quod si quis ad id, quod in quæstione est, eorum aliqua, quæ de Deo identidem existunt, communia principia fidei, & ratas, ac definitas Patrum sententias accommodet, quibus constitutis, ac nullo*

lo torum, quæ posita sunt, euerso, consentanea istis aliqua concludit: quemadmodum antiquis Patribus de consubstantiali, deque aliјs multis fidei quæstionibus disputantibus vsu venit; nihilo secius fatendũ erit, conclusionem illam esse scripturæ sententiam, quæ quidem ex illius pendet principijs, ac causis ijs congruit, à quibus oritur: tum eadem conclusio Theologica dicetur, ac reuelatione cognita. quemadmodum geometricæ conclusiones vocantur, quæ ex geometriæ principijs ducuntur. Quod nisi ita sit, permulta, quæ fide certa sũt, nec expressè in scripturis comprehensa, tollemus.

Secundò Caluinus, Bucerus, & alij opponunt Theologiam Scholasticam, eiusque doctores nihil aliud in ore habere, quàm Philosophiam & Physicas rationes. Sed hoc apertum esse mendacium satis constat ex eorum libris, vbi perpetuò à scripturis sacris incipiunt, eas colligunt, explicant, conciliant, mox transeunt ad definitiones, & traditiones Ecclesiæ, ad libros, & commentarios antiquorum Patrum, ad historiam Ecclesiasticam vbi opus fuerit, quod si aliquandò, non solùm ex fidei principijs in argumentando procedant, sed Philosophiam etiam cum diuinarum rerum expositione immisceant, id per se reprehendendum non est. Etsi enim, vt libro huius operis quinto dicetur, si nimium immoderatè se se philosophia inferat, nec laudari possit, & omnino coërceri debeat, vt suis finibus continere se discat, attamen si intra mensuram id fiat, nemini dubium esse potest, quin etiam ad doctrinam fidei explicandam laudabiliter vsurpentur Philosophicæ disciplinæ, quia gratia supponit naturam, eamque perficit non destruit, & sæpè ingruit necessitas agendi cùm Paganis, cum Atheis, vt omnes ad Christum adducantur; atqui nihil tunc prodesset disputatio, nisi ex principijs naturalibus, quæ aduersarij admittant, & negare non possint: sæpissimè etiam Catholici petunt sibi explicari easdem quæstiones, vel dubitationes, ex Philosophia, & ratione naturali subortas, ita vt nisi aliquis eorum voto satisfaciat, grauissimas indè patiantur tentationes, & difficultates. Denique Hæretici ipsi quotidie in causa sunt, cur doctores Scholastici ad Philosophicas disciplinas se conferant, solent enim arguere ex illis aduersus doctrinam fidei, v. g. non posse idem corpus esse simul in diuersis locis, non posse plura corpora se inuicem penetrare, in eodem loco, non posse accidentia à subiecto separari, & separata conseruari, vt his machinis impugnent fidem infirmorum, simulque ipsam augustissimi Eucharistiæ sacramenti veritatem; itaque tunc cogunt nos Philosophiam attingere, vt eorum sophismata dissoluamus. Ita olim Arriani vtebantur quoque argumentis Philosophicis, seu potius sophisticis aduersus sacrosanctæ Trinitatis mysterium, vt Catholicos seducerent, habebantque, ait Beatus Epiphanius, trecenta argumenta ex ratione naturali, vndè & Porphyriani dicti sunt. Quis ergò miretur Theologos Scholasticos aliquandò vti Philosophia, quando ipsi aduersarij compellunt? Vel quis reprehendat, quod in scholis accingant se ad tales disputationes, vt tela præuisa retũdant facilius, atque in hostes postea retorqueant, maximè cum in hoc habeamus exempla antiquorum Patrum; vt fusius dicetur libro sequenti sectione septima.

Tertiò Desiderius Erasmus ad cap. 1. epist. 1. ad Timoth. primùm Theologiã Scholasticam improbat, & reprehendit; quia satius sit benè, innocenterque viuere, quàm acutè tot ac tanta in ea tractare: Deum piè, religioseque colere, quam de eius natura, personis ac proprietatibus anxiè quærere. Verùm quàm hæc ratio, qua conatur in Theologia eleuare subtiliũ hoc genus disputationum, absurda sit, & futilis, satis patet. Vt enim præferendus sit doctrinæ studijs morum vitæque cultus; non tamen damnanda, vitioque vertenda ista sunt: sed suum quoque tempus, ac locum laudabiliter occupant. Alterum, quod in Theologia Scholasticã criminatur

natur Erasmus, est, multa in ea tractari, quæ non sunt cognitu necessaria, nec ad salutem requiruntur. v. g. de Angelis, de dæmonibus, de inferis, & igne damnatorum; An Deus possit actu infinitum producere. An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere, quam fecit, & alia similia. Respondetur querimoniam esse absurdissimam, si quidem distinctio esse debet inter populū, & pastores populi, inter idiotas, & eruditos Theologos; & quamuis sufficiat populo simplex cognitio mysteriorum, non tamen pastoribus, nec doctoribus, qui aliorum infirmitati subuenire, eorum dubia, & scrupulos amputare, infidelium argumenta & sophismata diluere tenentur; ad quæ omnia præstanda, non solum superuacanea non est: sed etiam vtilis; imò interdum necessaria, nouarum plerumque quæstionum, & inauditarum tractatio. *Didicimus enim*, vt rectè scribit Augustinus lib. 2. de dono perseuerantiæ, *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.* Et lib. 16. de ciuitate Dei cap. 2. *Multa quippe*, inquit, *ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possunt, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur: & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio.* Item serm. 63. de diuersis, *Sacramenta enim, quæ illic latent, nemo discuteret, simpliciore contentus fide; & ideò nemo inueniret, quia nemo discuteret, nisi pulsantibus calumniatoribus.* Quod idem post S. Augustinū docuit D. Gregorius Magnus: *Cum grauiora*, inquit, *prodiere hostium certamina, tunc sunt profectò subtiliora sensuum spicula requisita: tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum.*

Et certè, vt innumeras alias omittam hæreticorum cauillationes, quomodo contra Sabellianos, & Arrianos, & huiusmodi Trinitatis hostes Catholica propugnari doctrina potuit, sine limata & exquisita rerum notitia; velut quid natura sit, quid hypostasis, persona, essentia, relatio, ac reliqua similia? Quis Apollinarem, Nestorium, Eutychem, ac multiplicem sectę istius hydram perdomare posset, nisi ijsdem in disputationibus probè, luculenterque versatus? Postea cum Græci homines in Aristotelis palæstra multum exercitati, de personarum processione litigare cæperunt, vt Spiritum Sanctum solo ex Patre ortum esse dicerent: nonne de principij vnitate, quod eorum præcipuum est firmamentum, quæri à nobis, ac disputari debuit, si illis repugnare vellemus? Et sic de cæteris quæstionibus, quas Erasmus ad ludibrium selegit; vndè etiā nullæ sunt tàm ex illis, quàm ex alijs multis, quas omisit, quæ in Sanctis Patribus non reperiantur pertractatæ, multo adhuc, quàm in scholis subtilius, ac diffusius.

Quartò Archiapostata Spalatensis Marcus Antonius de Dominis in suo pessimo consilio suæ apostasiæ cap. 5. inter alios inanes prætextus sui ab Ecclesia Catholica, eiusque doctrina discessus, hunc quoque commentus est, videlicet *se deprehendisse inter Patres, & Scholasticos implacabile bellum.* Respondetur hoc esse falsum, Scholastici enim, & posteriores Ecclesiæ Catholicæ doctores in materia dogmatica, nullo modo à Patribus discordant, sed cum ipsis mirificè concordant, vt satis patet ex eorum libris, qui præ omnium manibus habentur.

Quintò Pappus Argentoratēsis Theologiam Scholasticam, eiusque doctores reprehendit, quod in multis, etiam Christianæ fidei capitibus inter se digladientur; ita vt non tam dissensiones sint, quàm manifestæ contradictiones Catholicæ fidei. Respondetur omnes Scholasticorum disceptationes, quas ipsi inter se dubio, contrarioque sensu controuertunt, esse vel de casibus ad ius positiuum pertinentibus, vel de minutioribus Theologicarum quæstionum spinetis,

ctis; vel de his denique de quibus nulla extant decreta Catholicæ Ecclesiæ: non autem de solidis Christianæ doctrinæ membris, non de ipsis fidei nostræ articulis, non de alijs quæstionibus per Ecclesiæ iudicium definitis. Quod autem ita pugnent inter se Scholastici scriptores, nec non etiam plerumque in rationibus, & medijs ad explicationem & probationem dogmatum pertinentibus; nihil vnitati, aut veritati doctrinæ præiudicat, quin potius ad dignitatẽ Theologiæ conducit varios habere exitus ad soluendum, & introitus ad ingrediendum viam veritatis; vt rectè ponderat Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatũ, nostroque proposito adaptat illud scripturæ Psal. 117. *Aperite mihi portas iustitiæ &c. Sed viæ quidem ad iustitiam, cum Deum seruet (multimodis enim est bonus) sunt multa, & variæ, & ferentes ad viam Dominicam, & portam. Quod si viam regiam, & ingressum quæris valida authoritate munitum, audias. Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.*

Aliæ hæreticorum obiectiones pariter inanes sunt, ex prouerb. 25. *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Ecclesiast. 3. *Altiora te ne quæsieris,* 2. ad Corinth. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequiũ Christi.* Quia, inquiunt, Scholasticorum argumenta minuunt meritum fidei, nec tanta est cum his argumentis obedientia, aut simplicitas, ac si nullæ rationes essent; vnde D. Basilius orat. de natali Domini. *O absurditatem! Magi adorant Christum, & Christiani inquirunt, quomodo Deus in carne, & quali carne assumptus fuerit.*

Respondetur hæc omnia aduersus eos valere, qui sic Dialectica, vel Philosophia nituntur, vt à fidei principijs abducant disputationem: vel certè contrà fidem, doctrinarũ illarum inuentis abutuntur: Quorum prius gentiles faciebant Philosophi; qui aduersus Christianam religionẽ sola naturalis, immo carnalis sapientiæ arma vertebant. Posterius hæreticis est familiare, qui cum scripturæ verbis suo more deprauatis, aut perperam intellectis, humanæ rationis, & ingenij commenta miscent, vt traditam à maioribus fidem è simpliciorum animis extorqueant. Ad quos illud Ambrosij lib. de symb. cap. 10. spectat; *Fides non sit in hominum sapientia: & hæresis non erit.* Nam ita scripturæ qualescumque sententias obtendunt, vt adiuncta humana ratione potiores huic, quam illi partes deferant. *Omne enim quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt, & per inquisitionem nimiam in errorem labuntur;* ait Gregorius Magnus lib. 16. Moral. cap. 27. Igitur vt in iustam tam sacræ scripturæ, quam Sanctorum Patrum reprehensionem incidunt omnes illi; qui curioso, ancipiti, & dubio animo rationes quærũt, & aliter credere nollent, & plus tribuunt rationi, quàm diuinæ reuelationi; ita per oppositum laudandi sunt illi, qui iam firmiter credũt, præeunteque lumine fidei, semper intra rectos obedientiæ limites, siue ad plenã Theologici dogmatis scientiam, siue ad profectum & vtilitatem quærentium, & dubitantium, siue denique ad depellendas hæreticorum calumnias, Philosophicis vtuntur disciplinis, tum vniuersis, tùm earum illa parte, quæ in differendi subtilitate versatur.

Vltimum caput criminationis in Theologiam Scholasticam, quodque maiorem offendit partem eruditorum, ac politorum hominum, est impura, vt inquiunt, sermonis, & lutulenta barbaries, quæ in illam adeo inuasit, eamque sui iuris, ac potestatis fecit, vt Theologorum iam more loqui, idem esse vulgò sentiant, quod putidè, ac rusticè & inconcinnè dicere. Verùm huic querelæ commodius satisfiet lib. 5. vbi agemus de sermonis, vel orationis genere, quo sit vtendum in diuina scientia. Interim ad obstruendum os loquentium iniqua sufficiat illud D. Augustini lib. contra Adim. cap. 11. *Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est; nostris de rebus.* & lib. 4. de doctrina Christiana cap. 11. vbi ait: *Bonorum ingeniorum in-*

signem esse indolem, in verbis verũ amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quandò nihil quærimus nisi patere quod clausum est?

SECTIO SECVNDA.

De principijs Syllogisticis formalibus, quibus scilicet in arguendo regulatur bonitas consequentiæ Theologicarum conclusionum.

CAPVT PRIMVM.

Aperitur status difficultatis.



CVM sacra Theologia sit habitus propriarum cõclusionum deductiuus, beneficio artis Syllogisticæ, atque adeò scientia non tantùm consequentium, inclinando intellectũ Theologi ad hoc vt præbeat assensum nouis veritatibus ex principijs fidei deductis, sed etiam consequentiarum saltem in actu exercito, hoc est, simul iudicando de bonitate & rectitudine cõsequentiæ, cum iudicio de veritate consequentis, ad distinctionem Logicæ cuius est callere in actu signato artem consequentiarum, curando solum de forma argumẽtationis, absque eo quod exerceatur in hac, vel illa determinata materia; cùm, inquam, sacra Theologia sit talis habitus, duo potissimum, quantum spectat ad artem syllogisticam, in discursibus Theologicis sunt consideranda, materia scilicet, & forma, ad materiam pertinet propositio, & terminus, ad formam figura, & modus; sicque analyticè reducendo tales discursus in principia, vel partes, ex quibus constant, aut regulantur; duplicem pariter in illis, quantum facit ad artem syllogisticam, distinguere possumus analysim. *Prima* est consequentiæ, siue formæ syllogisticæ, quandò nimirum consequentia ad sua principia reuocatur, id est, examinatur, quęnam sint principia bonæ consequentiæ, quæ præmissæ rectè ad inferendam cõclusionem dispositæ; & quibus debeat legitima figura regulari. *Secunda* est cõsequentis, siue materiæ, quando scilicet reducitur consequens, vel conclusio ad sua principia, quæ sunt præmissæ aliquo modo illa continentes.

De prima Analysi agit Aristoteles duobus libris de priori, vbi quo ad formam syllogismi primò statuunt dialectici tres figuras vtiles; cum enim figura syllogistica nihil sit aliud quàm dispositio, seu combinatio medij cum extremis secundum subiectionem & prædicationem, totuplex debet dari figura, quotuplex datur combinatio vtilis medij cum extremis, triplex autem datur eiusmodi combinatio. *Prima*, quà medium semel subijcitur, & semel prædicatur, vt, *Omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens*. *Secunda*, quà medium bis prædicatur; vt, *nullum brutum est rationale, omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est brutum*. *Tertia* denique, quà medium bis subijcitur, vt, *omnis homo est*

ratio-

rationalis, omnis homo est animal, ergò aliquod animal est rationale. Sic igitur communiter Dialectici has tantùm figuras admittunt, & quartam quæ tribuitur Galeno, in qua medium prædicatur in maiori, & subijcitur in minori, *vt omnis homo est animal, omne animal est sensibile, ergò aliquod sensibile est homo*, vel tanquam inutilem reijciunt, vel ad primam reducunt, sicut rectè explicat nostrum Collegium Complutense lib.3.instit.Logicar.cap.3.

Præter allatas tres figuras assignantur insuper in vnaquaque figura plures modi syllogistici, qui nihil sunt aliud, quàm trium propositionum syllogismi secundum quantitatem, & qualitatem dispositiones, & horum modorum alius est directus, in quo maius extremum concluditur de minori, alius indirectus in quo minus extremum concluditur de maiori. Quemadmodum autem inter tres terminos syllogismi, nempè inter medium, & extrema, quantùm ad prędicationem & subiectionem, quatuor combinationes, seu figurę possunt formari, sic etiam ex varia præmissarum combinatione,& dispositione secundum quantitatem, hoc est, vniuersalitatem, aut particularitatem, & secundum qualitatem, hoc est, affirmationem, vel negationem (in quo diximus consistere medium syllogismi) quadraginta & octo modi formari possunt; quorum tamen decem & nouem dumtaxat sunt vtiles,& bonæ consequentię in tribus figuris,nouem in prima, quatuor directi,videlicet, *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*, & quinque indirecti, videlicet, *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum*. Quatuor in secunda, videlicet, *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Barocco*, & sex in tertia, *Darapti*, *Felapto*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*. Reliqui omnes sunt inutiles,& malę consequentię.

Ad quæ omnia dijudicanda, vt videbitur sequent. libro sect.7. in qua breue dialecticæ, sicut & omnium aliarum disciplinarum compendium adducemus suæ non desunt regulæ & leges tum generales, & communes in quacumque figura, tum etiam speciales vnius cuiusque, quæ ex illis communibus deriuantur,fundanturque omnes in quatuor,aut quinque principijs per se notis. *Primum est, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & deseruit syllogismis affirmatiuè concludentibus. *Secundum* deseruiens syllogismis negatiuè concludentibus, est; *quæcumque sunt eadem inter se, distinguuntur vni tertio, seu ab vno tertio*; idest, quando aliqua duo perfectè, & completè vniuntur inter se, si vnum illorum distinguitur ab aliquo tertio, necesse est distingui, & aliud. *Tertium*, & *quartum* sunt, *dici de omni*, & *dici de nullo*, idest, quicquid vniuersaliter dicitur de subiecto,dicitur de omni, quod sub tali subiecto continetur, & quicquid vniuersaliter negatur de aliquo subiecto, negatur etiam de omni contento sub tali subiecto. Quæ duo principia videntur distingui solū à præcedentibus, penes hoc, quod duo prima sumuntur in ordine ad esse, hæc verò in ordine ad prędicari. *Quintum* principium ad hanc eamdem analysim spectans, est, *quod conclusio sequitur debiliorem partem antecedentis*; etsi enim aliquando quo ad materiam sequatur conclusio debiliorem partem, tamen hoc maximè verum est, quo ad formam, siue figuram, & modum arguendi, qui variatur pro diuersa quantitate, & qualitate propositionum. *Sextò* tandem solet etiam in hac parte explicari, cui vsui sit ista maxima, *à distributiuo ad collectiuum non valet consequentia*.

De secunda autem analysi, nimirum consequentis, siue materiæ tractat Aristoteles in libris posteriorum, vbi explicant dialectici, quibus præmissis debeat constare demonstratio, nempè certis,necessarijs, &c. vt scientia ex illa generari dicatur.

His breuiter ex Logica adnotatis pro instituti nostri ratione; duplex occurrit difficultas examinanda. *Prima*, an Sacra Theologia eadem habeat principia formalia, quæ habent aliæ scientiæ, siue

quod idem est, an iisdem regulis & principijs, quibus in alijs scientijs innititur & probatur bonitas consequentiæ, aut conclusionum ex parte formæ, innitatur etiam, & probari possit bonitas consequentiæ conclusionum Theologicarum, quatenus sunt deductæ, & ex præmissis per naturalem discursum syllogisticè illatæ. *Secunda* difficultas est, in quæ principia ex parte materiæ debeat resolui assensus Theologicus. Primam examinabimus in præsenti sectione, breuiter discurrendo per omnia supradicta sex principia, secundam verò in sequentibus.

CAPVT II.

Vtrum istud principium, quæcumque sunt eadem vni tertio, &c. valeat ad consequentias Theologicas.

RAtio dubitandi desumitur ex augustissimo Sanctissimæ Trinitatis Mysterio; vbi, in istis argumentis. *Pater est essentia diuina, filius est essentia diuina, ergo Pater est Filius*, vel, *hæc essentia* (signata diuina essentia) *est Pater, hæc essentia est Filius: ergò Filius est Pater*, in istis, inquam, alijsque similibus syllogismis consequentiæ sunt malæ, & illegitimæ, & tamen inniti videntur illi principio, *quæcumque sunt eadem vni tertio, &c.* igitur Logica non est formalis & non tenet in omni materia abstrahendo à creata, & increata, finita & infinita; siue quod idem est bonitas consequentiæ, & conclusionum in Theologicis non regulatur, aut dirigitur per illud principium, *quæcumque &c.*

Aliqui his argumentis ducti existimarunt, syllogisticam formam in diuinis, non valere. Sed horum ignorantia tàm Logicæ, quàm Theologiæ facilè conuincitur. *Primò*, quia viam obstruunt omnibus ratiocinationibus Theologicis quibus aliquid probatur, siue circa attributa diuina ex principijs lumine naturali notis, siue ex principijs fidei supernaturalibus circa diuinas personas earumque substantiam. Ideoque Catholicis volentibus aliquid probare, hæretici pro libito respōdere possent, discursum, & omnem illationem non valere, quantumcumque seruauerit omnes regulas syllogismorum. *Secundò*, quia forma syllogistica abstrahit à materia, & consequenter abstrahit à Deo, & creaturis. Quamobrem ex vi formæ, aut in nulla materia valebit ars syllogistica, aut si valet ex vi formæ in aliqua materia, necessarium est, in omni materia valere: quoniam forma semper & in omni materia est eadem, diuersamque dumtaxat applicationem exigit, secundum rationem materiæ cui applicatur. *Tertiò*, denique, quoniam Deus ipse est principiū & author cuiusque scientiæ naturalis, etiam syllogisticæ, sicut est author cuiuslibet veritatis; ergò Deo rebusque diuinis nulla repugnare potest scientia, aut veritas naturalis.

Dicendum est igitur cum opinione, iam communiter recepta, formam syllogisticam, integrè, formaliterque seruatam, etiam in diuinis, retinere vim inferendi: sed propter materiæ discrimen, hoc est, propter infinitam eminentiam diuinæ substantiæ, & propter quidditatem relationum in ea existentium, aliquid singulare, atque mirabile conuenire syllogismis in mysterio Trinitatis cuius nullum exemplum in cæteris syllogismis perfectum, aut adæquatum esse potest. Pro cuius intelligentia notandum est quatuor in classes distribui syllogismos in materia de Trinitate fieri solitos. In prima classe, sunt syllogismi concludentes, alicui personæ conuenire, quod est proprium alterius personæ, vel concludentes alicui personæ non conuenire, quod est proprium illius. Quales sunt syllogismi sequentes. *Pater est essentia diuina, filius est essentia diuina, ergo Pater est Filius.* Vel si dicas, *omnis essentia diuina*, aut, *omnis Deus est Pater, Filius est essentia diuina, ergò Filius est Pater.* Syllogismi negatiui, vel negatiuè concludentes sunt. *Omnis essentia diuina est Pater; Filius non est Pater, ergò filius non est Deus.*

In

In secunda classe continentur syllogismi concludentes essentię conuenire, quod est proprium personæ, vel personæ conuenire, quod est proprium essentiæ, nec non etiam syllogismi, concludentes, vni attributo conuenire, quod est proprium alterius. Exempla horum omnium sunt quæ sequuntur. *Omnis pater distinguitur realiter à filio; omnis essentia diuina est Pater; ergo omnis essentia diuina distinguitur realiter à filio*; vel, *omnis pater relatiuè opponitur filio, omnis Deitas est pater; Ergo omnis Deitas relatiuè opponitur filio*. Præterea, *Pater generat; Pater est essentia diuina: ergo essētia diuina generat*; vel, *diuinus intellectus est voluntas, diuinus intellectus est principium, quo pater generat; ergò voluntas est principium, quo pater generat*. Et sic de alijs innumeris syllogismis, qui in vnaquaque figura prædictum in modū efformari possunt.

Tertia classis syllogismos continet ad instar eorum, qui vocantur expositorij, videlicet, quorum medium est singulare, v.g. *Hæc essentia diuina est pater; filius est hæc essentia diuina: ergò filius est pater.* Quarta denique classis est eorum syllogismorum, in quibus suppositio simplex variatur in suppositionem personalem v.g. *Essentia diuina est communicabilis, pater est essentia Diuina: ergò pater est communicabilis*. Similiter hic, *Essentia diuina est Trinitas, pater est essentia diuina ergò pater est Trinitas*.

Quibus in omnibus syllogismis, cum violetur lex syllogistica, procedantque ex praua intelligentia illius axiomatis, *quæcumque sunt realiter eadem vni tertio, sunt realiter eadem inter se*, non est mirum, quod omnes etiam illorum consequentiæ sint malę, & illegitimę, vt enim prædictum principium sit vniuersaliter verum, & in quacumque materia creata & increata, finita, & infinita, consequentiæ per illud regulatæ sint bonæ, debet intelligi, de his, quæ sunt eadem vni tertio re & ratione, non autem de his, quæ differunt ratione, ita D.Thomas 1. parte qu.28. art.3. ad 1. & in 1. sentent. dist.33. qu.1. art.1. ad 1. *vel* vt explicant alij, de his, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, & simpliciter; non verò si sint eadem vni tertio inadæquatè, *vel* secundum alios, de his, quæ sunt absoluta, non autem de relatiuis; quæcumque enim absoluta sunt realiter eadem vni tertio singulari, quantumcumque infinito, sunt realiter eadem inter se. Cæterum relatiua, quamuis sint realiter eadem vni tertio singulari, & infinito, non sunt eadem realiter inter se, nisi referantur ad eumdem terminum: *vel* tandem de his, quæ sunt idem realiter vni tertio finito, & limitato, talia enim sunt etiam realiter idem inter se. Non autem de his, quę sunt idem realiter vni tertio simpliciter infinito in genere entis, siue quod idem est, vni tertio, in quo est eminentia infinita complectēs genus absolutum cum summa vnitate, & relatiuum cum oppositione correlatiua. Quę omnes solutiones, nequaquam inuicem pugnant, sed potius coalescunt in vnam, & integram, plenamque explicationem prædicti axiomatis; constatque ex illis quomodo in augustissimo Sanctissimæ Trinitatis mysterio non destruatur, sed maneat illæsum, intelligendo illud in sua veritate, & legitimo sensu. Dum enim arguitur, *quæcumque sunt eadem vni tertio realiter, sunt etiam realiter eadem inter se, sed pater, & filius sunt realiter eadem vni tertio nimirum substantiæ diuinæ, ergo, &c.* distinguenda est maior propositio, vniuersaliter accepta, & vt pręscindit à Deo, & creaturis, quæ sunt eodem vni tertio re, & ratione, siue quod idem est adęquatè sunt etiam semper, & vbique eadem inter se, concedo; quæ sunt eadem vni tertio re, sed non ratione, siue quod idem est, inadæquatè tantùm, sunt realiter eadem inter se, iterum distinguo, in creatis vbi est limitata virtus concedo, in diuinis vbi est eminentia infinita complectens genus absolutum cum summa vnitate, & relatiuum cum oppositione correlatiua, subdistinguenda est propositio, & concedenda de extremis absolutis, quęque ita realiter identificantur cum aliquo tertio, vt non ha-

habeant oppositionem relatiuam ad inuicem, vt satis patet in omnibus attributis diuinis: neganda verò de extremis relatiuis, quæque simul cum reali identificatione cum tertio, seruant relatiuam inter se oppositionem.

Vndè cum in augustissimo Sanctissimę Trinitatis mysterio proprietates personales inadæquatè solum se habeant respectu diuinæ essentiæ, quia quælibet illarum ita afficit essentiam, quod alteri locum relinquit, & sic omnes tres personę adæquant illam, non vna tantum, siue, quod in idem coincidit, cùm proprietates personales ita sint idem re vni tertio; scilicet essentię, vel naturę diuinę, vt ratione tamen ab illa differant, seruentque inter se oppositionem relatiuã, non potest absolutè, & simpliciter inferri ex vi identificationis realis, quam habent cum essentia diuina, tanquàm cum vno tertio, quod debeant realiter inter se identificari, vel esse eadem inter se eodem genere identitatis, ac sunt cum diuina essentia, sed eo dumtaxat modo. quo sunt eadem illi; & sic quia tres personæ sunt idem essentiæ diuinę in ratione absoluti, sic etiam inter se sunt vnum in eadem ratione absoluta, & substantiali, non tamen sunt inter se vnum relatiuè, quia nec in illo tertio, sunt vnum relatiuè, sed tantùm absolutè. Et quamuis argumento aliquo naturali probare non possimus allatam hucusq; prædicti principij, vel axiomatis explicationem; ad id etiam non tenetur Theologus, sicut neque in similibus rebus, fideique mysterijs; sed sufficit, quod supposita fide augustissimi Sanctissimę Trinitatis mysterij, in quo ex reali identitate extremorum cum tertio, cum distinctione tamen virtuali ab illo, non colligatur similis identitas inter extrema, ratione oppositionis relatiuæ, quam habent inter se, hoc inquam supposito tanquam per fidem noto, & certo, sufficit postea quod discursu naturali ostendere possimus, prædictum axioma debere intelligi iuxta explicationem datam, *quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, videlicet eo modo, quo sunt eadem vni tertio, alio autem modo, non est necesse, quod sint eadem inter se, sed eò dumtaxat, quo in illo tertio vnum sunt, pertinetque ad aduersarios probare eã doctrinam, & explicationem esse falsam vt applicatam ad diuina, siue quod idem est, quoties adest distinctio rationis extremorum à medio, atque adeò inadęquata quædam solum identificatio cum illo, & relatiua insuper eorumdem extremorum inter se oppositio; Quod certè nunquam præstabunt aduersarij; quantùm est enim ex vi talis identitatis, non potest adduci aliqua ratio repugnantiæ, propter quam aliqua extrema ratione à medio distincta, & inter se relatiuè opposita non possint realiter inter se distingui, sicut distinguuntur personæ, & relationes in diuinis. Quoniam omnia argumenta quę possent oppositum suadere, aut desumerentur ex rebus creatis, aut ex diuinis, vbi omnia attributa, licet ratione ab essentia distincta, atque adeò veluti inadæquatè tantum cum illa identificata, nihilominus realiter inter se identificantur. Vtrobique autem est sua disparitas, manifesta; præterquam quod enim perfectiones attributales sunt aliquid absolutum, nullam insuper habent inter se oppositionem, vt inter proprietates personales repetitur; quę etiam disparitas currit in rebus creatis, vbi proculdubio nulla sunt extrema in ordine entitatiuo reperibilia, taliter vni tertio absoluto realiter identificabilia, vt relatiuam inter se habeant oppositionem. Dixi in ordine entitatiuo, vtrum enim in ordine intelligibili eadẽ numero natura, sub diuersis tamen modis essendi realiter distinctis, possit esse in obiecto, specie impressa, & expressa, disputant Theologi, viderique potest Collegium nostrum Salmanticense 2. tomo 1. parte tract. 2. disput. 2. num. 132. & tract. 3. disp. 2. num. 51. vbi doctissimè & ad mentem Sancti Thomæ affirmatiuam partem propugnat.

Sed instabit aliquis, & dicet videri sequi ex illa prima explicatione Diui Thomæ, in qua cæteræ fundantur, quod syl-

-syllogismi tantùm fieri possent in terminis synominis, & in his quæ sunt vnum, taliter quod nec re, nec ratione differunt, perinde atque si diceretur, *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem in eo tertio*; quod tamen est contra communem vsum syllogizandi: fiunt enim syllogismi etiam in terminis, qui ratione distinguũtur, si arguatur, *Omnis homo est animal, omne animal est sensibile, ergo omnis homo est sensibilis*, vbi ly *homo*, & ly *animal* ratione differunt; ergò non est necesse vt aliqua sint idem inter se, quod sint idem in vno tertio, re, & ratione: tùm etiam quia attributa diuina differunt ratione, ab essentia, & inter se, & tamen sunt idem realiter inter se: non ergò requiritur ad realem duorum extremorum inter se identificationem, quod re, & ratione sint idem in vno tertio. Et ipse D.Thomas lib.2. contra Gentes capit.9. colligit quod potentia & actio in Deo sunt idem, quia, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se*, & tamen ratione differunt ab essentia, & non sunt idem cum illa re & ratione.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo omnes instantias in illo adductas, non sunt enim contra doctrinam Diui Thomæ, legitimamque ab illo adductam explicationem huius principij, *quæcumque &c.* considerati in tota vniuersalitate entis, abstrahendo à creato, & increato, finito & infinito; quia quando dicit Sanctus Doctor, quod quæcumque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem in his, quæ sunt idem, re, & ratione, illæ particulæ *re & ratione*, non debent intelligi, quasi extrema nec re, nec ratione distinguãtur à tertio, siue quod idem est, non debent construi cum ly *sunt*, sed cum illo tertio in quo sunt idem; ita quod quando illud tertium est vnum & idem secundum rem, & secundum rationem, idest, secundum formalitatem, non autem est virtualiter multiplex, tunc ex identitate cum tali tertio, sequitur identitas eorum inter se: Si autem identificentur cum aliquo habente diuersas formalitates, & rationes, seu

seu respectus, & vnum identificetur sub vno respectu, & formalitate, aliud sub alia, non sequitur ex tali identificatione cum illo tertio, identitas eorum inter se, quin potius ex hoc contingunt plures paralogismi, & defectus tam distributionis, quàm variationis appellationis in arguendo, quia ex identitate sub aliquo respectu, & non simpliciter, & absolutè, infertur identitas inter se simpliciter, cum enim tunc medium non sit perfectè, & simpliciter vnum, aut singulare, sed multiplex saltem virtualiter, aut formaliter, ac proinde æquiualens vniuersali, ex vnione talis medij cum extremis vel extremorum cum illo, nisi sit sub eadem ratione formali, non potest semper inferri vnio extremorum inter se; sicut non valet *similitudo est idem cum qualitate: qualitas est intensa: ergò similitudo est intensa*; *Actio, & passio sunt idem cum motu: actio crucifigentium Christum fuit pessima: ergò passio Christi fuit pessima*. Vel *rationale est animal, animal est hinnibile, ergò rationale est hinnibile*. Per quod patet ad omnes syllogismos superius adductos.

Syllogismi enim primæ classis, in quibus ex vi prædicti axiomatis, & alterius ei oppositi, infertur alicui personæ conuenire, quod est proprium alterius personæ, vel non conuenire, quod est illius proprium, vitiantur omnes defectu plenæ distributionis. Debet enim distributio esse plena, atque perfecta, quoties modus arguendi requirit distributionem medij, & extremitatum. Vnde sicut homo, quia per rationem est communis Petro, & Paulo; debet ita distribui, vt supponatur pro Petro, & Paulo ad bonam consequentiam inferendam: itaquia Deitas, siue Deus, non per rationem, sed per realem identitatem est vna res, communis tribus personis, vt ex illa tanquam ex medio bona deducatur consequentia, debent in syllogismis ita distribui illi termini, vt supponant pro Patre, & Filio, & pro Spiritu Sancto; quod non contingit, dum dicitur, *essentia diuina est Pater, &c.* immò nec

nec si addatur *omnis essentia diuina*, vel *omnis Deus, &c.* etsi enim, quia in creaturis homo, exempli gratia, nullo modo est realiter vnus, singularis, & indiuiduus, sed complectitur entitates omnium hominum realiter distinctas, completè & perfectè distribuat, dicendo *omnis homo*; contra tamen, Deus, siue Deitas, quia realiter est vnica res indiuidua, & singularis, ideò non distribuitur completè, quamuis dicatur, *omnis Deus*, vel, *omnis Deitas*. Quoniam adhuc non accipitur, pro singulis tribus personis, realiter distinctis, cum quibus realiter identificatur: sed tantùm accipitur pro indiuiduo, communi tribus personis. Vnde dum arguitur, *Omnis essentia est Pater, filius est essentia*, non potest inferri simpliciter, & absolutè, *ergo filius, est Pater*, aut, idem cum Patre; sed tantùm, secundum entitatem absolutam, in qua non differunt. Foret autem completè distributio Deitatis, ac proinde foret legitimus syllogismus: Si distributio fieret ad hunc sensum. *Omnis res, quæ est Deitas, est Pater, filius est res, quæ est Deitas; Ergò filius est Pater*; Sed tunc maior esset falsa.

Oportet ergò, quod ea quæ sunt eadem vni tertio, identificentur cum eo simpliciter, & sub eadem ratione, non sub diuersis, ex hoc quod sit aut formaliter, aut virtualiter multiplex vt sic fiat plena perfectaque distributio medij inferaturque ex illo identitas extremorū inter se, non autem est necesse, quod ita identificentur, vt nec per intellectum differant, sintque omnino synonima: hoc enim nec somniauit D. Thomas, nec requiri ad verificationem illius principij constat ex instantijs allatis. Exemplum autem quod adducit D. Thomas de his, quæ sunt eadem vni tertio, re, & ratione, sicut tunica, & indumentum, non est allatum ad hoc, vt solùm ea quæ sunt idem ratione, sicut duo synonima, quæ ratione ratiocinante dumtaxat inter se distinguuntur, sint idem inter se, sed ad hoc, vt ea, quæ sunt eadem, re, & ratione, vni tertio, idest, in vno tertio, quod est vnum secundum rem, & secundum rationem, idest, secundum eamdem formalitatem, & non secundum virtualem multiplicitatem, quam multiplicitatem non habent tunica, & indumentum, dicantur esse eadem inter se.

Similiter in argumentis secundæ classis concludentibus essentiæ conuenire, quod est proprium alterius, consequentię omnes sunt illegitimæ, tum ob defectum plenæ distributionis requisitæ in omnibus syllogismis, pro vt explicatum est, tum etiam variatæ appellationis, pro cuius intelligentia ex dialectica recolendum est, adiectiua nomina, & verba vim habere appellandi supra formale significatum. Vnde quando dicimus: *Pater generat*, reduplicamus supra formalissimam, & vltimam rationem Patris. Similiterque dicentes: *Essentia generat*, reduplicamus supra formalem rationem essentię. Contra verò cum dicimus *Essentia est Pater*, vel *Pater est essentia diuina* non reduplicamus formalissimam rationem essentiæ. Variatur ergo appellatio. Qui defectus vitaretur, seruareturque lex syllogistica; si tantum inferretur: *Ergò essentia diuina, pro vt est Pater, generat*, vel; *Ergo aliqua res, quæ est essentia diuina generat*. Vt autem prædicta variatio appellationis contingere potest in diuinis frequentius, quàm in rebus creatis, ita etiam in illis absurda maiora concludit, propter realem identitatem vnius rei absolutę cum tribus rebus relatiuis realiter inter se distinctis.

Circa syllogismos in tertia classe contentos ad instar eorum, quos appellant expositorios, videlicet quorū medium est singulare; primo respondent aliqui consequentias esse illegitimas, quia non sunt syllogismi verè expositorij; & ratio est quia medius terminus, nimirum *hæc essentia*, non est perfectè singularis, sed potius communis communitate rei ęquiualente naturæ vniuersali, cum reperiatur in pluribus suppositis realiter distinctis: ad syllogismum autem perfectè expositorium, medium de-

debet esse perfectè singulare,& incapax distributionis. Vndè si quis de eodem homine singulari diceret,*hic homo est Petrus, hic idem homo est Paulus,ergo Petrus est Paulus*. valeret consequentia, licet minor sit falsa. At verò in Deo non valet, si quis dicat, *Hic Deus est Pater, hic idem Deus est filius: ergò Pater est filius*: & ratio est, quia illa particula *hic homo* significat simpliciter hominem singularem non æquiualentem naturæ vniuersali, & sic fit verus syllogismus expositorius, & consequentia est bona, & legitima, si semel præmissæ sint veræ: at vero particula illa *hic Deus*, licet significet naturam singularem, est tamen ita singularis, vt ob infinitam fæcunditatẽ, qua petit subsistere in tribus personis, æquiualeat etiam vniuersali, & communi teste D. Thoma in 1. sentent. dist. 4. quest.1. art.2. & 1. p. quest. 39. artic.4. ad 2. Et ita syllogismus est falsus, in syllogismo enim expositorio completa & omnimoda medij singularitas, vim ad inferendum habet eamdem, quam distributio completa in termino cõmuni; vnde sicut in syllogismis communibus defectu plenæ distributionis vitiantur omnes consequentiæ, ita etiam in syllogismo expositorio defectu completæ, & omnimodæ singularitatis. Quæ lex communis est Deo & creaturis, rationeque tantùm materiæ recipit materiale discrimen: quoniam in quibuscumque creaturis, quæcumque singularitas est completa,& omnimoda singularitas: quia nihil realiter vnum identificatur cum tribus realiter distinctis. At in Deo non quæcumque singularitas est completa singularitas, si quidem essentia realiter vna, realiter identificatur cum tribus suppositis, nisi medium singularizetur vsque ad incommunicabilem entitatem personæ veluti dicendo: *Hæc entitas incommunicabilis est pater, hæc entitas incommunicabilis est filius, ergò filius est pater?* vel sic,*omnis res quæ est hæc essentia est pater: filius est hæc essentia, ergo filius est pater*: sed tunc in vtroque syllogismo, licet consequentia sit legitima,prçmissæ sunt falsæ; in primo quidem syllogismo; si in maiori, & minori designetur eadem entitas incommunicabilis Patris; vel si designetur eadem entitas incõmunicabilis filij; Quod si maiori designatur entitas incommunicabilis Patris,& minori entitas incommunicabilis filij: latet æquiuocatio in medio, & perindè fallax est syllogismus, ac si quatuor terminis constaret. In secundo verò syllogismo maior est absolutè falsa.

Secundò respõdent alij libenter admittendo syllogismos suprapositos, vel similes esse verè expositorios, quia ly *hæc essentia*, in rigore est terminus singularis; sed in illis duplicem committi defectum, & propterea ex illis non posse deduci verum consequens. *Primus* defectus est, quòd sit argumentum ab identica ad formalem, nam ex identitate relationum cum essentia diuina, infertur identitas relationum inter se; potestq; explicari eiusmodi defectus, quia idem est dicere, *hæc essentia diuina est pater*, ac si diceretur, *essentia diuina est idem cum Patre*; & rursus idem est dicere, *hæc essentia diuina est filius*,ac dicere, *essentia diuina est idem cum filio*; ex quibus sane præmissis non est inferendum, *ergo filius est pater*,sed tantùm,*ergò idem cum filio, est idem cum Patre*. Alias argumentum constabit quatuor terminis, cum in consequentia filius habeat rationem subiecti, & prædicatum in minori sit totum hoc idem cum filio: sicut si quis, ex eo quod concedatur in diuinis intellectum esse voluntatem, aut vice versa, sic argueret, *Voluntas est intellectus, voluntas vult, ergò intellectus vult*: neganda esset consequentia: sunt enim quatuor termini in hoc syllogismo, & alijs similibus; cum medium in maiori & minori diuersimodè accipiatur, nam voluntas in maiori sumitur absolutè secundum ea omnia quæ tam implicitè, quàm explicitè, siue quod idem est tam identice, quam formaliter & secundum suum proprium conceptum reduplicatiuè dicit; non autem secundum quod dumtaxat reduplicat propriũ & differentialem conceptum,vt sumitur in minori, & postea in consequentia in-

fertur, quod ea, quæ conueniunt voluntati sic sumptæ, quatenus nimirum intellectui virtualiter opponitur, eidem intellectui competunt, & sic in hoc syllogismo committitur fallacia mutationis accidentis; ita similiter ad propositum nostri argumenti, vbi terminus *filius* in minori supponitur pro eo toto quod est idem cum filio, in consequentia verò pro eo solo quod dicit explicitè filius, pro vt virtualiter ab essentia distinguitur, & realiter à Patre, tanquam à suo termino correlatiuè opposito. *Secundus defectus est*, quod medius terminus, *hæc essentia*, non singularizatur complete, vt statim diximus, in præmissis singularizaretur completè, si diceretur, *omnis res*, vel, *quicquid est hæc essentia, est pater, & quicquid est hæc essentia est filius, ergo filius est pater*; vel sic, hęc essentia diuina, vt est in tribus personis, est pater; hęc essentia diuina, vt est in tribus personis, est filius, ergò filius est pater; sed in vtroque argumento ambæ præmissæ sunt falsæ, atque adeo consequens, quamuis consequentia bene deducatur.

Tandem in syllogismis quartæ classis, suppositio simplex variatur in suppositionem personalem. Vnde quemadmodum in creatis vitiosus est hic syllogismus, *homo est species; Petrus est homo, ergò Petrus est species*; Quia in maiori *homo* supponitur simpliciter, vt pręcisus à singularibus, sed in minori supponitur personaliter pro singularibus hominibus: eadem ratione vitiosus est hic syllogismus: *Essentia diuina est communicabilis, pater est essentia diuina, ergò pater est communicabilis*; Similiter hic, *Essentia diuina est Trinitas; Pater est essentia diuina; ergò pater est Trinitas*: Nam quando dicitur *essentia diuina est Trinitas*, essentia diuina sumitur pro natura communicabili & abstracta, pro vt prædicari potest de singulis personis diuisiuè, & de omnibus collectiuè: idemque erit si dicatur *Deus est Trinitas*. Ex quibus omnibus satis patet formam syllogisticam, integrè formaliterque seruatam non violari, sed potius perfici mysterio Trinitatis: quatenus propter materiæ discrimen, hoc est, propter infinitam eminentiam diuinæ substantiæ, & propter quidditatem relationum diuinarum, aliquid singulare, atque mirabile conuenit syllogismis istius mysterij, cuius nullum exemplum esse potest in cæteris syllogismis. Insuper cum illud aliud axioma, *dici de omni*, originetur ab hoc, *quæcumque sunt eadem vni tertio &c.* eadem ratione, & conditione qua in materijs Theologicis valet istud modo explicato, valet etiam & illud, ita vt prædicari possit de diuinis personis sub diuina essentia contentis, omne quod prædicatur, & dicitur vniuersaliter de eadem essentia, per modum alicuius prædicati essentialis.

CAPVT III.

An conclusiones Theologicæ nunquam non sequantur debiliorem antecedentis partem, siue quod idem est, partis deterioris conditiones.

RESpondetur affirmatiuè, loquendo de conclusionibus Theologicis vt purè deductis, non autem de illis vt explicatis, quid sit autem conclusio Theologica vt deducta, & vt explicata, iam superiori libro sect. 3. dictum est, vbi etiam explicuimus, quænam conditiones requirantur in syllogismo Theologico, ad hoc vt conclusio per illum explicata ad fidem pertinere dicatur. Ratio autem fundamentalis, cur conclusiones Theologicæ vt deductæ sequantur etiam debiliorem antecedentis partem, est, quia ita se habet conclusio Theologica vt deducta ad præmissas, sicut effectus ad causam in quà continetur virtualiter; sed effectus imitatur deteriorem partem causæ; ergò etiam conclusio Theologica vt deducta, imitari debet deteriorem præmissarum partem; Quod tamen intelligi non debet eo sensu, quasi conclusio Theologica vt deducta

cta non sit firmior, aut perfectior, quàm altera præmissarum, quæ debilis & imperfecta est, vt superiori libro diximus, sed quia, si aliquid debile, vel imperfectum in conclusione reperitur, referendum est ad illam præmissam, quæ debilis est, & imperfecta. Quamuis enim conclusio Theologica illata ex vna præmissa de fide, & altera lumine naturali nota, non possit vt talis habere maiorem certitudinem, aut perfectionem, quàm vtraque præmissa simul sumpta, cum impossibile sit aliquem effectum esse sua causa totali, & adequata perfectiorem, benè tamen potest habere maiorem, quam altera seorsim accepta, quæ se habet solum tanquàm causa partialis, & inadequata, vt satis per se patet.

Quia autem plures imperfectiones reperiri possunt in præmissis, aliæ enim se tenent ex parte formæ, vt quod aliqua propositio sit particularis, vel negatiua, quia propositio particularis vel singularis est deterioris notæ, quàm vniuersalis, & negatiua, quàm affirmatiua: Aliæ se tenent ex parte materiæ, vt quod sint falsæ, impossibiles, contingentes, probabiles, ineuidentes, sophisticæ; ideo potest esse difficultas, nùm prædictum axioma debeat intelligi de omnibus imperfectionibus tàm ex parte formæ, quàm ex parte materiæ se tenentibus, ita vt omnes apparere debeant in conclusione. Et quidē conueniunt omnes tale axioma verificari de imperfectionibus ex parte formæ syllogisticæ, & propositionum pro vt diuersos illius modos constituunt, se tenentibus, adeo vt si in aliquo syllogismo propositio aliqua sit particularis, vel singularis, vel negatiua, conclusio etiam debeat esse particularis, vel singularis, vel negatiua. Vnde tota cōtrouersia reducitur ad imperfectiones ex parte materiæ se tenentes, iuxta variam mixtionem, aut dispositionem vnius partis, seu prēmissæ cum alia, aliquando enim miscetur certa & euidens cum probabili, vel minus euidenti; aliquandò vna de necessario, cum alia de contingenti, seu de inesse vt nūc; aliquandò vera cum falsa, aliquando verò vna necessaria cū alia de impossibili.

Circa primam combinationem, seu mixtionem ex vna præmissa euidenti, & altera probabili, seu minus euidenti, cōmunis est doctorum opinio, quod conclusio vt deducta sequatur debiliorem partem. Circa secundam combinationem, quæ fit ex mixtione vnius prēmissæ de necessario cum alia de inesse vt nunc, v. g. cum dicitur in prima figura, *Omne currens de necessario mouetur, omnis homo est currens, ergò omnis homo de necessario mouetur:* existimant aliqui cōclusionem semper sequi debiliorē partem, scilicet propositionem de inesse vt nunc, seu in contrarium vt vocant summulistæ, quia est de prædicato contingenti, quod aliquando inest, aliquando verò non. Alij tenent oppositum ducti authoritate Philosophi 1. priorum cap. 8. 9. & 10. probantis aliquandò conclusionem sequi de necessario, ex mixtione de necessario, & de inesse vt nunc, atque adeò sequi fortiorem partem. Verum hæ duæ sententiæ facilè possunt ad concordiam reuocari, dicendo conclusionem in eiusmodi mixtionibus, ita simpliciter sequi de inesse, iuxtà primā sententiam, atque adeò simpliciter loquendo, sequi debiliorem partem, vt tamen aliquandò positis certis regulis sequatur de necessario secundum quid, seu ex suppositione antecedenti, & nihil aliud Philosophus loco citato intendit; sed cum hoc semper verificatur, quod conclusio sequatur debiliorem partem, ita enim est secundum quid necessaria, seu de necessario secundum quid, vt tamen sit de inesse simpliciter, quod sufficit ad verificandum axioma. Ratio autem, cur ex mixtione vnius prēmissæ de necessario, cum alia de inesse vt nunc, sequitur semper cōclusio de inesse simpliciter, est, quia maius extremum, quod est prædicatum conclusionis, coniungitur tantùm cum minori extremo, quod est subiectum conclusionis, ratione medij termini, seu ex vi vnionis factæ cum

medio in præmissis; cum igitur medius terminus coniungatur cum minori extremo de inesse vt nunc, maius etiam extremũ coniungi debet cũ eodem minori extremo de inesse vt nunc. Quemadmodum enim contingenter medius terminus tanquàm forma potest inesse, & non inesse, seu coniungi & non coniungi in minori extremo, ita & maius extremum, quod est prędicatum conclusionis, sequens ad positionem formæ, quæ est medius terminus. Potest tamen sequi conclusio ex alia parte de necessariò secundum quid, seu ex suppositione, quia maius extremum, quod in conclusione prędicatur, coniungitur cum minori extremo materialiter sumpto, quatenus illi minori extremo sic materialiter considerato supponitur ex præmissis inesse forma, quæ est medius terminus, vndè oriri potest necessitas secundum quid, quia maius extremum coniungitur de necessario cum medio termino.

Circa tertiam combinationem, seu mixtionem vnius præmissæ veræ cum alia falsa, communis est sententia, quod nunquam potest sequi conclusio vera ex antecedenti falso concurrente tanquam causa veritatis ipsius conclusionis. Impossibile est enim, quod vnum oppositum sic sequatur ex alio, ens ex non ente, positiuum ex negatiuo, & tandem conforme ex difformi. Quandò igitur in aliquo syllogismo ex duabus præmissis in toto, vel in parte falsis, infertur aliqua conclusio vera, debet id solum illis tribui, vt sunt causa illationis talis conclusionis propter dispositionem terminorum; & sic patet quomodo conclusio semper sequatur debiliorem partem sui antecedentis, quando illud concurrit vt causa veritatis conclusionis, quamuis si consideretur vt est tantùm causa illationis propter dispositionem terminorum, non verificetur axioma, vt patet in hoc syllogismo; *Omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergò omnis homo est animal*: vbi præmissæ sunt falsæ, & tamen conclusio est vera: ad hoc autem vt ex præmissis siue in toto, siue in partè falsis inferatur conclusio vera ex vi dispositionis terminorum, quatuor regulæ solent assignari, de quibus videri potest Albertinus in suis Corollarijs, in tertio principio Philosophico.

Pari ratione si in præmissis sit aliqua propositio impossibilis, cõsequens quoque erit impossibile, si propositio impossibilis concurrat etiam vt causa rei conclusæ: & sic quandò ex suppositione quadam impossibili infertur aliquid necessarium, non debet intelligi quasi impossibile ita concurrat ad consequens necessarium, vt ex illo sequatur, sed quia est ratio cognoscendi illud, vnde consequens sequitur. Quod autem fieri possint aliquæ hypotheses, vel suppositiones impossibiles, vt pręcisa & formalis causa alicuius rei inuestigetur, vulgare est non solùm in Philosophicis, sed etiã in Theologicis, & diuinis. Sic Theologi disputant, an si per impossibile filius non spiraret simul cum Patre tertiam personam diuinam, realiter ab ea distingueretur? Et discipuli D. Thomæ ex isto antecedente, *Si non spiraret filius, non distingueretur realiter à Spiritu Sancto*, colligunt istud consequens necessarium, *quod spiratia actiua sit pracisa ratio distinguendi realiter filium à Spiritu Sancto*; Discipuli autem Scoti ex antecedente opposito, in quo pariter inuoluitur suppositio impossibilis, nempe, *Si filius non spiraret, vel non produceret simul cum Patre Spiritum Sanctum, adhuc realiter ab illo distingueretur*, inferunt istud consequens apud ipsos verum & necessarium; *igitur ratio distinguendi secundam personam à tertia est sola filiatio.* Similiter D. Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 5. ait quod licet Pater non genuisset filium, nihil prohiberet ipsum vocari ingenitum, cùm tamen sit impossibile, quin pater genuerit filium ab æterno. Et sic de pluribus alijs hypothesibus, inter quas non solùm sunt admittendæ illæ, ex quibus nulla sequitur cõtradictio, sed etiam illæ ex quibus sequitur, modo non sequatur per consequentiam essentialem, & ex primo termino-

minorum intellectu, vel vt alij dicunt, per locum intrinsecum, vt si v. g. poneretur *Spiratorem non spirare*, sequeretur enim statim *Spiratorem non spirare*, *&* *spirare*: non *spirare* quia ita supponitur, *spirare* verò quia supponitur quod sit spirator, cuius ita proprium est spirare, vt ab eo separari non possit.

Ex quibus omnibus satis patet quomodo conclusiones etiam Theologicæ tàm ex parte formæ, quàm ex parte materiæ sequantur semper debiliorem antecedentis partẽ, ita vt si quid sit debile, aut imperfectum in conclusione, referendum sit statim ad illam præmissam, quæ debilis est, & imperfecta tàm ratione formæ, quam ratione materiæ.

CAPVT IV.

Quomodo in rebus, & materijs Theologicis valeat consequentia à distributiuo ad collectiuum.

PRo intelligentia difficultatis notandum est, magnum versari discrimen ex vna parte inter formam argumentandi à sensu distributiuo ad collectiuum, & ex alia parte inter formam argumentandi à distributiuo ad copulatum, siue quod idem est à diuisis ad cõiunctum, & compositum. In forma enim arguendi à distributiuo ad copulatum termini non accipiuntur eodem modo in consequente, quo in antecedente, quia cùm in copulato includatur simultas partium, ex vi illius prędicatum aliquod partibus copulatim sumptis conueniat necesse est, quod non cõuenit singulis distributiuè sumptis; ac propterea non valet consequentia à singulis partibus distributiuè sumptis ad copulatum, neque è contra ex vi formę, vt si dicas, *Deus potest producere per totam æternitatem sine fine*, non valet consequentia, *Ergo omnia potest producere in hoc instanti*: Sic etiam non valet si dicas, *Deus non potest omnes creaturas possibiles simul in hoc instanti producere*; Ergò non potest illas producere distributiuè per totam æternitatem. Quia in copulato includitur simultas partium in eadem duratione, ex vi cuius oritur impossibilitas ad producendum ea omnia, quæ potest producere successiuè per totum æternitatis ambitum.

Ad quam arguendi formam reuocari debet ea, quæ est à sensu diuiso ad sensum compositum, & à toto disiuncto ad eius partem: Etsi enim forma argumentandi à distributiuo ad copulatum differat ab ea, quæ est à sensu diuiso ad compositum, quod impotentia ad faciendum simul totum copulatum, oritur ex vi simultatis partium collectarum; at verò in sensu composito, necessitas, seu impossibilitas, est ad aliquam partem determinatam, & prouenit non ex simultate partium collectarum, sed ex compositione alicuius formæ cum potentia, ratione cuius impossibilitatur potentia ad vnam partem determinatam. Similiter quamuis forma arguendi à sẽsu distributiuo ad copulatum distinguatur ab ea, quæ est à toto disiuncto ad partem disiuncti: quod in prima simultas illa partium accipitur copulatim: in hac verò simultas partium sumitur disiunctim; tamen in hoc conueniunt omnes hæ tres formæ arguendi, quod extrema non sumuntur eodem modo in consequente, quo sumuntur in antecedente, & ideo non tenet consequentia in omnibus illis arguendi formis, v.g. si quis dicat, *Ad bene operandum est opus vel gratia habituali, vel actuali*; non licet inferre, *ergò est opus gratia habituali*; & sic de alijs.

At in forma argumentandi à distributiuo ad collectiuum termini semper sumi debent eodem modo, neque aliquid includi debet in collectiuo, quod non includatur in distributiuo, & ita cessante ratione illa, per quam statim probauimus, non valere consequentiam in reliquis formis, breuiter discutiendum est, an à potentia in singulis partibus distributiui, teneat semper consequentia ad potentiã in toto collectiuo.

Circa quam difficultatem diuersa sunt

ſunt placita: aliqui enim vniuerſaliter affirmant à diſtributiuo ad collectiuum ſemper valere conſequentiam; quod tamen alij per oppoſitum negant. Diſtingunt alij & vtramque opinionem ad cõcordiam reuocare conantur dicentes, cum arguitur à diſtributiuo ad collectiuum ſemper legitimam eſſe conſequentiam, ſi accipiatur potentia Phyſica in vtroque extremo, ſcilicet in diſtributiuo, & collectiuo, v.g. valet conſequentia, *Petrus eſt Phyſice potens ad hanc viſionem eliciendam, & illam & iſtam, ergò eſt potens Phyſice elicere omnes*. Ratio fundamentalis eſt, quia potentia Phyſica ad ſingulas partes, nihil eſt aliud, quàm eadem potentia ad totam partium congeriem, ſi quidem collectiuum, vt ſupponimus nihil aliud includit præter ſingulas diſtributiui partes: igitur ſicut valet conſequentia à toto collectiuo ad diſtributiuum, ex eo quod poſſe facere phyſicè totum collectiuũ, nihil eſt aliud, quàm poſſe facere phyſicè ſingulas partes illius collectiui, cum ex illis componatur; ita è conuerſo debet valere & tenere, à diſtributiuo ad collectiuum; & ſi eſt impotentia phyſica ad totum collectiuum, erit etiam impotentia phyſica ad partes diſtributiui, & è contra. Verum ſi potentia accipiatur phyſica in ſingulis partibus diſtributiui, & moralis in toto collectiuo indeterminatè in his rebus, in quibus nulla eſt determinatio, tunc non valet conſequentia à diſtributiuo ad collectiuum, hoc eſt à potẽtia Phyſica in ſingulis partibus diſtributiui, ad potentiam moralem in toto collectiuo indeterminatè, ſed poteſt ſtare potentia Phyſica, & etiam Moralis in partibus determinatè diſtributiui, cũ impotentia morali, ad hanc vel illam partem indeterminatè, & vagè: ita Diuus Thomas 12. quęſtione 109. art. 8. & de veritate quęſt. 24. articulo 12. ad 7. & tertio contra Gentes capite 160. quẽ ſequuntur communiter Theologi, quãuis inter ſe diſſentiant in aſſignanda ratione huius doctrinæ.

Aliqui enim repetunt illam ex ipſamet natura collectiui, quod multis exẽplis probare conantur: tamen re benè perpenſa, non ſolùm hæc ratio non eſt efficax, ſed potius contra naturã collectiui directè pugnare videtur, nihil enim vt diximus collectiuum includit præter partes ſui diſtributiui, quare ſi præcisè tantùm ſpectetur natura collectiui, eadem eſt potentia faciendi, & totum collectiuum & ſingulas eius partes, ſi ergò de facto non reducatur ad actum, debet aliundè prouenire, quàm ex natura collectiui præcisè.

Veriſimilior igitur ratio, quare non valeat conſequentia à potentia phyſica in ſingulis partibus diſtributiui, ad potentiam moralem in toto collectiuo indeterminatè, deſumenda eſt tùm formaliter ex conditione noſtræ voluntatis, tùm radicaliter ex cõditione intellectus, à quo dirigitur voluntas in ſuis operationibus moralibus, de quibus principaliter agitur, dùm quæritur an valeat conſequentia à diſtributiuo ad collectiuum; cum enim voluntas noſtra ſit potentia libera, atque adeò ſecundum ſe indeterminata, regaturque ab intellectu, qui ipſi pro varietate temporis, aliarumque circumſtantiarum, varia etiam proponit obiecta indifferentia, fit vt voluntas ſecundum ſe ſit variabilis, & mutabilis: hac autem varietate & mutabilitate voluntatis ſemel poſita, ſequitur ex multitudine partium diſtributiui, oriri difficultatem, per quam contingit non idem ſemper euenire, imo tanta interdum poteſt eſſe partium multitudo, vt oriatur impotentia moralis, ſecundum quam de facto voluntas non operetur iuxta eamdem actionem priorem, ſed varietur in aliam, & quia hæc moralis impotentia prouenit ex tota multitudine collectiui, quatenus eſt multitudo vagè ſumpta, fit vt non ſit in aliqua parte diſtributiui determinatè, ſed indeterminatè, & vagè in hac vel illa, ita vt non poſſit aſſignari antè factum, quænam illa ſit.

Quod ſi dicat aliquis, includi aliquid in toto collectiuo, quod non includitur in diſtributiuo, ſcilicet difficultatem, in

qua

qua fundatur impotentia moralis iam explicata, atque adeò per illam explicationem destrui formam arguendi à distributiuo ad collectiuum.

Respondeo concedi posse, quod ratione illius difficultatis inclusæ, degeneret aliquo modo à forma arguendi à distributiuo ad collectiuum, modus ille in quo termini sumuntur in distributiuo secundum potentiam physicam, & in collectiuo secundum potentiam moralem; negandum est tamen per illum totaliter destrui, quia tunc solùm id quod includitur, tollit formam arguendi à distributiuo ad collectiuum, quando ex vi rei inclusæ impossibilitatur potentia determinatè ad actum, tunc enim termini determinatè accepti non sumuntur eodem modo in antecedente, & in consequente, at in nostro casu non ita contingit, difficultas enim, quam diximus reperiri in tota multitudine collectiui vagè sumpta, impossibilitat solum potentiam indeterminatè ad hanc vel illam actionem, cum quo stat adhuc potentia physica, & moralis ad quamcumque actionem determinatè, quæ etiam reperitur in singulis distributiui partibus, & sic loquendo de potentia physica, & morali in singulis distributiuè determinatè, concedendum est potentiam faciendi singulas partes distributiui successiuè, nihil aliud esse, quàm potentiam ad totum collectiuum; negandum est tamen de impotentia morali in toto collectiuo indeterminatè.

Et ad hanc distinctionem recurrere solent plures Theologi, vt explicent quomodo cum impotentia, quam habet peccator gratia destitutus ad seruanda omnia præcepta naturalia moralia per diuturnum tempus, possit conciliari eius libertas, in eo quod peccat. Respondent enim liberè peccare, quia potest singulis tentationibus successiuè occurrentibus resistere, si sumantur seorsim distributiuè, & sigillatim, quamuis sit impotens moraliter vt resistat in toto collectiuo alicui tentationi vagæ, & indeterminatæ. Idem dicitur de fuga peccatorum venialium in homine iusto, quod de fuga mortalium contra mandata sub mortali obligantia in peccatore. Et quod dicitur de victoria plurium tentationum leuium, idem dici potest de victoria vnius grauis (quę vt talis sit debet per aliquod temporis spatium durare) si spectetur per singula momenta. Nam in quolibet momento determinato, quo durat tentatio, est liberum voluntati nō consentire, etiam substracto speciali auxilio Dei, sed non est potens moraliter vt resistat toto tempore, sed in aliquo indeterminatè deficiet. Hęc autem impotentia moralis in voluntate ad aliquid faciendum, non lędit iura libertatis eius, quia vt diximus non attenditur respectu determinati alicuius effectus, vel momenti, pro quo voluntati necessitas imponatur, sed absolutè respectu totius tentationis confusè acceptæ, cum tamen libertas non confusè, sed in puncto determinato exerceatur; Vnde hæc impotentia non est per determinationem potentiæ ad vnum, quæ opponitur libertati, sed per inconstantiam, & infirmitatem operantis, quæ non libertati, sed constantiæ & fortitudini opponitur, vt fusiùs explicuimus in tractatu de gratia.

Insuper valet consequentia à distributiuo ad collectiuum, si tali collectiuo tribuatur aliquod prædicatum quod cōpetat singulis indiuiduis secundum se spectatis, & maximè si sit aliquod prædicatum essentialiter illis conueniens. Sic quia de ratione essentiali cuiuslibet entis distributiuè sumpti extra Deum, est, quod sit quid factum, seu potentiale, ita vt existentia non sit de eius essentia, sed necesse habeat transire, operante aliqua causa, de non esse ad esse, rectè etiam colligimus totam entium multitudinem collectiuè sumptam esse aliquid factum, atque adeò contra Atheos dari extra totam illam infinitam, quam ponunt entium seriem, aliquod ens non factum, à quo cętera facta sunt, quod nos Deum appellamus.

At si prædicatum habeat aliquam ra-

rationem quantitatis, vel potius si denotet quantitatem, aut eius principium, vt esse vnum numero, esse finitum, esse ab alio distinctum, esse priorem, vel posteriorem, tunc à distributiuo ad collectiuum sunt illegitimæ omnes consequentiæ, & sic non valet dicere, *quilibet homo est vnus numero, est finitus, habet alium extra se, habet priorem, &c. ergò omnis homo est vnus numero, est finitus, habet priorem, aut alium extra se.* Imò talis modus argumentandi est potius à distributiuo ad copulatum, in quo nunquam tenet consequentia, quàm à distributiuo ad collectiuum, sicut etiam modus argumentandi in infinito syncathegorematico, vndè si quis dicat, *quælibet pars continui habet minorem*, non tenet consequentia, *ergo omnes partes habent minorem*, quia in toto collectiuo non est illa confusio, & potentialitas, seu vlterior, & quasi continuata tendentia finiti ad infinitum, non sistendo in aliquo finito, nec attingendo infinitum; sicuti reperitur in singulis partibus distributiui, quia quæcumque sumpta sumitur vt includens alias minores, & illæ aliæ inclusę sumuntur vt includentes alias minores, & sic in infinitum; quod totum, aliaque plura ad intelligentiam pręsentis materiæ conducentia rectè explicat Albertinus tomo primo Corollariorum; vbi facilè videri possunt.

SECTIO TERTIA.

De principijs syllogisticis materialibus, quibus videlicet in arguendo, ex parte materiæ regulatur bonitas consequentium, seu conclusionum Theologicarum.

CAPVT PRIMVM.

An sicut in alijs disciplinis dantur principia quædam, Latinis dignitates, *Gręcis vero* axiomata *dicta, ita etiam in Sacra Theologia?*



SVPPOSITO ex dictis lib. 1. huius operis, sect. 3. vbi egimus de certitudine sacræ Theologiæ, quod ipsa ad suas conclusiones probandas procedere debet ex principijs non solum reuelatis, sed etiam creditis fide diuina, id est, ex formali motiuo reuelationis factæ à prima veritate, quàm implicat proponere falsum sua authoritate credendum, tanquam verum, vt communiter docent Theologi, paucis recentioribus exceptis dicentibus, satis esse, si Theologus suis principijs reuelatis assentiatur conclusioni ex alio firmo motiuo distincto à motiuo reuelationis, v.g. ob signa, & miracula, vel ob rationes, vel ob humanam Ecclesiæ authoritatem; quod quidem est procedere ex reuelatis materialiter, non formaliter, & ex creditis fide humana, acquisita, ac natu-

naturali, non diuina, infusa, ac supernaturali, hoc, inquam, supposito, primum occurrit hic examinandum, an sicut in alijs scientijs, ita & in sacra Theologia dentur inter articulos fidei, veritatesque reuelatas aliqua principia Latinis *dignitates*, Græcis *axiomata* dicta.

Pro cuius intelligentia notandum est *principium* in tota sua latitudine definiri, quod sit *propositio immediata*, id est, qua non est altera prior, seu quę caret medio, vnde probetur. Diuiditur propositio immediata, seu principium in *positionem*, & *dignitatem*. *Positio* est principium non ita commune, & notum, vt illud habere, aut scire debeat, qui discere incipit, & huiusmodi sunt particularia vniuscuiusque scientiæ principia. At *dignitas* est principium tantæ certitudinis, vt quilibet illud habere possit, antequam scire incipiat; v.g. *Quodlibet est, vel non est; impossibile est simul affirmare, & negare*. Rursus positio subdiuiditur in definitionem, & suppositionem. *Definitio* est illud principium particulare in quo continetur rei tractandæ definitio: *suppositio* verò illud, in quo tantùm continetur genus, vel differentia.

Secundò notandum est quascumque fidei propositiones dupliciter posse considerari, primo veluti formaliter, & in esse credibilis, secundùm quod nimirum primæ veritati illas reuelanti subiacent, secundò veluti materialiter, & in esse rei, secundùm quod in ipsis subiectum, & prædicatum habent, vel non habent immediatam connexionem, ita vt vna propositio secundum rem possit in aliam resolui, tanquam priorem in essendo, siue tanquam continentem prædicatum, quod est causa, vel ratio prædicati alterius; v. gr. ista propositio, *Christus Dominus habet duas voluntates*, resoluitur in istam, *Christus Dominus habet duas naturas intellectuales, diuinam*, scilicet, *& humanam*; Si quidam ratio à priori duarum voluntatum in vno, & eodem supposito, sunt duæ naturæ intellectuales pariter in vno & eodem supposito subsistentes.

Igitur si loquamur de veritatibus, vel propositionibus fidei formaliter, & in esse *credibilis*, atque adeò attenta ratione formali, sub qua sacra Theologia mediatè versatur circa Deum, aliaque sua obiecta materialia: Sic omnes fidei veritates immediatè à Deo reuelatę possunt vocari prima, & immediata Sacræ Theologiæ principia, siue tales veritates secundum rem possint in alias resolui, tanquam priores in essendo, siue non. Ratio fundamentalis huius dicti desumitur ex ipsamet natura primi, & immediati principij, quod definitur esse id, quo non est aliud prius, siue quod caret medio vndè probetur. Sed omnes fidei veritates immediatè à Deo reuelatæ, si sumantur formaliter, & in esse credibilis sic se habent suntq; irresolubiles in aliud lumen per quod probentur, quàm in lumen diuinæ reuelationis; rectè ergò veritates omnes fidei formaliter sumptę dici possunt prima, & immediata Theologiæ principia. Maior huius argumenti est certa, fundaturque in definitione primi, & immediati principij. Minor autem dependet ex illa doctrina, quæ in materia de fide tradi solet, qua asseritur singula obiecta materialia fidei supernaturalis, quæcumque illa sint, & cuiuscũque conditionis, siue necessaria, siue contingentia æquè pertinere ad fidem in esse credibilis; quod sic probatur.

Quia obiecta æquè dicuntur pertinere ad aliquem habitũ, quæ æquè participant immediatè rationem formalem, seu motiuum talis habitus; sed singula fidei supernaturalis obiecta ęquè participant rationem eius formalem, seu motiuum credendi; ergò singula fidei obiecta, si considerentur in ratione credibilium, siue quod idem est, secundum veritatem, quam habent non in esse entitatiuo, sed in esse credibilis, quæ consistit in ipsa conformitate obiecti crediti cum ipso testimonio Dei illud reuelantis, vnde etiam vocatur veritas extrinseca, quia fundatur in aliquo ipsi obiecto dumtaxat extrinseco, videlicet testimonio Dei, ad distinctionem veritatis

illius in esse rei, quæ consistit in ipsa actuali connexione principiorum inter se, & ideò vocatur intrinseca, quia fundatur in principijs ipsum obiectum intrinsecè componentibus; singula, inquam, fidei obiecta sic considerata æquè pertinent ad fidem, æqualique certitudine, & firmitate credenda sunt.

Rursus maior huius argumenti videtur omnino certa, & indubitata, maximè in illis habitibus vbi motiuum, aut ratio assentiendi, nullomodo est ipsa veritas intrinseca, & propria obiecti cogniti, sed sola ratio formalis talium habituum; vt contingit in fide supernaturali, vbi motiuum credendi nullo modo est ipsa veritas propria obiecti crediti, sed veracitas & testimonium Dei ad distinctionem aliorum habituum intellectualium, præsertim scientificorum, vbi obiecta, quæ formalia vocamus, ita sunt rationes ex parte cognoscentis attingendi obiecta materialia, vt etiam attingantur ratione propriæ veritatis entitatiuæ quam habent, quæ secundum quod est maior, vel minor, perfectior vel imperfectior, sic etiam obiecta scita magis, vel minus dicuntur pertinere ad illam scientiam, cuius sunt obiecta.

Minor probatur, nam formalis ratio seu motiuum fidei supernaturalis, est prima veritas, seu diuina authoritas reuelans, omnia autem immediatè ab illa reuelata æquè participant hoc motiuum cum æquè infallibilis sit Deus in omnibus, quę dicit, repugnetque ipsi æquè mentiri in paruo, ac in magno, & æquè omnia reuelet, quia diuina authoritas reuelans, est vna & eadem, sicut & vnus Deus, & eius veritas, & illa eodem modo applicatur omnibus veritatibus fidei.

Nec refert, quod inter illas sint aliquæ expressiùs, vel etiam sæpiùs, imò & iuramento Dei interposito reuelatæ, quodque in earum confirmationem plura fuerunt edita miracula, quàm in confirmationem aliarum; hoc, inquam, non obest, quin omnia fidei obiecta in esse credibilis considerata æquè ad fidem pertinere dicantur, atque adeo quin ita sint prima & immediata sacræ Theologię principia.

Nam primò, siue magis expressè, siue minus, siue semel tantùm, siue sæpiùs aliqua veritas à Deo reueletur; sẽper habet quod sit à Deo reuelata, & quod fides illi præbeat assensum, ob solum testimonium Dei reuelantis, quod est idem, & eiusdem in se veritatis, & infallibilitatis, dum reuelat vnum, ac dũ reuelat aliud obiectum; ita vt maior, vel minor expressio, facta tantùm semel, vel sæpiùs iterata, se habeat tanquam modus quidam dumtaxat accidentalis diuinæ reuelationi; Vndè cùm id, quod tantum per accidens alicui conuenit, non variet eius substantiam; ex eo quod aliqua veritas fidei sit magis vel minus expressè reuelata, semel tantùm, vel sæpiùs; non ideò magis, vel minus pertinebit ad fidem, quasi magis, vel minus certò credenda.

Secundò quod in nonnullis fidei veritatibus reuelandis Deus interponat iuramentum, non propterea id facit, vt à parte rei, aut in se eius reuelatio sit certior ac firmior, tàm enim est impossibile Deum mentiri, quandò simpliciter aliquid enuntiat, quam quando illud iuramento confirmat, cum illud vtrumque à prima veritate, quã impossibile est falli & fallere, informetur: nec minus repugnet Deo mendacium, quàm periurium, cui possumus etiam addere, Deum semper iurare, dum aliquid reuelat, cum semper afferat se in testem, quod est propriè iurare. In aliquibus tamen Sacræ Scripturæ locis ius iurandum expressè quorumdam articulorum reuelationi interponit propter nos, accommodando se hominum consuetudini, ad maiorem rei promissæ confirmationem, & vt facilius credamus eum isti suæ promissioni certò & infallibiliter esse satisfacturum; cùm enim fallaces sint homines, sibique mutuò fidem interdum violent, iuramentum à se inuicem solent exigere, vt eius religione commoti à fraude, & fallacia abstineant. Addit Sanctus Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 32. Deum aliquan-

quandò interponere iuramentum ad increpationem infidelium. Potest etiam dici iuramentum fuisse aliquando à Deo aliquibus suis promissionibus interpositum, vt ostenderet illas esse absolutas, & non sub aliqua conditione factas, quę fit per aliquem euentum impedienda. Sed de his videndi sunt interpretes Sacri ad cap. 22. Geneseos, & caput 6. Epistolę ad Hebræos, vbi agitur de promissione Christi facta Abrahæ cum iuramento.

Tertiò tandem, quod plura facta sint miracula in confirmationem aliquarum veritatum fidei, quàm in confirmationem aliarum, non arguit proinde magis esse credibiles, aut non esse æque prima & immediata Sacræ Theologiæ principia, in tantum enim aliquid pertinet ad fidem formaliter in quantum participat formale eius motiuum, vt diximus; miracula autem non sunt ipsum formale motiuum fidei, seu ipsa ratio assentiendi creditis per fidem infusam, sed sunt tantùm quædam veluti dispositiones, quibus aliquæ veritates fidei vel confirmantur, vel ostenduntur credibiles, id est, dignæ quibus fides adhibeatur. Potest insuper dici maiori miraculorum numero in confirmationem aliquarum fidei veritatum facto, primam quidem veritatem reuelantem apparere nobis aliquo modo clarius, & apertius illis applicatam, quàm alijs, quæ paucis, aut nullis miraculis confirmantur, non tamen magis participari. Penes quã tantùm maiorem, vel minorem diuinæ reuelationis participationem, attenditur solùm æquè, vel non æquè esse credibile, seu pertinere ad fidem secundum se; atque adeò æque, vel non æque esse prima, & immediata Theologiæ principia formaliter.

At si loquamur de propositionibus fidei non solum formaliter, & in esse credibilis, sed etiam materialiter, seu, in esse rei, possumus inter illas distinguere *dignitates*, & *positiones*. Sicut enim inter principia scientiarum, quæ per rationem naturalem habentur, ordo quidam inuenitur, vt quędam in alijs implicitè contineantur, & ad illa reducantur; v. g. omnia principia reduci dicuntur ad hoc, vt ad primum, *Impossibile est simul affirmare, & negare*, vt explicatur 4. Metaphysicæ; ita etiam in principijs Theologicis, dantur quidam articuli fidei quicumque sint illi, implicitè continentes alias fidei veritates, quas si contineant omnes absolutè & simpliciter, nemini dubium esse potest, quin tales articuli rectè vocẽtur *dignitates*, & *axiomata Theologica*; si verò determinatè dũtaxat contineãt aliqua credibilia in certo ordine, sic potius sũt positiones. V. g. ista propositio *Deus est incarnatus*, dicitur positio, quia est veluti principium implicitè continens reliqua, quæ de Christo dicuntur, veritas enim huius, *Deus est passus, aut mortuus*, fundatur in ista, *Deus est homo*, & hæc in ista, *Deus est incarnatus*.

CAPVT II.

Quænam sint inter fidei veritates, aut articulos, Theologicæ dignitates, primaque omnino principia dicenda.

SVpposito ex dictis superiori capite, quod inter supernaturales fidei veritates, dentur prima aliqua principia, Theologicæque dignitates, restat examinandum quænam sint illæ? Aliqui enim affirmant quod ista duo principia, *Deus est, & est remunerator inquirentium se* sunt Theologicæ dignitates, ita Melchior Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 3. Alij verò dicunt esse potius ista, *quicquid in scripturis Canonicis continetur est à Deo reuelatum*, vel *quicquid in scripturis Canonicis fuit à Deo reuelatum, est verum, & infallibile*. Sed istæ duæ sententiæ facile ni fallor possunt ad cõcordiam reuocari.

Intelligendo igitur secundam sententiã de dignitatibus Theologicis veluti ex parte rationis formalis se tenentibus, atque adeò secundum quod sacra doctrina modo sectione prima huius li-

bri explicato, vtitur diuina reuelatione veluti in acta signato, ad inferendum syllogisticè conclusionem aliquã Theologicam, sic dico, duo illa principia statim allata, rectè vocari dignitates Theologicas; si quidem sunt id vltimum, ad quod reducuntur omnes conclusiones Theologicæ, & quo negato non suppetit amplius Theologo via, aut ratio probandi aliqnid ex parte suæ rationis formalis sub qua, quæ est authoritas diuina reuelans.

At si sit sermo de dignitatibus Theologicis veluti in essendo, aut in esse rei, secundum quod in actu exercito possunt esse media demonstrationũ Theologicarum; dicendum est cum prima sententia, duo illa principia, *Deus est*, &, *est remunerator inquirentium se*, esse Theologicas dignitates, si quidem omnes quotquot sunt fidei articuli, & veritates in illis primis credibilibus virtualiter, & implicitè continentur, scilicet vt credatur Deum esse, & prouidentiam habere circa hominum salutem, iuxta illud D.Pauli ad Hebręos cap. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deũ quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Nam in esse diuino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus vltima nostra beatitudo consistit. In fide autem diuinæ prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæque sunt media ad æternæ beatitudinis consecutionem necessaria.

Pro quorum omnium maiori luce primò notandum est illa duo vniuersalissima principia dupliciter considerari posse; vno modo quatenus naturali ratione cognosci, & attingi possunt; & ita potius sunt conclusiones scientiæ à posteriori, quæ procedit cognitione effectus ad causam, quàm principia. Alio modo considerari possunt vt cognoscibilia superiori lumine diuinæ reuelationis, & sic habent rationem primorum principiorum, suntque dignitates quædam inter omnia alia principia reuelata; sic enim dumtaxat continent virtualiter & implicitè alia principia, non autẽ quatenus lumine naturali præcisè cognosci possunt. Si quidem impossibile est quod inferior cognitio virtualiter contineat ea, quæ per altiorem tantùm cognitionem attingibilia sunt; sed Deum esse vnum & Trinum; secundam sanctissimæ Triadis personam assumpsisse carnem humanam, & cætera huiusmodi supernaturali solùm lumine sunt certò cognoscibilia, ergò non continentur virtualiter in illis duobus principijs, quatenus ad ordinem naturalem pertinent, suntq; proinde naturali lumine cognoscibilia; sed ad ordinem supernaturalem, supernaturalique fidei lumine cognoscuntur. Vnde rectè Apostolus ait, *Accedentem ad Deum oportere credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; quia licet illa propositio *Deus est*, intellecta præcisè de existentia naturali, sola luminis naturalis virtute & efficacia possit attingi, vt de facto plures Philosophi sic illam cognouerunt, atque adeo sic sumpta potius pertineat ad fidem quasi præambulum, quàm vt verus illius articulus; attamen si cõsideretur talis propositio secundum quod in se, & ex parte rei cognitæ est fæcunda omnium aliorum mysteriorum fidei, atque adeò necessaria ad salutem, sic solius fidei obiectum est in præsenti vita, visionis verò in alia.

Obseruandum est secundò, quod quandò asserimus supradicta duo vniuersalissima principia, quatenus supernaturali lumine cognoscibilia sunt, virtualiter & implicitè continere omnia alia credibilia, non ita debere intelligi, quasi per necessariam & infallibilẽ consequentiam ex illis primis semper inferantur, sed quia in reipsa cognita verè existunt, siue ex natura rei, siue ex libera Dei voluntate. Quod potest declarari primò in illa propositione *Deus est*, non enim sequitur per bonam & euidentem consequentiã quo ad nos, *Deus est*; ergò necessario Trinus est in personis. Secundum se tamen, & in reipsa cognita magis sequitur ex illo antecedenti

denti, quam ista, *Si homo est, animal rationale est*; vel ista, *homo est risibilis, quia rationalis*. Nam Deitas est radix, & veluti causa virtualis in se omnium attributorum diuinorum, & perfectionum, quæ de Deo efferuntur, siue sint absolutæ, siue relatiuæ. Similiter de secundò principio, scilicet quod Deus perfectissimam habeat de hominum salute prouidentiam, manifestius est consequentiam non esse semper legitimam, non solùm quoad nos, sed neque etiam secundum se, dum ex illo inferuntur plura alia fidei nostræ mysteria, vt si quis argueret, *Ergò filius Dei factus est homo*. Articulus enim incarnationis diuinæ, & alij similes continentur solum in articulo diuinæ prouidentiæ, supposita libera Dei voluntate, qua sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; vndè qui in communi credit per lumen infusum, specialem Dei prouidentiam esse circa salutem hominum, ibidem etiam virtualiter & implicitè credit omnem modum, quem Deus voluntate sua præfixit, ad huiusmodi hominum salutem promouendam, ac perficiendam; qualis est æconomia Verbi diuini in carne mortali, Sacramentorum institutio, aliaque similia media, quibus dirigitur homo ex speciali Dei prouidentia in finē vitæ æternæ.

CAPVT III.

An Theologia procedere possit ex vtraque præmissa reuelata.

CErtum est dari plures discursus cōstantes vtraque præmissa reuelata, siue quod idem est, qui nitantur duabus præmissis de fide. V.g. *Christus Dominus est filius Dei; sed Christus Dominus redemit homines, ergo filius Dei redemit homines*. Difficultas est an huiusmodi discursus sint verè, & propriè Theologici; an verò pertineant ad habitum fidei; ratio dubitandi est, quia si vtraque præmissa est reuelata, conclusio etiā videtur esse necessariò reuelata: sicut enim ex duabus præmissis euidentibus, vel probabilibus, non potest non sequi conclusio euidens, vel probabilis: ita ex duabus reuelatis necesse est sequi cōclusionem pariter reuelatam. Cuius ratio veluti à priori deduci potest ex hoc, quod subiectum & passio in conclusione eamdem inter se connexionem habent, ac in præmissis cum medio termino, hoc enim significare videtur commune illud axioma prioristicum, de quo egimus superiori sectione, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed quando ambæ præmissæ sunt reuelatæ subiectū & passio cum medio termino habent cōnexionem certissimam certitudine reuelationis, ac fidei; ergò eamdem inter se connexionem habent in conclusione; vt satis patet in exemplo statim adducto: si enim semel reuelauit Deus, Christum Dominum esse filium Dei, & Christum redemisse homines, statim apparet, reuelasse etiam filium Dei redemisse homines.

Nihilominus tamen dicendum est, eiusmodi discursus constantes vtraque præmissa reuelata esse proprissimè Theologicos, secundum quod Theologia est argumentatiua, habitusque discursiuus realiter ab habitu fidei distinctus, qui propriè loquendo, nec explicitè nec implicitè est discursiuus: sed solummodo enuntiatiuus, & iudicatiuus.

Ratio huius rei est, primo quia vt suis locis sæpius notauimus, sacræ doctrinæ proprium est, ad illatiuos assensus suarum conclusionum procedere ex reuelatis, ad distinctionem omnium aliarum Philosophicarum disciplinarū, & scientiarum naturalium, vnde S.Thomas 1. p. q. 1. art. 2. Theologiam vocat doctrinam secundum reuelationem diuinam; & ad secundum scientiam omnia tractantem, *secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis*. Et ad primum: *Sacra*, inquit, *doctrina consistit in rebus à Deo reuelatis, suscipiendis per fidem*. Et artic. 2. in fine corporis, *sicut Musica credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita doctrina sacra credit* prin-

principia reuelata sibi à Deo. Et artic.3. pariter in fine corporis, *Omnia quæ sunt diuinitus reuelabilia comprehendūtur sub sacra doctrina; sicut sub scientia vna*. Et art.5. *Hæc scientia non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediatè à Deo per reuelationem*. Et art.6. ad 2. *Propria huius scientiæ cognitio est, quæ est per reuelationem; non autem, quæ est per naturalem rationem*. Et art.7. *Principia huius scientiæ sunt articuli fidei*; quod idem repetit art. 8. additque tàm in corpore, quàm ad primum. *Hæc doctrina ex articulis fidei ad alia argumentatur*. Et ad 2. *Argumentari ex authoritate est maximè proprium huius doctrinæ, eo quod principia huius doctrinæ per reuelationem habentur*. Ergò quò magis discursus ex reuelatis procedit, ac diuinæ reuelationi nititur, eo magis Theologiæ proprietatem participare dicendum est; adeo vt si ex nullo alio procedat principio, nisi reuelato, sit maxima cum proprietate Theologicus.

Secundò probatur, quia is assensus est propriè discursiuus, atque adeo pertinens ad sacram doctrinam secundum quod est argumentatiua, & habitus realiter à fide distinctus, quo per aliquod antecedens iudicium aliqua duo iudicantur esse, vel eadem, vel coniuncta inter se, ob identitatem, vel coniunctionem quam habent in aliquo, nimirum medio; ita vt eiusmodi antecedens iudicium, seu antecedens connexio illorum duorū cum medio cognita sit motiuum eius assensus, qui datur conclusioni, seu rei per illam enuntiatæ, vt facile potest intelligi ex tota definitione argumentationis & syllogismi tradita per Aristotelem in libris priorum, & ex communi doctrina Dialecticorum: Sed ita res se habet etiā in discursibus vtraque præmissa reuelata cōstantibus; ergò tales discursus sunt proprijssime Theologici; siue quod idem est proprijssime pertinent ad Theologiam, secundum quod est habitus realiter ab habitu fidei distinctus. Cuius est credere, *filium Dei redemisse mundum*, vt persistamus in exemplo adducto, non ideò formaliter, & præcise ob connexionem, quam extrema huius propositionis tanquàm veræ habent inter se, & cum ipso motiuo seu medio, scilicet Christo Domino, aut diuina reuelatione super illum cadente; sed purè, simpliciter, absolutè ob authoritatem Dei, seu reuelationem diuinam; quemadmodum patet in hominibus idiotis & rudibus, qui nescientes iudicare de bonitate consequentiæ ex aliquo suo antecedenti nō desinunt elicere præclaros actus diuinæ fidei, etiam aliquandò excellentiores, quàm quos aliqui doctores in rebus Theologicis versatissimi eliciunt.

Tertiò, Assensus diuinæ fidei ex communi Theologorum sententia, est absolutè & simpliciter quo ad suam entitatem & substantiam supernaturalis; sed assensus etiam deductus ex duabus præmissis de fide est naturalis quo ad suam entitatem; ergò non potest esse assensus vt sic diuinæ fidei, sed Theologiæ tantùm, quæ vt vidimus superiori libro ex communiori Theologorū sententia est habitus substantialiter & entitatiue naturalis.

Probatur minor, quia actus ille, seu assensus est merè & simpliciter quo ad substantiā naturalis, qui oritur à potentia naturali vt naturaliter operante; atqui assensus deductus etiam ex duabus præmissis de fide oritur ab intellectu vt naturali potentia operāte naturaliter, quia oritur tantùm à iudicio, quod intellectus credentis, seu habentis fidem, format de bonitate consequentiæ rei reuelatæ, vel ad ipsam reuelationem Dei, vel ad mèdium ab illo reuelatum in tali discursu; iudicare autem de tali bonitate, propriè est intellectus vt operantis naturaliter, quemadmodum patet ex dialectica; etsi præsuppositiuè fidem habeat, illa tamē, nec illius motiuo vtitur ad formandum tale iudicium. Neque enim dici potest istam bonitatem consequentiæ, & connexionem rei reuelatæ, vel cum ipsa reuelatione, vel cum alio medio reuelato cognosci per fidem diuinam, quæ illam osten-

ostendat, & demonstret. Hoc, inquam, asseri non potest, quia est contra experientiam, & si ita esset, talis bonitas cōsequentiæ esset de fide; nam quidquid diuina fide cognoscimus, est de fide: at negare talem consequentiam præcisè consideratam in ratione consequentiæ syllogisticæ, non est propriè & rigorosè loquendo hęreticum, sicut nec ignorare formam syllogizandi est aliquod peccatum contra fidem, vel aliquod præceptum eius. Quid autem sit dicendum in casu quo Deus non solum reuelaret ambas præmissas, sed etiam bonitatem consequentiæ, & ipsammet deductionē, an tunc saltem talis discursus, vel conclusio sic deducta pertineret ad fidem, explicabitur in fine huius capitis.

Per quæ satis patet ad rationem dubitandi superius allatam; non enim negamus conclusionem deductam ex duabus reuelatis esse etiam aliquando reuelatam, atque adeò fide credendam; sed tantùm asserimus ad illam non pertinere præcisè secundum quod est deducta, sed ad habitum Theologiæ. Nullum enim est inconueniens, & hoc etiā potest habere rationem quartæ probationis pro nostra conclusione, quod vna, & eadem propositio materialis, sub diuersis tamen rationibus & motiuis ad diuersos etiam habitus pertinere possit, vt satis patet in hac propositione, *Terra est rotunda*, quæ vt demonstrabilis per medium Mathematicum, ad Mathematicas spectat disciplinas, vt verò per physicum motus grauis ad centrum, ad Physicas. Diligenter igitur distinguendæ sunt duæ rationes formales; quibus intellectus mouetur ad iudicium eiusdem propositionis materialis, v.g. *filium Dei redemisse homines*. Altera, quia hoc dixit Deus, qui nec falli, nec fallere potest, & hoc est iudicium fidei, cuius est credere, vel assensū elicere purè & simpliciter quia Deus reuelauit, ita vt inter ipsum assensum diuinæ fidei & reuelationem diuinam seu auctoritatem Dei nihil mediet, sed noster intellectus feratur immediatè in rem reuelatam, & reuelationem diuinam simul; in hanc, vt in obiectum *quo*, in istam vt obiectum *quod*: Altera quia hoc sequitur ex præmissis à Deo reuelatis tanquàm effectus à causa. & hoc est iudicium Theologiæ vt distinctæ à fide; vt enim primum illud motiuum nihil aliud includit præter ipsam diuinam reuelationem pręcise; ita secundum includit determinatam aliquam connexionem cōclusionis cum præmissis reuelatis, vel subiecti, & prædicati cum medio termino in præmissis reuelatis: quæ connexio est quid distinctum à Deo, eiusque reuelatione formali; & est ratio formalis sub qua Theologiæ, prout est habitus realiter à fide distinctus.

Sed inquiret aliquis vtrum, si Deus non solùm reuelaret pręmissas, sed etiā bonitatem consequentiæ, & ipsammet deductionem, tunc saltem conclusio vt deducta spectaret ad fidem, & non ad Theologiam. Respondetur adhuc in illo casu conclusionem vt deductam esse propriè Theologicam, quia tunc etiā assensus conclusionis immediatè depēderet à re reuelata, tanquàm à formali, & adequato motiuo assentiendi, & non ab authoritate primæ veritatis reuelantis, à qua formaliter & immediatè pendere debet verus ac proprius fidei assensus. Aliud igitur est aliquem assentiri conclusioni, quia ipsa immediatè reuelata est à Deo. Aliud, quia infertur per deductionem reuelatam à Deo; in primo enim assensu reuelatio Dei pręcisè est tota ratio assentiendi, & ideo est verus actus fidei: in secundo autem reuelatio Dei est solum quędam remota assentiendi ratio, quæ non mouet proximè ad assentiendum, nisi applicata rebus, & pręmissis reuelatis, & deductioni reuelatæ. Quapropter quemadmodum ex superius dictis iuxta communiorem Theologorum sententiam, dependentia conclusionis à pręmissis reuelatis non facit conclusionem esse de fide, ita neque dependentia conclusionis à deductione reuelata: nunquam igitur conclusio deducta, quatenus deducta formaliter

maliter, & reduplicatiue, esse potest de fide: quia sic semper reduplicat rationem formalem deductionis, quæ neque est reuelatio, neque authoritas Dei reuelantis, in qua per se & pręcise spectata consistit motiuum formale diuinæ fidei, vndè actus ab illa formaliter pendens nunquã esse potest fidei; sed Theologiæ tantùm, quæ etiam nititur reuelationi, non quidem formali, aut immediatè cadenti supra conclusionem, vt nititur fides, sed supra causas conclusionis, id est, supra præmissas, & supra bonitatem consequentiæ, quod est tantum reuelatio quędam virtualis.

Confirmatur hoc, quia eo ipso quod assensus diuinæ fidei, est actus virtutis Theologalis, est contra rationem illius vt terminetur immediatè & formaliter ad aliud præterquam ad Deum; sed deductio, siue bonitas consequentiæ reuelata in aliquo discursu ex vtraque etiam pręmissa reuelata constante, est aliquid distinctum ab ipso Deo prima veritate in dicendo, & ab auctoritate Dei, sicut & ipsa connexio extremorum cum medio in pręmissis facta, si velimus loqui formaliter & præcise; ergò impossibile est, quod assensus circa illa versans, aut melius per illa regulatus, in ordine ad aliquam conclusionem inferendam, sit actus verus ac proprius diuinæ fidei, sed tantùm præsuppositiuè.

CAPVT IV.

An Theologia procedere possit ex vna præmissa diuinitus testata, & alia naturaliter euidente.

IN toto sacræ Theologiæ decursu reperiuntur multi discursus, multęque demonstrationes, in quarum præmissis vna propositio certa, naturæque lumine perspicua iungitur alteri diuinitus reuelatæ, vel testatæ. V. g. *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergò Christus est risibilis.* Vel, *omnis homo habet voluntatem humanam: Christus est homo, ergo Christus habet voluntatem humanam*. Difficultas est an eiusmodi discursus, conclusionesque per illos deductæ sint verè ac propriè Theologicæ. Pro cuius resolutione.

Primo dico, propositionem certam naturalique tantùm lumine manifestam, etiam dum alteri diuinitus reuelatæ in eodem syllogismo iungitur, non esse proprium aut insitum, sed assumptum dumtaxat & extraneũ Theologicæ conclusionis principium: in hoc conuenire debent omnes Theologi; siquidem eiusmodi propositiones ab naturalibus disciplinis tanquàm ab ancillis eò mutuatur regina scientiarum Theologia, vt conclusionem aliquam, quæ in supernaturali fidei veritate implicitè reuelata est, deducat, ipsumque implicitum de ea testimonium intellectui admoueat. Qua ex veritate illam elicere, nisi ascita, vel aduocata aliqua propositione naturaliter euidente, non potest, propterea quod in illa, nisi tali propositione supposita, minime includatur, vt satis patet in exemplis superius allatis, & innumeris alijs similibus: Hæc enim conclusio, *Christus habet voluntatem humanam*, ex hoc significato diuinitus dogmate, *Christus est homo*, nisi aduocata hac propositione, naturæ lumine perspicua, *omnis homo habet voluntatem*, deduci vel inferri non potest, quia in illo nonnisi supposita hac propositione, continetur.

Secundò dico propositionem certã, naturalique lumine euidentem, quæ alteri diuinitus reuelatæ in eodem syllogismo coniungitur, ita diuinum intellectui admouere, vel applicare testimonium, vt non mera sit conditio, sine qua intellectus Theologicæ conclusioni non assentiretur propter reuelatam diuinitus præmissam, sed vera etiam causa, quæ in conclusionem efficienter influat. Probatur, quia quod mouet intellectum ad assentiendũ conclusioni deductæ ex vna pręmissa de fide, & altera naturaliter euidente, sola non est connexio medij termini cum pręmissæ vnius extremo, eius scilicet quæ diuinitus reuelata est; sed copulatio medij ibidem termi-

ni

ni cum alterius etiam præmissæ extremo, eiusdemque idonea cum vtraque dispositio; vt satis patet à pari omnium aliorum discursuum, in quibus quod nos mouet ad assentiēdum conclusioni, siue quod idem est, ad assentiendum præmissarum extrema legitimè esse inter se coniuncta in conclusione, esse non pôtest sola extremi alterius cū medio termino coniunctio, sed sit oportet vtriusque cum eodem in præmissis apta combinatio. Sed medij termini copulatio cum vtroque præmissarū extremo, præmissa vna contineri non potest, cum neutra præmissarum vtrumque complectatur extremum. Causa igitur cur intellectus adhęrescat firmūque prębeat assensum conclusioni syllogismi duabus ex præmissis constantis, alteram quarum fides, alteram naturalis ratio docet, sola non est præmissa diuinitus reuelata; sed vtraque, tum ea cuius fides, tum ea cuius ratio nos reddit certiores.

Tertiò dico, discursus illos, quorum altera præmissa, sit reuelata, altera naturaliter euidens, esse verè ac propriè Theologicos, non æquè licet perfectè, atque illi, quos superiori capite diximus ex duplici diuinæ fidei assensu dimanare. Ita D.Thomas 1.par.q.1. art.8.ad 2. dicens: *Vtitur Sacra Doctrina etiam ratione humana, id est, non quidem ad probandum fidem; sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina.* Et 2. contra Gentes cap. 4. *Interdum ex principijs Philosophię humanæ sapientia diuina procedit.* Probatur primò, quia huius generis discursus, illatasque per illos conclusiones alia nulla sibi vendicat disciplina, vt potè certas & obscuras. Secundò, quia vt conclusio aliqua ad Theologiam pertineat, sitque genuinus illius partus, satis est mouentem, qua nititur, rationem esse ex parte à Deo confirmatā. Alioquin nulla foret Theologica propriè conclusio, cùm etiam in discursibus ex vtraque præmissa reuelata constantibus, cuilibet aptæ, ac legitimæ consequentiæ, quam solum naturæ lumen manifestat, veluti parti mouentis rationis innitatur; de quo vide dicta superiori libro sect.2.cap.5.& sect. 4.cap.3.

Tertiò probant aliqui, quia conclusio deducta ex vna præmissa de fide, & altera naturaliter euidēte semper est virtualiter reuelata; ergò semper est verè a c propriè conclusio Theologica. Pate t consequentia, quia de ratione Theologiæ est; quod procedat sub lumine virtualis reuelationis; vt superiori libro sect.2. fusius explicuimus. Probatur antecedens in quo est difficultas, nam motiuum formale assentiendi conclusioni, ex quo assensus habet formaliter vt sit huius, vel illius habitus, ac speciei, non sunt præmissę quomodolibet considerata; sed est connexio illa, quam in præmissis duo extrema habent cum medio termino; hinc enim formaliter deducitur conclusio, id est, coniunctio extremorum inter se; At quando vna pręmissa est reuelata, & alia naturaliter euidens semper necessariò extrema non solum in pręmissa reuelata, sed etiam in præmissa euidente habent cum medio coniunctionem reuelatam, non euidentem; idque ex vi reuelationis factæ explicitè de vna solum pręmissa: qui enim explicitè reuelat aliquam propositionem, cēsetur virtualiter, & implicitè reuelare omnia, quæ cum illius propositionis terminis, id est, subiecto, & prædicato necessariam habent connexionem, alioquin non constaret substantia, ac proprietas terminorum reuelatorum, nec consequenter veritas propositionis reuelatę, v.g. reuelans, omnem hominem esse redemptum à Christo, reuelat virtualiter & implicitè, Petrum, Paulum, & quemlibet alium particularem hominem existentem fuisse à Christo redemptum, alioqui illa reuelatio facta de omni homine esset falsa si vnus aliquis homo daretur non redemptus à Christo: Ergò conclusio deducta ex vna præmissa de fide, & altera naturaliter euidentè semper est virtualiter reuelata; cum sic procedat ex vnico formali motiuo coniunctionis reuelatę duorum extremorū

cum medio termino, arguaturque ex illo coniunctio eorumdem extremorum inter se in ipsa.

Verùm hæc ratio non placet aliquibus, putantque sufficienter ex eo reuinci, quod in exemplo adducto, *Omnis homo est redemptus à Christo. Petrus est homo, ergò Petrus est redemptus à Christo*, etiam si subiectum minoris propositionis, *Petrus*, implicitè includatur in subiecto maioris propositionis, *Omnis homo*, qui medius est terminus totius allati syllogismi, non idcirco tamen propositio minor, *Petrus est homo*, in maiore, *Omnis homo est redemptus à Christo*, virtualiter aut implicitè testata dicenda est, sed isthæc, *Petrus à Christo redemptus est*, cum hæc, non illa, in ea implicitè contineatur.

Attamen hęc solutio, vel instantia non videtur eneruare vim argumenti, in eo enim non intenditur, quod propositio minor exempli adducti sit virtualiter reuelata, sed solum quod extremum illius Petrus virtualiter contineatur sub illo extremo, maioris propositionis, *omnis homo*, de quo eo ipso, quod per fidem enuntiatur immediatè, quod sit à Christo redemptus, atque adeò quod habet connexionem formaliter reuelatam cùm tali prædicato, potest idem dici de Petro, virtualiter in illo contento. Quare idem Petrus sub diuersa ratione habet cum medio coniunctionem euidentem, & ineuidentem: nam quatenus contentus in minori illa euidente habet coniunctionem euidentem, quatenus verò explicatus contineri implicitè in subiecto maioris reuelatæ, in quam explicationem tantum influit præmissæ naturalis euidentia, habet coniunctionem reuelatam & ineuidentem.

Melior igitur instantia, quæ contra dictam rationem posset fieri, est, quod valeat tantùm, quandò in syllogismo Theologico ex vna præmissa de fide, & altera naturaliter euidente, præmissa de fide est vniuersalis, præmissa verò naturaliter euidens particularis vt in exemplo adducto, secus autem quandò præmissa de fide est particularis, naturaliter verò euidens vniuersalis, vt si dicatur, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergò Christus est risibilis*; etsi enim nullum sit inconueniens quod assensus, vel propositio naturalis in supernaturali, ac singularis in vniuersali eminenter contineatur, secus tamen de naturali, vel particulari respectu supernaturalis, & vniuersalis.

CAPVT V.

Vtrum Theologia procedere possit ex vtraque præmissa naturaliter euidente, præsuppositis tantùm articulis fidei, vt conditione extrinseca.

PRo difficultatis intelligentia notandum est intellectum creatum dupliciter posse vti lumine fidei: vel ita vt ex principijs reuelatis, & ex alijs lumine naturæ notis deducat conclusionē, vt superiori capite dictum fuit, vel ita vt lumine fidei tantùm excitetur, ad vtēdum principijs naturalibus non verò reuelatis in ordine ad aliquam conclusionem colligendam, dubium est an talis conclusio sit verè, ac propriè Theologica. Affirmatiuam partem tenent Durandus q.1. Prologi, Aureolus ibidem, & Toletanus q.2. art.2. concl.4.

Nihilominus tamen dicendum est assensum procedentem ex vtraque euidenti naturali, præsuppositis articulis fidei, vt conditione extrinseca, non esse verè Theologicum. Probatur, ille assensus, solùm est verè Theologicus, qui procedit sub formali motiuo Theologię; Si quidem assensus discursiui non sumunt suam specificationem, & consequenter essentialem ab alijs distinctionem ex obiecto materialis conclusionis, sed ab obiecto formali tantùm, aut motiuo; sed assensus procedens ex vtraque præmissa naturaliter euidente, præsuppositis articulis fidei, vt conditione extrinseca, non procedit sub formali mo-

tiuo

tiuo Theologiæ, ergò non est assensus verè Theologicus. Maior est certa. Probatur minor, quia motiuum formale, seu ratio formalis sub qua Theologiæ, pro vt est habitus à cæteris distinctus, est reuelatio virtualis; sed reuelatio virtualis non potest stare per hoc quod articulus fidei ingrediatur demonstrationem, vt suppositio merè extrinseca, & per accidens, sed vt suppositio intrinseca, hoc est, vt demonstrationis præmissa, ac principium per se influens in veritatem conclusionis; arguimus enim passionem conuenire subiecto, ex eo quod huic conueniat ratio, propter quam habetur illa passio; ergò: vidè dicta superiori libro sect.2.cap.5.

Obijcies, ad Theologum spectat ita arguere, *Omne animal rationale est risibile, Christus est animal rationale; ergò Christus est risibilis*; sed in hoc discursu nulla est propositio reuelata, ergò ad discursum Theologicum, licet debeat præsupponi fides, non tamen videtur requiri quod semper procedat ex aliqua præmissa reuelata.

Respondetur 1. ex suppositione, quod in syllogismo facto nulla esset præmissa de fide, non pertinere verè, seu elicitiuè, sed reductiuè tantum, aut imperatiuè ad Theologiam; quatenus ratio naturalis lumine fidei, ac Theologiæ semel excitata potest adinuenire aliquas rationes & coniecturas, quibus vtcunque probet, & explicet, veritates fidei, conclusionesque ex illis deductas non esse dissonas eidem rationi naturali, sed cum illa suo modo congruere, vt in propria vniuscuiusque materia ostendi solet.

Respondetur 2. concedendo maiorem, & distinguendo minorem, nulla est propositio immediatè reuelata, transeat, mediatè nego; minor enim illa, *Christus est animal rationale* pendet ab ista immediatè reuelata, *Christus est homo*, eiusque veritati per se innititur, in eamque per se resoluitur. Vndè sicut in scientijs naturalibus non est semper necessarium vt conclusio scientifica sit immediatè deducta, ex primis principijs per se notis, sed satis si deducatur ex alijs propositionibus in illa immediatè resoluilibus, siue, quæ per veras, ac primas suę cognitionis principium sumpserunt, vt communiter docent Philosophi ex Aristotele 1. Topic.cap.1. ita ad conclusionem verè, ac propriè Theologicã nō requiritur præmissas esse in se immediatè reuelatas, sed sufficit quod ex immediatè reuelatis necessario deducantur.

CAPVT VI.

Vtrum Theologia procedere possit ex vna præmissa reuelata, & alia probabili, vel etiam falsa, prudenter tamen & bona fide æstimata diuinitus reuelata.

QVod pertinet ad primam huius dubij partē est communis Theologorum sententia, quod discursus ille, qui constat vna tantùm præmissa reuelata, & alia probabili, non sit verè, ac propriè Theologicus, v. g. *Omnis homo habet vnam tantùm formam substantialem Christus est homo, ergò Christus habet vnā tantùm formam substantialem.*

Ratio fundamentalis est, quia nomine Theologiæ, sicut Metaphysicæ, Mathematicę, & Physicę, intelligitur propriè habitus aliquis verus, ac certus ita vt id, ad quod inclinat, sit ita verum vt non possit esse falsum, saltem pro eo tempore, & modo, quo ad illud inclinat. At discursus constans vna tantum præmissa reuelata, & alia probabili non est certus, & infallibilis; sed opinatiuus ac fallibilis, cui consequenter potest sub esse falsum; ergò non est Theologicus perfectè, ac per se; sed imperfectè tantùm, ac reductiuè sicut superiori libro sect.2.cap.5. adnotauimus, quia etsi non procedat certò & infallibiliter ex reuelatis, nec nitatur reuelatione certò & infallibiliter applicata, qui est proprius, & perfectus procedendi modus Sacræ Theologiæ, tamen procedit simpliciter ex reuelatis; licet modo aliquo imperfe-

cto, nimirum cùm incertitudine veritatis, & formidine falsitatis vt statim explicabitur in probatione minoris argumenti; quemadmodum, ob hunc eundem defectum, discursus opinatiuus phisicus, & Metaphysicus, procedens ex principijs probabiliter tantum applicatis ex consortio alicuius præmissæ probabilis, non pertinet verè, & propriè ad Physicam, aut Metaphysicam, sed reductiuè tantùm.

Minor igitur, in qua versatur totum difficultatis pondus, probatur quia ratio quę inducit ad assentiendum conclusioni omnino certæ, atquè adeò Theologicæ, medij termini connexio est, non cum altero, sed cum vtroque extremo, eiusdemque non cum altero, sed cum vtroque apta dispositio, & combinatio: quo fit, vt quæ propositionum extrema, nonnisi probabiliter, & opinatiuè cum medio termino in præmissis coniuncta sunt, eadem inter se necessario in conclusione cohęrere non possint, siue quod idem est, mouere intellectum ad inferendam ex illis certam, & infallibilem connexionem, sed in discursu habente vnam aliquam pręmissam, probabilem tantùm, & alteram reuelatam, earum extrema, nonnisi probabiliter, & opinatiuè coniunguntur cum medio termino, ergò discursus ex illis procedens non potest esse certus, & infallibilis, sed probabilis tantum, & opinatiuus, bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu.

Quantùm ad secundam dubij partem, eius solutio aliquomodo pendet ex illa difficultate, quæ in materia de fide agitari solet, vtrum reuelatio falsa prudendenter tamen, & bona fide æstimata diuina, possit esse formalis ratio sufficiens ad credendum fide infusa; si enim semel est vera pars affirmatiua, non apparet quomodo ex præmissa sic credita non possit nō procedere discursus Theologicus. Verùm quia longè probabilius est, quod sola illa reuelatio quæ verè & reipsa est diuina, sit sufficiens ad credendum fide supernaturali, & infusa; ea verò reuelatio, quæ tantummodò est diuina quo ad prudentem hominis æstimationem, nec iuxta veritatem rei est diuina, sit ad id insufficiens; ideò asserendum est Theologiam procedere non posse verè ac propriè ex præmissa falsa, quantumuis prudenter, & bona fide æstimata diuinitus reuelata.

Probatur, quia in tantùm cum aliqua probabilitate posset asseri quod talis præmissa esset verum ac proprium Theologicę demonstrationis principium, in quantum reuelatio falsa, prudenter tamen & bona fide ęstimata diuina, posset esse formalis ratio sufficiens ad credendum fide infusa; sed hoc est impossibile, ergò &c. Probatur minor, in tantum aliqua reuelatio est sufficiens ad credendum aliquid fide diuina, in quantum est, vel participat formale motiuum propriè sumptum fidei infusæ, seu supernaturalis, quia nihil potest mouere potentiam ad operandum sub hac speciali, & determinata ratione, hac & ista specie, nisi in quantùm tale mouens informatur proprio motiuo, seu formali ratione huius & istius determinatæ speciei, cum ex communi doctorum consensu tàm actus, quam habitus specificentur, seu habeant quod sint huius vel istius speciei, ab ipsa formali ratione, qua tendunt in obiecta: sed sola reuelatio verè & proqriè diuina, seu quæ à parte rei secundum rei veritatem est talis, est formale motiuum fidei infusæ, reuelatio autem, quæ bona fide & prudenter ęstimatur *diuina*, non est verè de facto, & à parte rei *diuina*; siquidem *esse diuinum* in aliqua reuelatione non pendet ab ęstimatione, vel apprehensione intellectus nostri, sed ab ipsa intrinseca, & propria entitate, atque conditione reuelationis, vt satis ex terminis ipsis patet: igitur sola reuelatio verè, propriè, de facto, & secundum rei veritatem diuina, est sufficiens ad credendum aliquid fide diuina, non autem ea quæ bona fide & prudenter æstimatur diuina, qualis tamen non est.

Confirmatur primò, ea tantum reuelatio

latio ad credendum aliquid fide diuina est sufficiens, cui falsum nulla penitus ratione subesse potest, vt docet Concilium Tridentinum, quando sess. 6. cap. 9. condemnat inanem fiduciam Hæreticorum nostri temporis credentium se esse iustificatos, ita enim loquitur, *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum*; atqui sola illa reuelatio quæ propriè & iuxta rei veritatem est diuina, talis est cui nullum potest subesse falsum, vt satis ex se patet, tunc enim hęc diuina reuelatio non esset ampliùs primæ veritatis in testificando, cùm tali veritati repugnet testificari falsum, vt suppono tanquàm rem certissimam; igitur sola illa reuelatio, quæ propriè, & secundum rei veritatem est diuina, nullaque præter illam alia, est sufficiens ad credendum aliquid fide diuina infusa, seu supernaturali.

Confirmatur secundò, nam ea reuelatio ad credendum fide supernaturali non est sufficiens, de qua licet dubitare, & cui denegare assensum non est hæreticum, quia reuelatio, cui fides supernaturalis innititur, est certissima; sed citra periculum hæresis licet dubitare, vel etiam denegare assensum reuelationi, quæ propriè non est diuina, sed solummodo æstimatur bona fide & prudenter esse diuina. Siquidem in statim citata Concilij Tridentini sessione Canon 16. definitur neminem absoluta & infallibili certitudine posse asserere se certò habiturum donum perseuerantię, nisi id ex speciali didicerit reuelatione; vbi Concilium per specialem reuelationem intelligit eam, quæ propriè & in rei veritate est diuina, & proindè significat, extra specialem hanc reuelationem, posse meritò dubitari, de quacumque alia reuelatione; igitur ea reuelatio, quæ secundum rei veritatem non est diuina, sed secundum prudentem tantùm credentis persuasionem, non est sufficiens ad aliquid credendum fide supernaturali & infusa.

Nec refert, quod tale obiectum bona fide & prudenter æstimetur esse sufficiens, hoc, inquam, non refert; nam dato non tamen concesso, quod ita sit, indè tantùm sequitur eum, qui sic iudicat, & cui sit talis propositio, teneri ad tentandum, seu conandum elicere talem assensum circa tale obiectum, cùm hoc vtrumque apprehendat implicitè vt sic possibile, non tamen inde sequitur, assensum hunc circa tale obiectum fore de facto & reipsa fidei supernaturalis, quia nemo potest obligari ad impossibile, at elicere talem assensum circa tale obiectū est omnino impossibile, cum sit extra latitudinē obiecti formalis, supernaturalis fidei, quę est sola reuelatio verè, & propriè diuina, extra quam habitus ipse fidei, vel aliquis eius actus non potest sese extendere; sed de his fusius in tract. de fide 2. 2. ad quęst. 1. art. 3.



SECTIO

SECTIO QVARTA.

De locis in genere vndè Theologia Scholastica, seu disputatrix sua depromit argumenta, & probationes.

CAPVT PRIMVM.

An sit, quid sit, & quotuplex sit locus Theologicus.



CVM ex dictis in toto huius operis decursu sacra Theologia non solùm sit declaratiua scripturę, & articulorum fidei, siue explicando tantùm quid nominis, id est, tradendo significationem vocum, & vocalis orationis, siue explicando etiam quid rei, id est, res ipsas earumque veritates vocibus significatas, sed etiam verus, imo perfectissimus habitus scientificus inclinans intellectum, vt per assensum vel dissensum adhereat alicui veritati deductæ; nemini sanè dubium esse potest, quin etiam sacra Theologia suos habeat locos, hoc est, certas quasdam argumentorum sedes, vndè ad suas conclusiones probandas possit procedere; quemadmodum Aristoteles in Topicis communes locos stabiliuit ex quibus in omnibus alijs scientijs argumẽtatio ad omnem disputationem inueniretur.

Itaque quod ad secundam huius capitis partem spectat, locos Theologicos appellamus in præsenti certas quasdam veluti sedes, seu promptuaria, aut thesauros, in quibus continentur media, quibus vti possunt, ac solent Theologi, tùm ad disputationem, tùm ad rerum Theologiæ subiectarum confirmationẽ; quę media dicuntur etiam argumenta, quia ex illis procedunt omnes discursus, aut argumentationes Theologicæ. Neque enim modo de ijs locis communibus est sermo, qui vnaquaque de re pertractari solent: an videlicet res aliqua sit, quid sit, quotuplex sit, qualis sit, aut propter quem finem. Neque præterea locorum communium nomine hoc loco intelligimus materias ipsas, aut pręcipua quędam rerum illustrium capita, veluti de Deo vno, de Trinitate, de fide, de gratia alijsque huiusmodi, quæ potius ad ordinem, ac methodum tradendæ doctrinæ pertinent, quam sint id, vndè Theologi suas argumẽtationes siue ad confirmandum, siue ad refellendum eruant, atque depromant.

Circa numerum autem huiusmodi locorum Theologicorũ, varia sunt Doctorum placita: numerant enim aliqui duodecim, alij decem, alij septem, alij denique plures, vel pauciores, pro vt magis, vel minus has argumentorum sedes variè distingunt, omnes tamen reipsa coincidunt in idem. Et quidem D. Thomas 1. p. q. 1. artic. 8. ad 2. quatuor tantùm recensuit. Primus locus est ab authoritate diuina media reuelatione facta Prophetis & Apostolis, seu principibus Ecclesiæ, secundus ex ratione humana, tertius ab authoritate doctorum Ecclesiæ, quartus ab authoritate philosophorum.

Prima tamen, & vniuersalissima loci Theologici diuisio potest esse in extrinsecum, & intrinsecum, quia reducitur

ad

ad terminos aliquo mōdo contradictorios: nam vel est intra res, & est ratio, quia inest ipsis rebus, vel non est intra, sed extra, & est authoritas, quia authoritas dicentis est extrinseca rebus dictis; quæ authoritas cùm sit vel diuina, vel humana, sequitur alia diuisio, qua locus Theologicus dicitur proprius & ex proprijs, quando videlicet authoritas non solum pertinet ad materiam Theologicam, sed etiam annexam habet formalem Theologiæ rationem, quæ est diuina reuelatio modo suo loco explicato. Alius verò locus est ex proprijs, sed nō proprius, quia licet contineat materiam aliquam Theologicam, non tamen habet certitudinem Theologicā quæ prouenit ex sola authoritate diuina; talis est pręcise SS.Patrum, doctorumque Scholasticorum, & Canonistarum authoritas.

Tertius tandem, & vltimus locus dici potest extraneus, siue ab extraneis, quia nihil ex his duobus habet, sed fundatur in sola ratione naturali, vel Philosophorum authoritate, qui solo rationis naturalis ductu, ac lumine veritatem agnouerunt; vnde solum habet ex se facere argumentum probabile, pertinetque ad Theologiam veluti per accidēs, ratione finis, & applicationis, quatenus ad obiectum supernaturale refertur, & ordinatur.

Sic igitur attenta probationum certitudine, quinque tantùm locos Theologicos, siue argumentorum Theologicorum sedes deberemus distinguere, sanctam videlicet scripturā, sacras Traditiones, Ecclesiæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum authoritatem. Verum quia plura posśunt esse media probandi aliquam rem; certè & infallibiliter absolutè, infallibiliter moraliter, & probabiliter tantùm, ideo communiter decem enumerari solent hoc ordine. Vt primus sit ab authoritate sacræ scripturæ, secundus sacrarum traditionum; tertius ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ in aliquam rem tanquàm in fidei dogma; quartus ex Concilijs tàm vniuersalibus, quā particularibus; quintus ex decretis Summorum Pontificum; sextus ab auctoritate Sanctorum, ac veterum Patrum; septimus Theologorum Scholasticorum, ac iuris Pontificij, seu canonici doctorum; octauus ex ratione naturali per omnia scientiarum naturalium genera latissimè patenti; nonus ex dictis ac sententijs Philosophorum, qui naturam ducem secuti sunt, nec non etiā iuris ciuilis peritorum, qui veram & ipsi Philosophiam moralem profiteri contendunt; decimus tandem ex historia humana, siue Ecclesiastica siue prophana extra diuinas scripturas contenta. In his itaque decem locis argumenta omnia Theologica delitescunt, atque ex illis, discrimine tamen inferius explicando, sunt eruenda.

CAPVT II.

Quomodo sint ordinandi loci Theologici.

CVm ex dictis superiori capite loci Theologici nihil sint aliud, quàm distinctæ quędam sedes, seu thesauri, quibus continentur, vel cōseruantur varia argumenta theologica apta ad aliquo modo probandum conclusiones Theologicas; nihil aliud etiam erit ex sacræ Theologiæ pręscripto locos Theologicos ordinare, quàm ostendere, & explicare, quam respectu huius finis, suarum videlicet conclusionum probandarum, inter se dispositionem debeant habere, ac seruare: ordo enim est parium, disparium que rerum, sua quibusque loca tribuens dispositio.

Quia igitur sacrę doctrinę, seu Theologiæ principia per diuinam habentur reuelationem; locus maximè proprius, atque adeò primus in illa faciens necessariam, & infallibilem ex se probationē, erit locus ab authoritate diuina fundatus in solo Dei verbo tàm scripto, quam tradito, Ecclesiæ, Pontificum, & Conciliorum Generalium decretis; cùm hoc tamen discrimine quod duo primi loci se

ſe habent in Theologia tanquam forma ipſa, & regula circa res fidei, concluſioneſque ex illis deductas; alij verò tres tanquam iudex, à quo diſcernitur quid ſit de fide tenendum, vel non, eo quod Eccleſia vniuerſalis, Pontifices ſuprema illius capita, Concilia generalia legitimè congregata illam repręſentantia poteſtatem habeant, non quidem faciendi vt res in ſe ſint de fide, aut ad illam pertineant, vt ſatis ex ſe patet, ſed infallibiliter determinandi, vel proponendi quo ad nos res ad fidem ſpectantes.

Deindè ſubſequuntur ſextus, & ſeptimus ab authoritate Patrum, & Scolaſticorum, iuriſque Pontificij, ſeu canonici doctorum. Etſi enim huiuſmodi loci ſecundùm ſe præcisè conſiderati certam, ac irrefragabilem non faciant probationem, vt explicabitur ſectione ſequenti, quia tamen continent materiam ſacræ doctrinæ propriam, ſaltem debent ad illam pertinere, vt quid vndè probabiliter ſuas concluſiones confirmare poſſit; non quidem propriè, ſed ex proprijs tantùm procedendo. Niſi vnanimis eſſet illorum conſenſus in aliquo tanquam in vero fidei dogmate, tunc enim vt dicemus loco ſtatim citato, eorum authoritas certum, & irrefragabile Theologo ſubminiſtraret arguendi, vel diſputandi principium.

Cęteri tres ſe habent tanquàm aliquid ſacræ doctrinæ prorſus extraneum, ſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores exceperis; etſi enim inter authoritatem Patrum, Scholaſticorumque ex vna parte, & Philoſophorum ex alia poſſit eſſe cõuenientia in hoc, quod opinionem dumtaxat generare poſſint in ſuo genere magis, ac minus probabilem; quia tamen puri Philoſophi tractãt ſolum de rebus naturalibus, quæ ſupernaturalibus ac Theologicis ſimpliciter ſunt extraneæ; hinc etiam argumentum ab eorum authoritate deſumptum in ordine ad ſupernaturalia fidei noſtræ myſteria probanda, vel explicanda dicitur extraneũ.

Sic in locis Theologicis tres in vniuerſum dari poſſunt ordines: Primus eorum qui non ſolum ſunt ex proprijs, ſed etiam proprij. Secundus eorum qui ſunt quidem ex proprijs ratione materiæ, ſed non proprij defectu rationis formalis, quæ eſt diuina reuelatio. Tertius tandem eſt eorum, qui nec ſunt ex proprijs, nec proprij, ſed extranei, quod nec materiam, nec formam Theologicam contineant. Reſtat modo examinare in particulari, quantam vnuſquiſque locus vim habeat ad concluſiones Theologicas probandas, quantaque in ijs firmitate niti debeant Theologi, cùm is ſit proprius ac præcipuus eorum vſus & ſcopus in ſacra Theologia; quod accuratè & diligenter in ſubſequenti ſectione, nec non libro præſtabimus; poſtquã in reliquis huiuſce capitibus explicuerimus, quid ad veram certamque probationem requiratur, & pertineat.

CAPVT III.

De vera probatione, & rebus ad illam pertinentibus.

CVm probatio nihil ſit aliud, quàm vnius cognitionis ex alia recta deductio, ad veritatem illius tria requiruntur: primò quod pręmiſſæ ſint veræ, ſecundò quod deductio, ſeu conſequentia legitimè fiat; tertiò quod deducens cognoſcat tùm veritatem pręmiſſarum, tùm conſequentiæ bonitatem. Triplicẽ autem in pręmiſſis diſtinguere poſſumus veritatem, in eſſendo, in cognoſcendo, & in ſignificando, ſecundùm quod tripliciter ſumi poſſunt, vel obiectiuè pro rebus ipſis ſignificatis, vel formaliter pro actibus intellectus circa illas verſantibus, vel denique ſignificatiuè pro vocibus vtrumque ſignificantibus; veritas enim vt ſuppono ex Metaphyſica eſt quoddam genus analogum ad hęc tria, nempe ens, intellectum ſeu illius cognitionem, & orationem. Vnde etiam hęc tria rectè ſubiectum, ſeu cauſa materialis, in qua veritas poſita eſt, ab aliquibus appellantur. Quemadmodum enim materia albedinis eſt, omne quod dicitur

tur album; ita materia, seu subiectum veritatis est illud, quod per se dicitur verum, qualia sunt tria prædicta: Ens enim dicitur verum; cognitio vera; & & oratio vera.

Quod pertinet ad causam formalẽ, seu veritatis formã in eo consistit, quod sit ratio quędã manifestatiua eius quod est; in re quidem, seu obiecto veluti fundamentaliter; in intellectu formaliter; in oratione significatiue; sic *veritas* in re, seu obiecto dici potest: Ratio à parte rei manifestatiua eius, quod est; veluti aurum verum manifestat se esse tale; veritas in intellectu, quod sit ratio cognoscitiua eius, quod est; siue, quod idem est, quod veritas formalis per se consistat in adęquatione & conformitate iudicij, quod est conceptus formalis cum obiecto in re, non in adęquatione conceptus obiectiui cum re, licet hæc conformitas etiam sequatur ex priori: si enim semel conceptus formalis est conformis, etiam & obiectiuus, qui est obiectum ipsum vt cognitum cum seipso vt est in re. Et ideo aliquando dicitur consistere veritatem in hac secunda conformitate, scilicet tanquàm in consecuta ad priorem in qua veritas formalis essentialiter consistit. Tandem veritas in oratione dicitur; ratio significatiua eius quod est.

Causa efficiens veritatis prima est Deus, qui omnibus supradictis dedit rationem illam manifestatiuam cum re manifestata perfectè concordantem, in qua statim diximus consistere formaliter veritatem: Causæ autem secundæ, vel immediatæ possunt esse, lumen ipsũ intellectuale, & species; lumen enim deseruit ad manifestationem, quia vt docetur in libris de anima mediante lumine intellectus agentis species efformantur; ipsę verò species rei similitudines sunt, & imagines illam repręsentantes. Circa finem veritatis, quadruplex assignari potest; primus est respectu Dei, nimirum eius gloria; secundus respectu mundi, quoddam videlicet rerũ inter se commercium, aut communicatio; tertius respectu intellectus, scilicet illius perfectio, veritas enim est obiectum illius, & cognitio, seu veritatis contemplatio, est vltima intellectus perfectio, ac felicitas; quartus tandem, & vltimus respectu voluntatis, est eiusdem perfectio, ac felicitas; cum enim vltima voluntatis beatitudo posita sit in possessione veri boni, & priuatione veri mali; sola autem veritas manifestet verum bonum, & verum malum; tunc est quod ipsa voluntati veram proponat felicitatem.

Præter allatam superius veritatis diuisionem, in obiectiuam, seu in essendo; formalem, seu in cognoscendo; & significatiuam, seu in significando; rursus veritas obiectiua alia est naturalis, & euidens; alia supernaturalis, & ineuidens pro præsenti statu: naturalis alia est Logica; alia Physica; alia Mathematica; alia Metaphysica; alia artificialis: demum iuxta esse, quod habent res, veritas ipsa diuidi, ac distingui potest; insuper respectu intellectus dicitur certa, & incerta; clara, vel obscura; facilis, vel diffici is; necessaria, vel contingens; probata, vel non probata.

Suas etiam proprietates habet veritas, aut verum. Prima est hęc. Veritati, seu vero omnia, quæ competunt, consona sunt; à falso autem cito discrepat verum; eo enim ipso quod veritas est manifestatiua rei sicuti est, debet illam manifestare cùm omnibus suis circumstantijs; ita vt, si vna tantùm sit falsa, tunc statim ab illa veritatem discordare necesse sit, quia non manifestatur res sicuti est. Secunda est, impossibile esse, quod veritas veritati contraria sit: si enim plures sint veritates; & vnaquęque manifestet esse quod est; id est manifestet esse, quod est, & non esse, quod non est; ergò conueniunt omnes in manifestando quod est; nec vna ponit contrarium eius, quod alia ponit: quia omnes ponunt esse quod est. Tertia proprietas est; sola falsitas est contraria veritati; patet, quia veritas dicit esse, quod est, non esse, quod non est; falsitas au-

tem per oppositum dicit non esse, quod est, & esse quod non est: ergò contraria sunt. Quarta est hæc. Impossibile est, quod ex verò sequatur falsum; ita omnes sapientes affirmant; & in hoc fundatur demonstratio quæ ducit ad impossibile: Quinta est ex falso posse sequi verum; non quasi præmissæ falsæ influāt veritatem in conclusionem, sintque causæ talis veritatis; cùm impossibile sit, causam producere virtute propria effectum perfectiorem se; sed sensus est, præmissas aliàs falsas posse sic disponi, vt ex ipsis sequatur consequens, quod aliunde est verum, & non propter ipsas præmissas; vt sic dicatur, *Omne animal viuit, omnis planta est animal; ergò omnis planta viuit*; minor enim est falsa, & tamen conclusio vera est, & sequitur ex præmissis. Sexta, veritas obiectiua vna est; septima ex Aristotele lib. 1. periherm. cap. 8. in futuris contingentibus non est determinata veritas. Octaua veritas obiectiua semel determinatè vera, semper vera est: quod enim semel fuit verum, semper verum erit dicere, quod fuit: veluti Adam peccauit; Verbum diuinum assumpsit naturam humanam; Christus mortuus fuit, Ecclesiam fundauit, semper verū erit dicere, quod ita fuit: idem de omnibus alijs.

Tandem ad veritatem à falsitate discernendam suæ non desunt regulæ; primùm enim loquendo de veritate formali, seu in cognoscendo, certissima regula est ad diiudicandum an cognitio, habita de re vera sit, ipsa veritas obiectiua; nàm vera cognitio dicitur illa, in qua cognoscitur esse, quod est: igitur si ita est in re, sicuti cognitum est, cognitio erit vera, si non ita se habet in re, cognitio illa falsa erit. Huius regulæ vsus consistit in hoc, vt per sensum, & intellectum examinemus, an ita sit in re, sicut à nobis cognitum est. Hac regula vtitur sacra Theologia volēdo probare, quænam sit vera Ecclesia, qui veri illius prælati; quæ vera scriptura; quod sacrificium, vel sacerdotium verum; quæ sacramenta vera, & sic de alijs; diligenter obseruat, & inquirit, an hęc in Ecclesia Catholica, & nunc, & antè hæreticos reperiantur; vidensque dicta semper in Ecclesia extitisse, vt sensui patet, concludit veram esse Catholicam doctrinam, seu cognitionem, quia clare videt ita esse in re, sicut ab illa cognitū est. E contrà verò faciunt hæretici; qui volentes omnia innouare, despiciunt antiquitatem; noluntque obseruare quid sit in re; clare enim vident Lutherani, & Caluinistæ, cęterique nostrorum temporum heretici antè ipsos in Ecclesia fuisse supremum Romani Pōtificis primatum; sacrificium Missæ, septem Sacramenta, & alia; vndè per definitionem falsæ cognitionis rectè probari potest, quod illi in errore falsaque cognitione versentur; si enim illa cognitio est falsa, quæ aliter cognoscit quàm sit in re; hæretici autem aliter sentiant de Ecclesia, ac est, & semper in se fuit; Catholici vero non; manifestè sequitur cognitionem hæreticorū, eorumque Theologiam esse falsam; Catholicorum autem veram.

Secunda regula est Logica, hęc enim lib. prior. & poster. docet modum, vt verum, & falsum in cognitione discernatur. Tertia, ex vna parte examinare supradictas veritatis proprietates; & ex alia cōsiderare an omnes dictæ proprietates in hac, vel illa cognitione seu probatione reperiantur; & illa erit vera, in qua sunt; falsa in qua non sunt. Qua etiam regula frequenter vtitur sacra Theologia in suis probationibus, apertissimèque demonstrat doctrinam Catholicorum esse verissimam, hæreticorum autem falsissimam. Doctrina enim Catholica vna est; antiqua, perpetua, & stabilis; veritates Catholicæ in omnibus sibi ipsis consonæ sunt; concordant etiā cum lege naturali; cùm scripta; cum Euangelio; cum sacris traditionibus; cum antiquitate; cum sensu; cum Logica, cum Philosophia, & Metaphysica; ita enim doctrina fidei est supra omnem humanam rationem, vt tamen nullo penitus modo sit contra illam; con-

cor-

cordant insuper cum Sanctis Patribus, & Ecclesiæ doctoribus; cum Summorum Pontificum cõciliorumque decretis; denique cum vsu, & consuetudine etiam antiqua Ecclesiæ: quæ omnia longè absunt ab hæreticorum doctrina; vt fusius dicemus lib.4.

Quarta regula est diligenter inuestigare, quid de tali re, eiusque cognitione iudicent sapientes, qui magis insignes sunt, & quid de illa tota iudicauerit antiquitas. Quod in Ecclesia præcipuè locum habet; quæ semper à Spiritu Sancto iuxta infallibilem Christi Domini promissionem edocta fuit; vnde etiam hac regula vtitur sacra Theologia in suis probationibus examinãdo, quid doceat traditio, quid senserint Concilia, Summi Pontifices supremi Ecclesiæ pastores, Sancti Patres, Doctores, Scriptores sacri; quid vsus, quid consuetudo, & antiquitas; valde enim absurdum est cogitare quod Spiritus Sanctus permiserit omnes sapientes ante Lutherum & Caluinum eorumque sequaces; per tot sæcula errare, & à vera cognitione deuiare. Contrarium faciunt hæretici, qui soli volunt esse iudices veritatis & veræ cognitionis; vnde illorum doctrina tanquam falsa, improbabilis, & inuerisimilis est reijcienda.

Loquendo modo de veritate obiectiua cuiuscumque rei, vnica ad illam cognoscendam regula, talis est, bonum esse ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu; cuius regulæ sensus est, quod ad constituendam rem à parte rei veram, & bonam, necesse est; vt quatuor illius causæ, si tot habeat, in re veræ & completæ existant; ad constituendam vero rem malam, atque adeo falsam, sicut enim verum est quedam species boni, ita & falsum quedam species mali, sufficit, quod vna tantùm illius causa desit. Ratio est quia vnumquodque completè, vel adæquatè, hoc est tam intrinsecè, quam extrinsecè constituitur per quatuor suas causas, igitur nihil aliud est rem esse à parte rei completè bonam, & veram, quam habere quatuor etiam causas; vndè qui examinat veritatem dictarum causarum, veritatem quoque rei ex illis cõstantis examinasse dicendus est. Regula autem ad examinandum, quandò causæ rei veræ, & bonæ sunt, talis esse potest, nimirum si in prima rei productione à producente rem constitutæ, atque determinatæ sunt; cùm enim causæ rei de completa illius ratione sint, & omne producens rem debeat substantialia illius in completa ratione determinare; manifestè sequitur, quod determinatio causarum à primo producente facta, sit regula certissima ad veras causas rei examinandas, & iudicandas; quæ enim rei iam constitutæ adueniunt, non tàm substantialia, quàm accidentalia sunt. Hinc etiam fit, quod mutatis semel causis, quæ à primo rei producente determinatæ sunt; ipsam rei substantiam mutatam esse necesse sit.

Hac regula vtitur sacra Theologia in suis probationibus ad veram Ecclesiam, verumque Euangelium à falso diiudicandum; supposito enim semel tanquàm certò, & indubitato principio, quod Ecclesia, & Euangelium, vnumquodque iuxta genus suum quatuor causas habeat; supposito insuper quòd omnes & singulæ illorum causæ à Christo Domino determinatæ, & ordinatæ sint, quodque ab illius tempore ad finẽ vsque mũdi eędem omnino futuræ sint, nec vnquam ab aliquo mutari possint: His, inquam semel suppositis tanquam certis, sequitur, quod qui in hoc sæculo, tot inter diuersas sectas inuestigare voluerit, quænam sit vera Christi Ecclesia, quod Euangelium verum, duo necessario debeat examinare: vnum est, an hęc Ecclesia, veluti Catholica Romana, vel Lutherana, vel Caluinistica habeat quatuor veras causas, quę à Christo Domino fuerunt ad illius perfectionem ordinatæ: secundò an dictæ quatuor causæ à tempore Christi ad hęc vsque tempora fuerint in dicta Ecclesia, siue quod idem est, an dicta Ecclesia semper fuerit, & semper dictas causas habuerit.

Et illa Ecclesia, de qua hæc duo verificabuntur, vera erit: falsa autem de qua non.

CAPVT IV.

De certis probationibus, & primum quotuplex sit illarum certitudo.

QVia finis Sacræ Doctrinæ, seu Theologiæ in disputando non solū est cognoscere supernaturales fidei veritates, sed illarum etiam certitudinem; ad quod optimum sanè medium est certa, indubitataque probatio, ideò postquam superiori capite egimus de vera probatione rebusque ad illam pertinentibus, nunc agendum est de certa; sed quia hoc fieri non potest, nisi prius constet de certitudine, multiplicique eius diuisione, & fundamento, ideò de illa tam in præsenti, quàm in sequentibus capitibus agemus.

Igitur vt quod in omni disputatione primò faciendum est, omnis vocum ambiguitas auferatur, notandum est primò ex Aristotile lib. 7. Ethic. cap. 3. & 9. dari veram, & falsam certitudinem: falsa est illa, quæ errat: errat autem si falsum pro vero; vel dubium pro certò tenet: impossibile est enim quod cognitio falsa possit esse certa; & quod de re verè, & realiter dubia possit quis veram obtinere certitudinem. Hanc certitudinem nonnulli vocant certitudinem ex parte subiecti, seu cognoscentis, & assentientis, quod voluntas pro suo solo arbitrio, aut potius libito inconcussum teneat intellectum in aliquo assensu, tantam non merente eius obiecto, vel motiuo firmitatem. Vndè non tam certitudinis, quam pertinaciæ nomen illi debetur. Sic se habent hæretici, qui errantes circa fidem ita tamen firmiter, ac pertinaciter suis adhærent erroribus, ac si certissima pro illis veritas esset.

At vera certitudo, quam alij vocant ex parte obiecti, est illa, quæ non errat, sed vera pro veris, & certa pro certis, hocque solido eum fundamento, vel motiuo cognoscit. Licet enim omnis assensus certus, verus sit, & de obiecto verò, non sequitur tamen si assensus nititur obiecto vero, aut etiam ex se certo, seu infallibili, certum propterea dici debere: nam potest qui assentitur credere ob motiuum cuius ipse veritatem non perspiciat, quodque sit tantùm probabile: quemadmodum verum est, & ex natura sua certissimum, seu necessarium, hominem esse animal, si tamen, vt id credat aliquis, nititur motiuo dumtaxat probabili, & aliunde ob suum affectum ita vult credere, pertinax potius, quàm certus dicendus est. In præsenti non agimus de falsa, sed de vera certitudine; quæ iterum multipliciter diuiditur, vel sumitur; alia enim est obiectiua, alia formalis, sicut superiori capite notauimus de veritate.

Certitudo formalis est in cognitione ipsa, seu potentia cognoscente, & denominat formaliter certam tùm cognitionem, tùm etiam ipsam potentiam; certitudo verò obiectiua residet intrinsecè in obiecto cognitionis certæ, estque ratio illa obiectiua in qua fundatur certitudo formalis; vndè obiectiua est causatiua, seu causa effectiua, vel saltem terminatiua certitudinis formalis. Rursus cognitionis certæ duplicem communiter assignant distinctionem. Primò enim certitudo trifariam diuiditur in certitudinem moralem, certitudinem Physicam, & Metaphysicam. Secundò diuiditur certitudo in certitudinem cognitionis, seu speculationis, & certitudinem adhæsionis: etsi enim vtraque certitudo, & firmitas intellectus sit in assensu aliquo circa obiectum, per quem huic illa dicitur adhærere: quia tamen vt postea explicabitur agendo de causis, vel fundamentis certitudinis, intellectus aliquando ab ipso obiecto per se primò trahitur, & in assensu firmiter continetur, aliquando verò intellectus ita se habet ab imperium voluntatis, vt contingit in assensu fidei, idcircò ita diuiditur certitudo ratione causæ, quæ per se primò videtur illam in intellectu certitu-

titudinem efficere. Hanc secundam diuisionem tradunt Theologi in 3. sentent. distinct. 23. S. Bonauentura art. 1. quęst. 4. D. Thomas quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 3. ad 2. vbi primam appellat *certitudinem euidentiæ*, secundam firmitatem adhæsionis, quæ oritur ex eo, quod voluntas intellectui imperat.

Quod pertinet ad primam diuisionem certitudinis in moralem, Physicam, & Metaphysicam, communiter etiam Theologi illam admittunt; quamuis sit aliqua inter illos disceptatio circa certitudinem moralem explicandam; aliqui enim putant pertinere tantùm ad res morales, quę cùm sint vt plurimum contingentes, de ijs tamen potest haberi certitudo practica, quę non tam docet quid sit veritas rei, quam quid sit licitum, vndè etiam non tam scientiam, quàm conscientiam spectare videtur; ita vt certus moraliter dicendus sit, qui non habet dubiam conscientiam: & videtur id refundi posse in id, quod vt plurimum accidit. Vniuersalius & melius ab alijs certitudo moralis dicitur, qua vir prudens certus est, ita vt si de ea re, quæ hoc modo certa dicitur, quis dubitet, imprudens meritò habeatur, non quidem vitio præcipitationis, & leuioris credulitatis, sed pertinaciæ, & obstinationis, aut certè indocilitatis. Sic igitur certitudo moralis propria prudentis viri dicetur, idque certum moraliter, quod moralibus prudentiæ principijs innititur, quibus vir prudens tanquam suis regulis vtitur. Physica autem, & Metaphysica certitudo sic solet explicari communiter, vt ad rerum existentiam pertineat Physica, ad rerum autem essentiam, seu prædicatorum essentialium connexionem Metaphysica, quemadmodum quis certus est præsentem Petrum, vel Paulum videre, cumque viuere, & positis circumstantijs istis non potest res aliter se habere, si naturalis rerum ordo seruatur; quamuis miraculosè, vel per absolutam Dei potentiam aliter fieri posset. At Metaphysica certitudo est in ijs rebus, seu propositionibus quæ ita verę sunt, vt oppositum repugnet, manifestamque inuoluat contradictionem, quemadmodum Metaphysicè certum est hominem esse animal.

CAPVT V.

Adducuntur quatuor certitudinis formalis causæ, totidemque definitiones per ordinem ad illas.

INcipiendo à causa materiali, cum certitudo formalis sit accidẽs quoddam, sermo est enim in præsenti de certitudine cognitionis humanæ, non diuinæ, nullam aliam habere potest, quàm suum proprium subiectum, vndè cùm illud sit solus intellectus, & adhuc non secundùm quamlibet eius operationem, aut intellectionem, non enim intellectus certus est quatenus apprehendit, & primam operationem elicit, sed tantùm quatenus elicit aliquam operationem secundam, vel tertiam, seu assensum, vel dissensum, formatque iudicium aliquod, & per illud se determinat ad vnā è duabus propositionibus contradictorijs; consequenter asserendum est causam certitudinis formalis materialem esse intellectum non vt habentem simplices apprehensiones, sed iudicium circa alteram duarum contradictoriarum. Sicque loquendo de certitudine formali veluti in concreto, & materialiter rectè definitur, vel dicitur *certus intellectus, qui habet iudicij determinationem circa suum obiectum totalem & perfectam.*

Quod spectat ad causam formalem certitudinis, nihil est aliud, quàm illamet firmitas, vel determinatio quæ aduenit intellectui, & cognitioni; sicque in abstracto definiri potest, quod sit *totalis & perfecta iudicantis intellectus determinatio ad vnam partem è duabus contradictorijs.* Siue, quod idem est, *certitudo est determinatio perfecta iudicij circa vnum obiectum.* Quæ definitiones ita inter se differunt, quod in prima subiectum ponitur tanquàm genus, & accidens

lens tanquam differentia; in secunda autem è contra; cùm enim in accidentium definitione ponatur subiectum, si quidem accidens, sicut non est nisi dependenter à subiecto, ita nec nisi dependenter ab eodem, nec nisi per additionem subiecti proprij definiri potest; cùm, inquam, ita res se habeat in accidentium definitionibus, hoc tamen discrimen est ex D.Thoma lib. 1. de Interpret. sect. 4. vt si accidens definitur in abstracto, tunc ipsum accidens ponatur vt genus, loco verò differentiæ poni oporteat subiectum in obliquo: sicut simitas dicitur curuitas nasi. At si accidens definitur in concreto, tunc subiectum ponatur tanquam genus, & accidens tanquam differentia, quemadmodum simus definitur nasus curuus.

Pro causa efficienti certitudinis possunt assignari omnia illa motiua, vel fundamenta quibus intellectus in suis assensibus firmatur; vndè per ordinem ad illam definiri potest, quod sit, *eiusdem intellectus per motiua ipsius fortis ad verum adhæsio*; seu, *iudicij* constantia, & firmitas ex valida impressione motiuorum. Quæ motiua secundùm quod sunt diuersa, hoc est, vel ex euidenti rerum ratione, vel ineuidenti dicentium authoritate desumpta, sic etiam alia est definitio certitudinis in euidenti rerum cognitione fundatæ, alia certitudinis fidei, siue quæ habet pro fundamento dictum alterius, vt videbimus statim in sequentibus capitibus.

Causa denique finalis certitudinis est perficere intellectum firmando illius cognitionem; atque adeo per ordinem ad illam definiri potest, *in veritate reperta quies, & constans immobilitas*. Hinc sequitur quod certitudo per se, & propriè est causa constantiæ, & vbi est certitudo ibi est constantia; qui enim certò aliquid cognoscit, constanter & firmiter in illa cognitione perseuerat; constans autem dicitur quasi, immobiliter stans, & est ille qui à certa cognitione non recedit. Est etiam consequenter causa, vt absit, inconstantia, & temeritas, & pertinacia. *Inconstans* enim est ille, qui à suscepta certa cognitione de facili recedit, & solet etiam dici leuis, quia flante leui vento, de loco vbi erat discedit. *Temerarius*, qui in cognoscenda rei veritate & certitudine nimirum sibi tribuit, & præcipitat sine fundamento iudicium, vel sententiam, quod res non vera, vel non certa, vera & certa sit; *Pertinax* tandem est ille, qui cum errauerit in rei cognitione, siue errore se tenente ex parte obiecti, siue errore se tenente ex parte motiui, si ab aliquo illi ostendatur cum firma ratione, ac fundamento certa veritas: renuit acquiescere, & contra veritatem manifestatam vult in sua sententia permanere.

CAPVT VI.

De certitudine obiectiua, eiusque causis, vel conditionibus.

PEr certitudinem obiectiuam, vt satis patet ex dictis intelligimus illam quæ residet intrinsecè in obiecto, vel motiuo cognitionis certæ, quæque consequenter in vtroque est ratio ob quam in cognitione certitudo gignitur; vndè breuiter explicandum est modo, quid sit talis ratio, siue, quod idem est, quænam sit causa certitudinis in cognitione, seu assensu ex parte obiecti & motiui, pro quo dico esse ipsius necessitatem, seu immutabilitatem, qua fit vt obiectum illud quatenus est obiectum aliter se habere nequeat. In hoc dicto non solùm conueniunt omnes Theologi, qui vt defendant certitudinem scientiæ Dei, assignant aliquam rei cognitę necessitatem, sed etiam Philosophi, qui post Aristotelem lib. 1. poster. cap. vltimo, omnes opinabile aiunt esse id, quod potest aliter atque aliter se habere, estque contingens, & scientiam aiunt esse certam, quia obiectum scibile est necessarium, estque propositio sempiternæ veritatis; quod autem æternum est, secundum illam rationem necessarium, & immutabile est.

Quod

Quod totum eleganti discursu aperuit D.Thomas lib.1. poster. lect. 1. vbi docet artem, & rationem imitari naturam, & vt explicet iudicium certum, seu scientiam; opinionem, seu iudicium probabile, & suspicionem, tres ad hunc finem causarum naturalium, gradus distinguit. Primò enim aliquæ agunt de necessitate, & nunquam deficiunt; Secundò aliquæ deficiunt, sed raro, & in paucioribus; Tertiò aliquæ deficiunt vt plurimum, seu sępius à scopo aberrant, quàm eum assequuntur. Quod si intellectus procedit ex principijs necessarijs & ex ijs iudicat, certus est, vnique contradictionis parti firmiter adhæret: Si verò intellectus in iudicãdo, vel discurrendo procedit ex principijs, quæ raro deficiunt, tunc fit probabilitas, & gignitur opinio probabilis, per quam intellectus quidem, & ratio non manet dubia, & pendens, sed totaliter declinat in vnam contradictionis partem, ei tamen firmiter, aut constanter non adhæret, quia in illam quam opinatur partem ita declinat, vt simul habeat formidinem aliquam de veritate partis contradictoriæ, qua formidine paratus est audire probationes quibus possit à suo assensu reuocari ad alteram partem, quemadmodum qui per aliquam viam an recta sit & vera timidus incedit, paratus est sistere gradum, aut mutare viam, si ab eo quem peritum existimat admoneatur, aut doceatur de errore suo: at qui certus est se veram tenere viam, pergit securus, & alacer, nec reuocantem de via vllo modo vult audire. Si verò intellectus procedit ex principijs vt plurimum deficientibus, tunc gignitur suspicio, qua non quidem totaliter sicut in opinione, sed tamen aliquantulum declinat in vnam partem contradictionis, itaque in eam cunctabundus, facilè assensum cohibiturus, vel suspensurus, si quid in contrarium se se offerat.

Obseruat quoque idem Sanctus Doctor ibidem ad eos omnes assensus referri varias artes, & disciplinas; valereque pro scientia comparanda demonstrationes Philosophicas, ad opinionem gignendam, valere dialecticam in suis topicis, & locis ex quibus argumenta tantum probabilia depromit: ad suspicionem denique valere ratiocinationem Rethoricam, hoc est, vtentem signis rerum, & suis inde petitis enthymematibus. Quia verò intellectus propendet in istos assensus non tantum ob rationũ momenta, sed etiam ob affectuum commotionem, quæ fieri solet per aliquam fictionem, vel repræsentationem vehementioris obiecti; ideircò ad huiusmodi intellectus propensionem ordinatur Poëtica, cuius est fingere, & repræsentare, vt libro sequenti fusius explicabitur agendo de illa, quatenus ad sacram doctrinam proficua.

Ratio autem nostræ assertionis est, quia idem est principiũ motus, & quietis; siue, idem est principium mouendi vel inclinandi rem ad aliquem terminũ, & in ipso eam constanter detinendi, vt satis patet in lapide, qui eadem grauitate qua tendit, moueturque ad locum naturalem, in eodem etiam quiescit. Quod igitur motiuum semel inclinat intellectum ad assensum aliquem, illud ipsum in isto eum tenet inconcussum, ac stabilem; adeò vt si ipsum motiuum sit inuariabile, illud semper inclinet mentem, & indeclinabiliter illam firmet in illo assensu. Sed obiectum quod est necessarium, illud est inuariabile, & necessitas eius est immutabilitas & inuariabilitas, datque consequẽter assensui quem causat inuariabilitatem, quæ est ipsissima certitudo formalis; Ergò ratio certitudinis obiectiuæ, siue, quod idem est, causa certitudinis in cognitione seu assensu ex parte obiecti, vel motiui, nihil est aliud, quàm ipsius necessitas, seu immutabilitas, qua fit vt obiectum illud, quatenus obiectum aliter se habere nequeat.

Quia autem datur duplex necessitas absoluta nimirum, & ex hypothesi, seu facta aliqua suppositione, vtraque sufficit ad certificandum intellectum, cognitionemque certam in suo ordine faciendam.

dam. Notandum est tamen vt hæc obiecti necessitas pariat in intellectu certitudinem iudicij, seu assensus, debere ab intellectu cognosci, ita vt intellectus non solùm cognoscat obiectum se eodē modo habere, quo cognoscitur, sed etiam quod ipsum aliter se habere non possit, & impossibile sit oppositum; sicque assensus certus debet virtualiter esse propositio modalis de necessario, vel de impossibili, de necessario quidem, si est assensus, seu propositio affirmans, de impossibili verò si negans est; vt v. g. Si certus sum hominem esse animal, non tantùm debeo iudicare hominem esse animal, sed præterea debeo iudicare, quod hominem esse animal necessarium est, & quod hominem non esse animal, impossibile est. Item si certus sum Petrum viuere, quod est obiectum necessarium tantùm ex suppositione, debeo iudicare quod positis rationibus, quæ me ad ita iudicandum mouent, sit necessarium Petrum viuere, vt v.g. Necesse sit Petrum, qui à me videtur, & in tali circumstantia oculis meis mouens se, aut loquens apparet, eum viuere, & non posse non viuere. Item si fide diuina certus sum, Antichristum futurum, debeo nosse, quod supposita reuelatione diuina, necessarium est Antichristum futurum, estque impossibile eum facta semel illa hypothesi non futurum esse: licet sit absolutè contingens Antichristi futuritio: sicut absolutè contingens est Petri vita, & existentia.

Quod totum disertè docuit Philosophus lib. 1. poster. lect. 5. vbi loquens de certitudine scientiæ, ait. *Nos scire rem simpliciter, idque nos arbitrari, quandò arbitramur nos cognoscere causam, ob quā res est, ipsius esse causam, & fieri non posse vt res aliter se habeat.* Vbi cum scientia distinguatur ab alijs cognitionibus certis, in eo quod illa est iudicium illatum, siue cognitio rei per causam, aliæ autem sunt vel per simplicem terminorū apprehensionem, vel per alium modum, in eo tamen scientia habet sibi cum illis alijs communem certitudinem, quod qui scit causam, arbitratur se causam scire, & quod id aliter fieri non potest. Ratio autem cur, vt obiecti necessitas cognitionem certam faciat, ea debeat esse cognita, est quod intellectus omnino certus, ita adhęret vni parti contradictoriæ, vt ei magis credat, & assentiatur quam oppositæ: quare virtualiter saltem vni assentitur, & ab altera dissentit, quod vt faciat debet vtramque propositionem contradictoriam examinare, vt videat quomodo vtraque sit vera, vel falsa. Sic D. Thomas lib. 1. poster. lect. 4. & 6. docet *Nihil debere esse certius scienti quàm quod opposita principijs sint falsa, quia sciens certus esse debet*. Indeque satis apparet intellectum non esse certum sine aliqua reflexione, siue quod idem est, ad certitudinem cognitionis requiri aliquam reflexionem saltem virtualem. De quo vide eumdem Sanctum Doctorem q. 10. de veritate art. 11. ad 5: & 12. q. 112. articulo 5. ad 2.

CAPVT VII.

De duplici certitudinis fundamento, vel principio, & primùm de euidentia, vnde certitudo euidentiæ dicitur.

CVm ex dictis superiori capite intellectus eatenus de aliqua re, & veritate propositionis certus esse possit, quatenus illius necessitatem attingit, siue aliter se habere non posse, sitque necesse vel vt per fidem, vel vt per euidentiam talem obiecti necessitatem cognoscamus; vt rectè Diuus Augustinus obseruauit lib. 3. contra Academ. cap. vltimo, & lib. 2. de ordine cap. 5. & 6. dum docet duplicem dumtaxat esse viam, quam sequimur, cum rerum nos obscuritas mouet, aut rationem, aut certè authoritatem, & hoc pondere gemino nos ad discendum impelli; cum res, inquam, ita se habeat, breuiter de vtroque nobis agendum est, quatenus certitudinis fundamentum esse possunt, & per ordinem ad illa diuiditur in certitudinem euidē-

tiæ,

tiæ, & in certitudinem fidei; id est, in certitudinem quæ habet pro fundamento dicentis, aut reuelantis authoritatem; & in certitudinem, quæ habet pro fundamento euidentiam, vel rationem in illa fundatam.

Incipiendo igitur ab euidentia notandum est primò non esse confundendam euidentiam rei cognitæ cum euidentia cognitionis: sæpenumero enim rerum clarissimarum, euidentissimarumque datur obscurissima cognitio, vt diserte docet Aristoteles lib. 2. Metaphys. text. 2. cum ait, sicut oculi vespertilionum se habent ad lumen diurnum, quod nimirum ob debilitatem visus, vt pote splendidius ferre, & intueri non possunt; ita intellectus humanus se habet ad ea quæ omnium sunt manifestissima. Porro euidentia obiecti alia non est, quam ipsius entitas actualis, seu intelligibilitas, quæ consistit in eo quod est ens actu, non quidem actu existentiæ, sed essentiæ: Vnde quæ habent multum potentiæ passiuæ, & parum actus, cuiusmodi sunt materialia, quia materia est pura potentia, & quæ constant motu, aut sunt imperfecta, ea secundum se parum cognoscibilitatis, seu intelligibilitatis, atque adeo parum habent euidentiæ; de quo legendus est Sanctus Thomas loco citato Metaphysicæ lect. 2. de hac euidentia nobis modo non est sermo, sed de euidentia relatiuè ad cognitionem, siue de euidentia cognitionis.

Quàm euidentiam cognitionis, siue cognitionem euidentem notandum est secundo male confundi ab aliquibus cũ certa; etsi enim omne illud quod est euidenter verum sit omnino certum; non tamen vice versa omne illud, quod est certum, est euidenter verum, vt satis patet in fide supernaturali, quæ ita est ineuidens, vt tamen superet certitudine omnes alias scientias, aut habitus naturales etiam euidentissimos. Nisi quis vellet dicere adhuc certitudinem fidei reduci in aliquam euidentem præcognitionem, qualis est in fide credibilitatis ipsius cognitio; vnde ait S. Augustinus epistola 112. id sine dubitatione credendum esse, quod scripturarum canonicarum *perspicua authoritate* firmatur. Sed licet hoc sit verum non tamen est ad propositũ, si quidem euidentia illa credibilitatis præsupposita non reddit propterea euidentem fidei assensum, nec à tali euidentia suam mutuatur certitudinem, sed ab authoritate Dei reuelantis, qui est prima veritas tàm in essendo, quàm in dicendo.

Itaque licet in scientijs merè naturalibus certitudo, & euidentia simul reperiantur; immò ex ipsa natura, & essentia cognitionis purè naturalis sit vtrumque habere; attamen formaliter loquẽdo de euidentia, non est certitudo, sed aliquid antecedens ad illam, eamque causans in scientijs purè naturalibus; est enim certitudo naturalis, firmus, & immobilis assensus ortus ex euidentia connexionis terminorum propositionis siue per se, & ex ipsis terminis, quales sunt primæ, immediatæ & indemonstrabiles; vel ex talibus primis per euidentem cõsequentiam deductus, qualis est assensus scientificus. Vnde certitudo formalis sumpta præcisè pro vt abstrahit ab euidentia, & ineuidentia, dicit tantum determinationem assensus seu cognitionis ad suum obiectum vt verum, vndequaque illa proueniat; euidentia autem dicit in eodem assensu firmo manifestationem, claritatem, & penetrationem veritatis quæ cognoscitur, & sic definiri potest quod sit *quædam claritas veritatis cognitæ*; vel, *clara rei visio*. Quemadmodum enim obscura cognitio non potest melius à nobis intelligi, & distingui quam si dicatur auditio, illique æquiparetur; vndè fides dicitur ab Apostolo fieri ex auditu; ita certè clara, & euidens alicuius rei cognitio melius explicari non potest quam si vocetur illius visio.

Vt autem multiplex est cognitio, loquendo de illa in tota sua latitudine, cuius solius euidentia formalis est aliquid proprium, ita etiam multiplex est hæc euidentia, sensus nimirum, & intel-

lectus; euidentia sensus definiri potest pro vt se extēdit ad omnes sensus, quod sit *clara visio, vel cognitio rei habita per sensum;* euidentia autem intellectus, *clara visio vel cognitio rei habita per intellectum*, estque triplex iuxta tres operationes intellectus. Prima est, *clara visio rei simplicis*; vt quid sit homo. Secunda, *clara visio rei complexæ*, vel, *propositionum*. Veluti totum est maius sua parte. Tertia denique est clara visio argumentationis, vel rei per discursum illatæ: veluti si est motus, datur & mobile, & motor. Ita tamen quod euidentia sit perfectio magis propria simplicis apprehensionis; sicut iudicij siue simplicis, siue illati perfectio, est certitudo, & firmitas.

Quia autem sicut vt pariatur cognitio certa non sufficit certitudo obiectiua, ita nec euidentia obiectiua sufficit, vt pariatur euidens cognitio; nàm vt statim notauimus pleraque sunt obiecta euidentissima, quæ nonnisi subobscurè à nobis cognoscuntur, nihilque adeò certum est, de quo ambigere, & dubitare non contingat; cuius ratio est, quia intellectio non fit nisi intellectu concurrente, & coagente cum obiecto: quare si ipse ex parte sua deficit, quantumuis obiectum sit maximæ virtutis, & indefectibilis, nihilominus in intellectione defectus erit, bonum enim ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu consurgit; quia res, inquam, sic se habet, breuiter explicandum est modo, quid tàm ex parte obiecti, quàm ex parte intellectus requiratur ad certitudinem, & euidentiam, siue quod idem est, ad cognitionem euidenter certam habendam. Iam diximus superiori capite certitudinem obiectiuam, seu virtutem per quam obiectum quantùm est ex parte sua cognitionem certam facere potest, nihil aliud esse quam eiusdem necessitatem, seu immutabilitatem; qua fit vt obiectum illud, quatenus est obiectum, aliter se habere non possit; nunc videndum est, quid sit euidentem cognitionem ex parte obiecti esse; pro quo tres aut quatuor regulæ solent à Philosophis assignari, primo euidentem cognitionem ex parte obiecti esse, cùm res in se, vel immediate, vel per suum incognitum medium, quod est ipsamet species intentionalis attingitur. Ratio est, quia cum ista obiecti intelligibilitas sit ipsius lumen; si immediatè afficit intellectum, apta est producere euidentē sui cognitionem, & eo euidentiorem quo illa intelligibilitas maior est. Secūdo medium etiam cognitum, hoc est, non notificans rem alterā nisi prius natura sit notum ab eadem potentia; siue per eamdem cognitionem & ipsum sit notum, & notificet rem illam, siue per diuersas notiones id fiat; tale, inquam, medium pro iudicio simplici vocatum medium *in quo*, pro iudicio verò illato, siue conclusione vocatum medium *ex quo* notificat de re altera quid sit, & qualis sit, & propter quid sit talis, imo & quod sit, cum illud est causa æquiuoca rei illius, & continens eminenter eam cognoscitur secundum habitudinem talis causæ, & principij. Ratio est quia si videtur causa vt actu causans, tunc videtur existentia effectus, seu quod sit; cumque in causa æquiuoca contineatur tota essentia effectus, & quidditas, non mirum si in illa causa clarè & euidenter ista effectus essentia cognoscatur, quemadmodum enim res se habet in ratione entitatis suæ, ita quoque se habet in ratione suæ intelligibilitatis, cùm sit intelligibilis quatenus ens est, vndè quæ causa continet in se totam rei alterius entitatem, & quidditatem, eius quoque ratio, seu intelligibilitas continet totam illius rei alterius intelligibilitatem; sic Deus in seipso, beatique in illo dicuntur creaturas videre, & cognoscere.

Tertio causa in effectu suo non videtur clarè quid sit, sed tantum quod sit, vt satis patet in cognitione Dei ex creaturis, tanquàm ex effectibus suis. Quarto denique qui videt signum merū alicuius rei, nec videt quid, nec etiā quod sit res illa cuius est signum. Dicitur merum signum, & quod non est effectus

illius:

illius: quomodo verba nostra sunt solummodo signa conceptus, seu iudicij loquentis, cùm sint effectus voluntatis loquendi,& insuper cóceptus illius quo loquens concipit signum ipsum. Vnde qui audit aliquem dicentem sibi lapidẽ esse durum, videt quidem, seu clare cognoscit vocem, seu verbum, & locutionem illius; clarè quoque videt quod ille vult loqui, & quod concipit verba quæ profert; at non videt, sed tantùm obscurè intelligit & lapidem esse durũ, & colloquentem id de facto iudicare: quia iudicij istius nullo modo effectus, sed tantummodo signum est illud verbum, seu propositio vocalis loquentis, quandoquidem ille potest mentiri id asserendo: quo in casu non habebit illud de lapide duro iudicium, & tamen producet signum. Quæ breuiter dicta sufficiant vt sciatur, quæ obiecta ex se sint euidentia, possintque clara cognitione percipi, & quæ sint obscura, possintque tantummodo credi, non videri.

Loquendo modò de eo quod ex parte intellectus requiritur ad certitudinem habendam, seu vt iudicium sit certum, & non tantùm opinatio dubia, & incerta, huic etiam dignoscendo suæ non desunt regulæ. Primò tunc intellectus circa sensibilia benè & certò iudicat,quandò non sistit in sua imaginatione,idolisque rerum,sed ea discernens à rebus ipsis sensibilibus, ad has vsque pergit, & ad ipsas sua iudicia examinat; quare certitudo intellectus in his rebus maximè pendet ex bona affectione sensus communis,qui datus est nobis ad diiudicandas res per sensus cognitas; is autem sensu communi bono præditus est, qui habet sensus externos bene affectos, & recipiunt præsentiam, seu speciem obiecti sui veram, puram, sinceram,non fucatam aut adulteratam. Ad id autem tria requiruntur, 1. est obiecti, medijque bona dispositio, 2. vt sensus organum sit integrum, & sanum,non læsum; 3. vt sint sufficientes spiritus animales, quibus anima vtitur ad sentiendum. Secundò intellectus circa intelligibilia,vel vtens speciebus intellectualibus substãtiarum, seu definitiuis quidditatum, & essentiarum rerum, certus est in suis iudicijs, quatenus per intellectus agentis lumen, per quod species illas efformat modo in libris de anima explicato, ijs vtens,& substantiæ quam contemplatur essentiam, & quidditatem penetrans in ea videt latentes rationes entis varias, & in ijs tanquam in fontibus, causis, & principijs scaturientes aduertit proprietates: ad quod multum adiuuatur experimentis quæ in consideratione sensibilium qualitatum fecit, aut si ex auditione, & doctrina aliorum expertorum didicit, & accepit rem ita se habere.

Iam quod attinet ad requisita ex parte intellectus pro clara & euidenti rerum notitia habenda, vno verbo dicam, debere esse quamdam proportionem inter intellectum, & obiectum euidens, seu clarè intelligibile; ita vt tantum interni luminis habeat intellectus quantùm requiritur, vt cum obiecto claro, & euidente coniunctus, ab ipsius obiectiua claritate illustretur. Quamobrem cognitio mentis clara,seu euidenter certa requirit duplex lumen vnum ex parte obiecti, alterum ex parte intellectus; siue quod idem certitudo euidentiæ, pro vt distinguitur à certitudine fidei, petitur ex obiecti intellecti euidentia,& intellectus illud apprehendentis, deque eo iudicantis proportione quam dicitur habere ob aliquod lumen intellectuale: sicut visio obiecti splendidi clarè,& distinctè illud repræsentat, cùm oculus videntis multùm suæ lucis internæ habet, ita vt ob defectum huius debiles,& infirmi oculi aut cæcutiant,aut caligent ad obtutum obiecti, quantumuis euidentis, & splendidi.



CAPVT VIII.

De euidentia sensus, & quomodo ad plures probationes Theologicas conducat.

EVidentia sensus, vt superiori capite diximus, *est clara visio rei habita per sensum*; pluriumque Theologicarum probationū certitudo in ea ex parte fundatur, ac firmatur. Cùm enim inter Catholicos, & hæreticos sit maxima in multis controuersia; veluti de vera Ecclesia, de Romano Pontifice supremo Ecclesiæ pastore, cæterisque prælatis; de Sacramentis, & alijs; sintque hęretici suis in erroribus pertinaces, in remedium talis partinaciæ, certam contra illos probationem facere debet Theologus; ad quod ante omnia opus est ostēdere, quod sola Ecclesia Catholica Romana vera est: & quod ipsa in rebus fidei, ac morum errare non potest, sed gaudet priuilegio infallibilitatis; ex hoc enim manifestè sequetur, quod in ea sola vera sit Christi & Euangelij doctrina. Verum hæc probatio nonnisi per sensū magna ex parte fieri potest; fit enim hoc modo: Ex vna parte ostendi debet ex diuinarum scripturarum authoritate, quænam veræ Ecclesiæ in generali considerata conueniant; & ad hoc sensus peruenire non potest, sed intellectus solo fidei lumine; ex alia parte debet ostendi, quod omnia, quæ veræ Ecclesiæ competunt, nunc de sola Romana verificantur, & hęreticorum sectis conuenire non possunt; & hęc probatio per sensus euidentiam certissima fit sequenti modo.

Vera Ecclesia debet habere Diaconos, Sacerdotes, Episcopos, Supremumque & Vniuersalem pastorem Romanū Pontificem. Sed sola Ecclesia Romana dicta habet, ergo &c. quo in discursu ita maior per scripturam probanda est, vt tamen minor pateat ad sensum; qui certissimè videt, in sola Ecclesia Romana dicta reperiri; apud hęreticorum verò sectas nihil horum inueniri.

Idem in multis alijs erit; veluti Ecclesia Catholica semper fuit; Ecclesia Catholica est populus fidelis per vniuersum orbem dispersus; Ecclesia Catholica est vna &c. sed sola Ecclesia Romana semper fuit; sectæ verò hęreticorum nouæ sunt; sola Ecclesia Romana per vniuersum orbē est dilatata, & propagata, sola Ecclesia Romana est vna, &c. Ergò sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia; vbi etiam maiores omnes, siue maioris partes omnes ita fide cōstant, vt omnes similiter minoris partes sint sensui manifestissimæ.

Potest etiam ratione probari sic; quia vt dicit Philosophus lib. 1. poster. cap. 14. ex eo quod res est, vel non est, oratio & cognitio dicitur vera, vel falsa; ergo si vult Theologus certam habere cognitionem de veritate orationis, & cognitionis, necesse est, vt consideret, diligenterque exploret, an ita se habeat in re, sicut vel dictum, vel cognitum est: quod si cum euidentia sensus cognouerit, ita in Ecclesia Romana esse in re, veluti quod habeat Sacerdotes & Episcopos, sacrificium Missæ, septem Sacramenta; in sectis vero hęreticorum apertè videat talia non reperiri, certò probabit quod hæretici falsam constituant Ecclesiam, Catholici autem verā. Vndè satis apparet euidentiam sensus in multis circa fidem probandis accommodatissimam esse.

Similiter de Sectis etiam hæreticorum per sensum habemus euidentiam, quod sint, & vbi sint, & quandò inceperint, & quæ credant, quæ non; quæ nouitas, quæ varietas, quæ contrarietas in credendo. De textu Biblico per sensum plures habemus euidentias, veluti quis sit Latinus, vel Gręcus, vel Hebręus; quis sit manuscriptus, vel typis mandatus; antiquus vel modernus, quo ad scripturam & caracterem: quis ab Ecclesia Catholica Romana receptus, & approbatus; vbi ab hereticis fuerit corruptus, & alia. Idem de numero, de materia, de forma Sacramentorum, eorum-

rumque ministris; idem de Prælatis, qui in Ecclesia Romana sunt, & apud hęreticos non sunt; quæ omnia, & similia non parum conducunt ad dirimēdas plures controuersias Theologicas, certamque illarum probationem.

CAPVT IX.

De euidentia intellectus, & quomodo conducant ad plures probationes Theologicas.

IN euidentia quoque intellectus plures ex parte fundantur probationes Theologicæ, quod vt clarius appareat, prius aliqua sunt breuiter explicanda circa euidentiam propositionum, maximè cùm in formam syllogisticam redactæ sint causæ efficientes conclusionū. Itaque hęc euidentia quatuor modis fit. Primo per sensum; veluti Sol lucet, ignis est calidus. Secundo per terminorum explicationem, veluti declarato, quid sit totum, & quid pars; statim apparet, quod totum est maius sua parte. Tertio ex communi sapientum consensu propositionem aliquam tanquam certam affirmantium, veluti quod detur materia prima, quod causæ sint quatuor, & quod in illis non detur processus in infinitū. Quarto denique per regulas logicas de per se, siue propositionum per se, cuius iterum quatuor sunt modi.

Primus continet omnia, quæ sunt de substantia, vel essentia rei; id est continet omnia quæ pertinent ad completam rationem quatuor causarum, nempè materiæ, formæ, efficientis ac finis; per has enim quatuor causas tota rei substantia completa est; vndè S. Thomas 2. poster. lect. 7. monet idem esse quærere definitionem rei, & causam eius. Item ad hunc modum reducitur natura cuiuscumque rei, quia rei primò inest, & reducitur ad materiam & formam in ordine ad finem. Secundus modus continet omnes proprietates, & operationes, quæ substantiam & essentiam, & naturam rei per se, & infallibiliter consequuntur. Tertius modus dicit existentiam pro vt est modus essentiæ; in re enim cōsideratur tùm essentia, tum existentia: essentia dicit primam rei entitatem; existentia modum quo dicta entitas à parte rei existit: cum autem impossibile sit à parte rei separari essentiā ab existentia; nunc enim de abstractione sermo non est; necessario simul cōnexæ erunt. Quartus modus continet causas illas, quæ per se, & secundùm suum essentiā aliquos effectus, vel operationes producunt; veluti intellectus intelligit, voluntas vult, os loquitur, oculus videt, musicus canit, & similia quæ ex propria sua natura tales operationes producunt, & ad illas producendas per se à primo efficiente sunt ordinatæ. Illi sunt quatuor modi propositionum per se ex Logica, quibus in omni sciētia vera illius certitudo innititur, cum sint veluti signum certum & euidens, quod propositio aliqua ab illa assumpta sit verissima, & pro certa habenda.

Vt dantur propositiones certæ, ac per se notæ ex Logica, ita etiam ex Metaphysica, veluti sequentes; quatuor tantùm causæ sunt: per illas quælibet res in esse constituta est: omnes sunt necessariæ: duæ sunt extrinsecæ finalis & efficiens, duæ extrinsecæ materia, & forma: Materia & forma sunt partes compositi: compositum per formam specificatur, forma recipitur in materia; cōpositum per se existit; materia & forma per compositum: Existentia aliquo modo distinguitur ab essentia, & à natura: vnaquęque res ordinatur ad finem; hęc ordinatio fit à primo producente: fit per operationem finalem; omnis res hanc habet operationem; hęc operatio producitur per materiam & formam: Istæ producunt, cùm à natura, vel ab arte, vel ab alia causa sunt ad producendum applicatæ; dum compositum existit, necessario materia, & forma illius cum illo habent existentiam; separatio materiæ à forma, vel vice versa necessario secum affert compositi corruptionem:

nem: de quolibet verum est affirmare; vel negare: Idem non potest simul esse, & non esse: Omne totum est maius sua parte; Definitio necessario verificatur de definito; Quod semel est de substantia rei; manente eadem re; & non mutata in substantia; semper de illius substantia erit. Istę & similes propositiones de quibus videri potest Petrus Gregorius Tholosanus Syntaxis artis mirabilis tomo 1. dicuntur per se notæ, quia si termini illarum declarentur, euidenter statim intellectui illarum veritas apparebit.

Igitur volens Theologus cum aliqua intellectus euidentia, cui tamen semper lumen fidei debet esse coniunctum, colligere & probare aliquam veritatem de verbo Dei, de Ecclesia, de Romano Pontifice, & alijs, necesse est statuat primùm subiectum, & tùm de illo iuxta Logicam inquirat omnia, quę pertinent ad quatuor modos per se superius allatos; idem fiat ex Metaphysica discurrēdo ab his quæ tali subiecto conueniunt, quid de materia, & forma illius dicendum sit, &c. Sic enim fiet, vt semel cognitis per fidem quæ v. g. Ecclesiæ in Generali consideratæ conueniunt, nempè quæ sit illius existentia, quæ forma, quis finis, quod efficiens, quę proprietates, quæ operationes, quæ priuilegia, quæ signa, &c. tunc per euidentiam sensus, & intellectus constet, quænam sit illa in particulari, cui talia conueniunt quæque proinde sit vera Dei Ecclesia.

CAPVT X.

De certitudine fidei, & primum diuina.

VT certitudo euidentiæ desumitur ex obiecti intellecti euidentia, & intellectus illud apprehendentis, deque eo iudicantis proportione, quàm dicitur habere ob aliquod lumen intellectuale, vt supra diximus; ita certitudo fidei in communi debet vltimo resolui in authoritatem dicentis, quæ si Dei authoritas est, diuinam, seu Theologicam fidem gignit, humanam autem si authoritas est hominis; in præsenti capite agamus de certitudine diuinæ fidei, cui potissimum innititur tota Theologicarum probationum machina.

Fidem igitur diuinam, eiusque assensum esse certissimum, imò certitudine sua superare omnes alios habitus vel assensus naturales quantumuis euidentissimos, suppono tanquàm omnibus notum ex tractatu de fide; nunc tantùm breuiter explicandum est, quodnam sit huius certitudinis fundamentum; putoque primum omnino esse euidentiam intellectus, qua cognoscit Deum, qui est prima veritas non solum in essendo, sed etiā in dicendo, non posse errare, nec falli, nec mentiri, hinc enim oritur secunda cognitio, quæ est, quod dicto Dei certissima fides adhibenda est; & ex hac duplici cognitione, vel notitia formatur propositio quędam vniuersalis pro maiori assumenda ad probandas cum certitudine fidei particulares omnes illius veritates; propositio talis est; *Omne dictum, vel reuelatum à Deo certissima fide credendum est*. Hac posita maiori, quę certa est per euidentiam intellectus, subsumenda est minor, quæ talis sit, *sed hoc est dictum, vel reuelatum à Deo*, v.g. illum esse vnum, & Trinum, vnum in essentia, Trinum in personis, quarum secunda carnem assumpsit humanam, & cætera huiusmodi; tunc enim sequetur conclusio; *Ergò hęc omnia certa fide credenda sunt*.

Ad cuius argumenti certitudinem satis patet necessario requiri, quod minor sit certa: si enim semel non sit certum, Deum hoc dixisse; vtique non erit certum, quod illud omnino sit credendum; Vndè tota difficultas est in probatione minoris, & ex illa primùm oritur controuersia inter Christianos, & cęteros infideles Christum non agnoscentes; deindè inter Catholicos, & hæreticos; Catholicis enim omnibus ad probationem illius pro certò supponentibus Christum Dominum esse verum Deum,

atque adeò pro maiori assumentibus, *Omne dictum Christi, est dictum Dei, & ideò certò credendum est*. Deinde pro minori subsumentibus, *sed Christus hoc dixit*, v.g. septem esse Sacramenta, dari sacrificium Missæ, & Primatum Romani Pontificis, ergo &c. in hoc, inquam argumento à Catholicis facto, maiorem negant infideles, minorem verò hæretici, vnde summa totius fidei Christianæ, probationisque minoris primi argumenti, cui innititur, in his duobus posita est, vt primùm aduersus infideles probetur Christum Deum esse, tùm aduersus Hæreticos id concedentes, & admittentes illum talia dixisse, & reuelasse: Si enim non est certitudo, quod Christus Dominus sit Deus, & quod hoc, vel illud dixerit, non erit certum quod tali dicto certa fide sit credendum.

Media autem ad probandum Christum Dominum esse Deum aduersus infideles, cum sit obiectum totaliter supernaturale, alia esse non possunt, quàm illa quæ infra libro 4. referemus; soluendo scilicet omnia illorum argumenta in contrarium, & adducendo omnia credibilitatis argumenta, & motiua, quibus ibi dicemus fieri euidenter credibilia cuncta fidei nostræ mysteria. Certitudo autem, vel certa probatio de dictis à Christo contra hæreticos, triplicem habet gradum à tempore acceptum; primus gradus est tempore Christi; secundus in primitiua Ecclesia, eo videlicet tempore quo Apostoli illam fundabant, euntes & docentes omnes gentes; tertius his sæculis nostris. Igitur tempore Christi Domini, illi, qui auribus, & oculis proprijs illum docentem audiebant, & videbant, per euidentiam sensus, & non per fidem erant certi de dicto Christi, ita enim Christus vt Deus sensui ignotus erat, credebaturque per fidem, vt tamen Christus vt homo, actionesque illius, & dicta externa per sensum cognoscerentur. In primitiua Ecclesia, cum iam Christus ex hac vita discessérat, vt ascenderet ad Patrem, certitudo de dictis, & factis à Christo non poterat fundari in euidentia sensus statim dicta; fundabatur tamen in alia sensus euidentia quæ talis est. Cùm enim fideles illius temporis in duplici essent differentia, aliqui scilicet, qui proprijs audierant auribus Apostolos narrantes, se talia à Christo Domino proprijs etiam auribus accepisse, & viderant illa ab Apostolis innumera miraculorum multitudine confirmari; profectò illi tales quo ad huiusmodi miracula habebant euidētiam sensus, & intellectus, sensus, qua miraculorum claram & indubitatam habebant visionem, intellectus, qua certò sciebant, talia opera supra naturam non posse fieri nisi ab eo, qui supra naturam est, & in confirmationem veritatis: insuper quo ad testimonium Apostolorum de dicto Christi per aures euidentiam habebant; ideoque euidentia erat de dicto Apostolorum, quamuis non de dicto Christi. Alij verò, qui nec Apostolos viderant, nec audierant; Sed ab alijs narrata audiebant, & tamen credebant, per sensum habebant euidentiam de traditione; id est quod in primitiua Ecclesia erat traditio vniuersalis, quod talia ab Apostolis accepta, miraculisque confirmata fuere: habebant etiam euidentiam sensus, quod à Christi fidelibus talia & talia, vt certa de fide credebantur, & quod hæc, vel illa faciebant, quod talem scripturam vt authenticam admittebant.

Cum igitur nunc sermo sit de vniuersali fundamento certitudinis fidei, tale fundamentum in primitiua Ecclesia fuit, vnum authentica scriptura, alterum generalis traditio de dictis, & factis à Christo, quæ duo ita inter se comparantur, vt vnum ab alio confirmetur; traditio enim docet quæ sit vera, & authentica scriptura, vt libro sequenti fusius dicetur; Scriptura verò, quod traditio Ecclesiæ columna, & firmamentum sit veritatis. Verum quia hoc fundamentum Scripturæ, & traditionis, siue quod idem est, diuini verbi tam scripti, quam traditi, licet in seipso consideratum sit completum & adæquatum, tamen respectu

ctu nostri completum non est, si quidem possumus circa veram illorum cognitionem errare, semperque dubitare an rectè illa cognouerimus, vt satis patet ex immuneris controuersijs, quæ inter Catholicos, & Hæreticos versantur; hinc est, quod Deus ex parte nostri prouidit de altero certitudinis fundamento Ecclesia videlicet, cui ita assistit, vt singulari priuilegio in acceptandis Sacris Scripturis, & traditionibus errare non possit; vndè quod Ecclesia de illis iudicat, credit, ac determinat, verum est, & certum; Vt autem euidentia sensus nobis cōstat de testimonio Ecclesię, sensus enim modo apertissimè videt, quod hic textus Biblicus v.g. vulgatæ editionis, ab Ecclesia Catholica Romana pro authentica declaratus est; item quod sint septem Sacramenta, & similia; vt, inquam, certitudo de testimonio Ecclesię circa illa habetur per euidentiam sensus, per eamdem, nec non etiam intellectus, certò cognoscimus solam Ecclesiam Romanam talia proponentem esse solam veram Christi Ecclesiam.

Semel enim per fidem cognitis verę Ecclesiæ existentia, essentia, definitione, proprietatibus, operationibus, & signis, de quibus infra libro quarto, sic Theologus procedere potest; *Illa Ecclesia, quæ habet existentiam, essentiam, definitionem, quatuor causas, proprietates, operationes, & signa veræ Ecclesiæ, est vera Ecclesia, sed sola Ecclesia Catholica Romana dicta habet, reliquæ verò non; Ergo sola Ecclesia Romana est vera, reliquæ verò omnes falsæ.* Quo in argumento maior est certissima intellectui, tùm per Logicam, tùm per Metaphysicam; minor autem per euidentiam sensus, considerando quod in sola Ecclesia Romana ex his, quæ in hoc sæculo numerantur, reperiuntur illę proprietates & notę, quę ex diuinis Scripturis soli veræ Ecclesiæ conuenire possunt.

Ad extremum, vt quæ in toto capite diximus de cōpleta coordinatione ad certitudinem diuinæ fidei stabiliendam, siue quod idem est de vltima diuinæ fidei resolutione, si quidem resolutio rei alicuius nihil est aliud, quam eius reuocatio ad sua principia, vltra quæ non possit progredi ad aliqua alia, sed ad id peruenitur in quo est sistendum, vndè etiam vltima certitudinis diuinæ fidei resolutio, nihil est aliud quam eius reductio ad prima illa, quibus ingeneratur in nobis, principia & fundamenta; vt hæc, inquam, summatim, magisque clarè contrahamus, loquendo de prima ingeneratione, atque adeò vltima resolutione diuinæ fidei per ordinem ad potētiam, principia enim illius, sicut & cuiuslibet actus intellectus sunt duo, nimirum *potentia*, seu *intellectus*, & *obiectum*; vndè etiam duplex potest distingui eius resolutio, vna per ordinem *ad potentiam*, altera per ordinem *ad obiectum*; loquendo inquam, de prima, certum est illam fieri in hęc tria, scilicet in *volitionem* determinantem intellectum ad assensum tam quo ad exercitium, quā quo ad specificationem, item *in internum motum, & impulsum Spiritus Sancti*, mouentis, & agitantis intellectum ad hunc assensum, *& in ipsum supernaturale lumen*, siue habituale, siue actuale, quo intellectus elicit assensum diuinæ fidei.

Altera fidei resolutio ex parte obiecti fit vltimatè in solam reuelationem diuinam, vt in formalem rationem credendi; præsuppendo tamen euidentiam intellectus in lumine naturali fundatam, quod Deus reuelans errare, aut mentiri non possit. Quia autem assensus diuinæ fidei per ordinem ad obiectum potest duobus modis considerari; primò secundum se, & iuxta naturam suam præcisè sumptam, deinde quatenus est in nobis circa veritates, vt propositas per Ecclesiam tanquam regulam infallibilem proponentem credenda ex ordinatione Christi Domini; ita certitudo diuinæ fidei resoluitur ex parte obiecti in diuinam reuelationem velut formalem rationem credendi, vt tamen ad diiudicandum an propositio credita sit reuelata à Deo, necesse sit vlterius procedere

dere ad authoritatem, seu testimonium Ecclesiæ, (quatenus illa habet infallibilem assistentiam Spiritus Sancti) tamquam ad regulam certam proponentem, & explicantem, quæ sunt credenda; Quod testimonium veræ Ecclesiæ per suas proprietates,& notas euidenter cogitæ, certò etiam cognoscitur per euidntiam sensus; sensus enim apertissimè vdet ea, quæ ab Ecclesia Catholica Rom ana sola vera Ecclesia proponuntur ertò credenda.

Vltimum tandem in quod certitudo iuinę fidei resoluitur non vt rationem ormalem,nec vt regulam credendorum ed solummodo vt conditionem præreuisitam ad generationem illius sunt ipa motiua credibilitatis diuinę fidei,pręcedensque iudicium de euidentia credibilitatis, & id genus alia, quæ tale iudicium requirit, inter quę quia plura dantur per fidem humanam dumtaxat certa, superest vt in sequenti capite de certitudine fidei humanæ rebusque ad illam pertinentibus breuiter agamus, infra enim sect.6.cap.10.iterum redibit sermo de hac fidei resolutione.

CAPVT XI.

De certitudine fidei humanæ.

CVm multa per fidem humanam credi plerumque necesse sit; naturæ si quidem ordo ita se habet,vt cum aliquid discimus, rationem præcedat authoritas, scientiasque comparare non possimus, nisi facti prius discipuli, & & credentes authoritati magistrorum; cùm, inquam, ita sit, breuiter ostendendum est quantam certitudinem generare possit fides humana quasque circumstantias,aut conditiones habere debeat ad illam generandam.

Primum dico per fidem humanam haberi posse certitudinem moralem,qua nimirum certi sumus in rebus moralibus, & agendis, quaque vir prudens, & probus contentus est, ita vt is etiam habeatur imprudens,& ab humana consuetudine alienus, aut sensus humani expers, qui velit adhuc quærere, aut dubitare de re sibi per aliquam fidem humanam, vel aliquorum authoritatem confirmata. In hoc dicto conuenire debent omnes, maximè cùm non procedat de omni humana fide,& in quibuslibet circumstantijs, sed sit indefinitum, ad cuius proindè veritatem sufficit quod aliquando verum sit, & id moraliter certum sit,quod viri cordati,prudentes, & probi affirmant; talisque certitudo tollat vt minimũ omnem actualem formidinem,aut dubitationem.

De hac materia & in fauorem illius iamdudum eleganter scripserunt plures Sancti Patres Clemens Alexandrinus lib.2.Stromat.Theodoretus lib.1. de curandis Græcorum affectionibus, statim initio, Augustinus lib. de vtilitate credendi tomo 6. Sanctus Zeno libro de fide, Guilielmus Parisiensis tract.de fide aduersus Gentiles, Hugo à Sancto Victore libro de fide, alijque multi: Cum enim aliqui infideles, & hęretici, imò tota ferè hæresum colluuies inde fit orta, quia videlicet volunt infideles, & hæretici concludere fidem intra limites nostri intellectus, adeò vt maximam cordis & animi leuitatem putent, assentiri alicui obiecto obscurè tantùm cognito, & quod intellectus noster non potest naturali, & euidenti ratione comprehendere; qua de causa Catholicos ludibrio habent quod absque vlla ratione,aut euidenti aliquo signo difficillimis & humanum captum superantibus mysterijs firmiter,& vsque ad vitę suę profusionem assentiuntur; Cum, inquam, infideles, & hæretici ita putent, ad destruendum tàm turpem errorem, fideique nostræ necessitatem ostendendam ex parte obiecti obscurè cogniti,nullum efficacius medium adinuenerunt Sancti Patres, quàm probare fidẽ in vniuersum abstrahendo à Diuina & humana, esse necessariam, suamque in credentium intellectu parere certitudinem; Si enim semel infideles ipsi, & hæretici tenentur in multis ad humanam societatem pertinen-

tinentibus & alijs, recurrere ad certitudinem ab humana fide prouenientem, assentirique per illam pluribus obiectis obscurè, & ineuidenter cognitis, certè non est, cur fidei Catholicæ necessitatē, aut conuenientiam ex parte obiectorum obscurè cognoscendorum improbēt, aut Christianos Catholicos leuitatis arguāt, quod huiusmodi veritatibus, quibus ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibeant. Maximè cum hæc diuinæ Sapientiæ secreta ipsa diuina Sapientia, quæ omnia nouit, dignata sit ita hominibus reuelare, vt sui præsentiam, & doctrinæ, inspirationisque veritatem in illis conuenientibus argumentis & signis ostendere voluerit, pro vt lib. 4. videbimus, nunc ad nostræ conclusionis rationes veniamus ex supracitatis patribus desumptas.

Primò si fidei humanæ moralis saltem non conueniret certitudo, iam nulla posset esse vera amicitia humana; vt argumentatur Diuus Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 10. Si quis credere, & credulum esse semper in vitio ponit, nullum ille amicum habere potest: Si enim turpe est aliquid credere; aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credens, quomodo amicum vel ipsum, vel se appellet. Certè vera, & perfecta amicitia humana sita est in mutua beneuolentia; at licet erga eum à quo nondum te credis amari, possis affici aliquo affectu beneuolentiæ, quæ est initium amicitiæ, idque certò & euidenter per propriam experientiam scire: nequaquam tamen potes eum ex amicitia diligere nisi vt amicum, & nisi redamantem eum existimes; quod fieri non potest, nisi detur locus fidei humanæ, & alicui obiecto quantumuis obscurè, certò tamen moraliter cognito ob authoritatem, vel dictum amici mutuum tibi amorem protestantis.

Secundò non solum amicitia, sed etiam omnis humana societas rueret nutante semel aliqua saltem morali fidei humanæ certitudine; mercatores enim mutuò nunquam contraherent, cum sibi inuicem prius debeant aliqua certitudine fidere, & credere, neque tot maris, ac terræ periculis se committerent, nisi lucrum aliquod fide humana, ex aliorum videlicet relatione, certò saltem moraliter sibi persuaderent: sicut nec agricolæ semen terræ cùm tantis laboribus mandarent, nisi maiores prouentus se consecuturos prius crederent; nec denique infirmus præscriptis medicorum vnquam vteretur, si se per illa e dicto illius valetudinem recuperaturum non arbitraretur; denique vt ait Diuus Augustinus citato lib. cap. 12. nisi quod nescitur euidenter, credatur, sitque aliquid fide humana certò persuasum, tolleretur pietas & amor filiorum erga parentes, & vicissim amor parentum erga ipsos. Non enim ratione sciri potest, sed interposita matris authoritate, atque adeò dato loco fidei humanæ, de patre creditur: de ipsa verò matre, plerumque nec matri, sed obstetricibus, sed nutricibus, & famulis credendum est; credimus tamen & sine vlla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quod etiam præclarè docuit Abbas Rupertus in 5. Ioannis. *Sine fide*, inquit, *nec infidelis viuit, nam si infidelem percunctari velis, quem patrem, aut quam matrem habuerit, protinus, respondet, illum atque illam, si statim requiras, vtrum nouerit quando conceptus sit, & quando natus, nihil horum se nosse fatebitur, & tamen quod non videt, credit: habent etenim infideles fidem, sed vtinam in Deum nam si haberent infideles non essent.*

Adde ex eodem D. Augustino ibidem, multos esse stultos, seu parum intelligentes rerum diuinarum, aut etiam humanarum, & officiorum virtutis; qui si sibi vitæ duces esse velint, eamque suo iudicio regere, peccent omnino, & deficiant necesse est; quia aut errorem, aut ignorantiam sequuntur: eatenus ergò tantùm bene agere ac viuere possunt in multis, quatenus vt sapientis instrumenta agunt, eiusque dictis & præceptis fide humana certò credentes obediunt.

Dico secundò per fidem humanam non

non solum haberi posse certitudinem moralem, sed etiam physicam, aut Physicæ æquiparatam, qualem habet is qui experitur, & videt rem aliquam: sicut certus sum physice Petrum, quem sensibus bene affectis vidi verè mortuum, non esse amplius in viuis, nec si quis ei similis inueniatur, ipsum esse, quia certus sum euidentia intellectus res quæ extiterunt, & perierunt non reproduci naturaliter. Dixi naturaliter, quia miraculosè, siuè per omnipotentiam Dei absolutam, potest mutari status rerum, proindeque necessitas illa in qua fundatur certitudo quæ appellatur Physica, quia fundatur in necessitate, immutabilitateque physica, quæ oritur dumtaxat ex naturali rerum ordine.

Probatur primò, quia tam certus videtur esse aliquis Romam esse, quam nunquam vidit, ac certus est ciuitatem illam esse in qua versatur; tàm, inquam, certus esse videtur, tamque amens esset, si de vno, ac de altero dubitaret; sed illa certitudo, quà quis est certus de ciuitate in qua versatur, est certitudo Physica, ergò etiam & illa, qua quis est certus de Romæ existentia; & tamen qui habet euidentiam ciuitatis in qua manet, non habet de Roma aliam certitudinem quam fidei humanæ; si quidem id à Deo reuelatum non accepit, vt supponitur, nec experimentali cognitione, aut intelligentia quæ est de rebus vniuersalibus, aut etiam de essentijs rerum, cognouit: Igitur per fidem humanam haberi potest certitudo Physica, vel tanta vt certitudini Physicæ æquiparari possit; nec dicas credentem in tali casu habere euidentiã in attestante, hoc enim libenter admitto, sed addo euidentiam in attestante, non esse euidentiam rei, vt ita dicam, attestatæ, sed testantis authoritate confirmatæ, nec eam impedire quominus res possit credi fide humana, vt cõmuniter docent Philosophi; quidquid sit de fide diuina, an possit stare cum euidentia Dei attestantis, de quo disputant Theologi 22. vnde semper stat per fidem merè humanam haberi posse certitudinem nõ solum moralem, sed etiam physicam, seu Physicæ ęquiparatam.

Secundò si per fidem humanam, certitudinem etiam physicam, aut illi ęquipollentem nõ haberemus, iam omnis ferè aditus scientijs disciplinisque obstrueretur, *Si tollis hanc fidem*, inquit D. Augustinus lib. & cap. iam citatis de vtilitate credendi, *tollis omnem magisterij, disciplinæque rationem*: Primo enim in scientijs subalternis acquirendis, non omnes propositiones demõstrabiles habet demõstratas discipulus, nec eas euidenter nouit; vnde certitudinem illarũ non habet in euidentia fundatam, sed in fide humana, quia scilicet audit Philosophos de cęteris inter se acerrimè contendentes, in ijs tamen suppositionibus vnanimes esse. Insuper pro habendis scientiarum principijs, inductione in rebus sensibilibus, & singularibus facta opus est: pro inductione autem plerumque sufficit fides humana, quam tradunt historiæ, & testimonia doctorum, eorumque qui id se expertos esse affirmant: Iam ergò si fides humana non posset aliquando parere in credentis intellectu certitudinem Physicam, non esset vndè in comparandis scientijs necessaria esset, nec qui sine illa, magistrorumque subsidio vellent per se ipsos id tentare, in ita stolidos errores inciderẽt. Quare rectè Aristoteles passim docet credendum esse vnicuique in propria ipsorum arte, & ante omnia postulat, vt discipulus suo præceptori credat, *discentem*, inquit, *credere primum oportet*. Si quidem vt bene argumentatur Theodoretus loco superius à nobis citato. *Nemo vnquam sine fide aliquid potuit addiscere, nam quod talia sint nomina Characterum, & litterarum A.B.G. aut A.B.C. demonstrari, aut sciri non potest, sed fide tantum creditur, & tamen illis velut fundamentis cætera omnia, quæ sunt addiscenda nituntur*.

Dico tandem tertio per fidem humanam posse etiam haberi certitudinem Metaphysicam, quæ in eo sita est, vt po-

ſitis omnibus circumſtantijs, in quibus res credita eſt, repugnet rem non eſſe veram eo modo quo creditur, quia videlicet id aliter non poſſet fieri, quàm per miraculum, quod repugnat in eo caſu, cùm enim ſolus Deus ex vna parte ſit author miraculorum, & ex alia infinitæ eius bonitati, & ſapientiæ veracitatique repugnet, quod ipſe ſit author mendacij, vel erroris, implicat quod in confirmationem, & teſtificationem alicuius propoſitionis falſæ, poſſit aliquod patrare miraculum, vt ſatis dicemus l. 4. infra.

Primùm in fide humana certitudinem metaphyſicam haberi poſſe, facile probari poſſet ex ſtatim dictis; quę enim certitudo eſt principium alicuius ſcientiæ veræ, ea eſt Metaphyſica; vndè cum ſatis oſtenderimus aliquam fidei humanæ certitudinem eſſe principium alicuius ſcientię veræ, cuiuſmodi ſunt ſcientiæ ſubalternatę, apertè ſequitur aliquã humanæ fidei certitudinem eſſe metaphyſicam. Verùm quidquid ſit de rebus humanis, exiſtimo aſſertionem eſſe veram, ſaltem ferè in omnibus motiuis credibilitatis fidei Chriſtianæ; v.g. credimus fide diuina Deum eſſe vnum, & Trinum, Verbum eſſe incarnatum, quia Deus qui eſt prima veritas id ita reuelauit; ſed quomodo certi ſumus Deum ita reuelaſſe, nec enim experientia id didicimus, nec demonſtratione, aut intelligentia clara & euidenti; vnde igitur ſcimus id Apoſtolos docuiſſe, & alia huiuſmodi, vt & in confirmationem harum veritatum tot miracula facta fuiſſe? Certè nulla alia ſaltem facilior videtur eſſe ratio reſpondendi, quàm ſi dicamus id nos habere traditum ab hominibus, qui in eo numero, ſtatu & conditione fuerunt, vt nullo prorſus modo falli hac in re, aut fallere velle potuerint, alioqui rueret ſuauitas diuinę prouidentiæ.



CAPVT XII.

De conditionibus requiſitis, vt fides humana certitudinem habere, & parere poſſit.

CVm omnis humana fides nec moralem, nec Phyſicam, nec Metaphyſicam habeat, aut pariat certitudinem, ſupereſt breuiter explicandum, quas circumſtantias, aut conditiones eam fidem habere oporteat vt tantam certitudinem faciat, ſiue quod idem eſt, quænam ſint circumſtantiæ, & conditiones neceſſariæ, vt authoritati humanæ indubitata, certaque fides adhibeatur. Hæ autem conditiones ſunt in vniuerſum in duplici differentia; aliæ enim ſe tenent ex parte ipſius authoris, ſeu eius cui creditur, aliæ ex parte ipſius credentis. Igitur quod ad primas pertinet tres communiter aſſignari ſolent, ſapientia, veracitas & loquutio clara; id eſt, primò, vt in ea re quam credendam proponit, ſit, habeaturque ſapiẽs, ita vt in eo negotio nulla ſuſpicio quod ille fallatur aut erret, ſuboriri poſſit, & qui credit, certò cognoſcat authorem nullo modo decipi, nec verò poſſe, ſtantibus circumſtantijs illis quas eius reuelatio ſupponit. Secunda eſt, vt qui, nullo modo fallitur in eodem negotio, nullo quoque modo velit fallere, imo nec poſſit velle facere, ſitque hęc neceſſitas ſaltem ſuppoſitionis. Tertia, vt quod in mente habet, & iudicat author, id ſigno externo, ſeu verbo ita clarè exprimat, vt qui audit nullo modo dubitet, quin aſſequatur, plenèque intelligat mentem authoris. Harum conditionum ſi vel vna aliqua deſit, aut nutet, totam etiam authoritatem, & quæ ea nititur fidem vacillare oportere ſatis patet cuilibet conſideranti.

Quia autem harum omnium conditionum certa cognitio duplex haberi poteſt vna fidei, altera euidentiæ ſeu ſcientiæ: notitia illarum certa à credente præſuppoſita, debet eſſe ſcientiæ ſeu

cui-

euidentiæ, non autem fidei, ne aut detur processus in infinitū, aut fiant multæ inutiles ambages, quæ quantæcunque sint, debeat tandèm eò deuenire, vt credenti sit euidenter notum in circumstantijs eiusmodi, eum cui certissima fides adhibetur, nec posse falli, nec fallere, nec vllam in ipsis dictis fallaciæ suspicionem inesse. Hinc est quod ad illam euidentem notitiam comparandā, suæ etiam præscribuntur regulæ. Inprimis infallibilis, & necessaria regula hęc est ad dignoscendum aliquem non falli in aliqua re; si multi eiusmodi periti, vel singulatim, vel etiam ineuntes concilium, remque diligentissimè discutientes omnes in eo conueniunt, quod aiunt se illam euidenter perceptam tenere; dicitur, si multi periti, vel ea in re sapientes conueniant; nec enim imperitorum multitudo quantalibet fidem facere potest, vt rectè obseruauit S. August. lib. 1. contra Academicos cap. 3. vbi ait, *venerandam quidem esse maiorum authoritatem, non tamen omnium, sed qui sapientes fuerunt*. Cum autem ex eodem D. Augustino ibidem lib. 1. cap. 5. vix quidquam sit nobis notius, quàm ratio communis sapientiæ, & probitatis, *cuius*, inquit, *verbi in animis nostris apertiorem notionem natura esse voluit, quam sapientiæ*, hinc est, quod quilibet prudens facile poterit agnoscere, an multi illi quorum consensus authoritatem fidei statuit, sint sapientes ea in re de qua ipsis creditur.

Ratio istius regulæ potest esse primò, quia veritas, vt etiam supra notauimus, supponit veritatem entis veri, & non potest esse multiplex, variaque veritas; ad distinctionem falsitatis, quæ non est vna, sed multiplex, non stabilis, aut firma sed inconstans; & si multi in vnius rei inquisitione decepti sunt, haud dubiè varia sentiunt, & referunt; igitur videtur impossibile esse humanitus, aut per vllam causam creatam, vt multi sapientes viri diligenter examinantes rem vnam, & eamdem, si in eamdem sententiam conspirent, in ea sint decepti: maximè si in alijs rebus inter se dissentiāt. Vnde tantum abest, quod authores in alijs circumstantijs rei differentes, minoris fidei siut, cùm in aliqua eiusdem rei circumstantia omnes conueniunt; vt potius illa sententiarum in alijs rebus varietas, sit non leue argumentum, si qua in parte consentiunt, in ea illos non errare, sed ipsam veritatem assequi; vt magis infra ponderabimus lib. 4. vbi inter cætera credibilitatis diuinæ fidei argumenta, & motiua istud adducemus.

Secunda ratio, cur vnanimis virorum sapientum, & diligentum multorū consensus omnem erroris, vel deceptionis suspicionem excludat, sitque naturaliter impossibile id falsum esse, quod multi illi credunt, & sciunt, videtur esse, quia nonnisi duce natura ipsa, luminisque naturalis intelligentia, talem consensum habere possunt; sed quod natura magistra, aut duce sapientia cognoscitur, impossibile est illud esse falsum. Ergo &c. Probatur maior, cùm enim, quoties in multis inest aliquis effectus idem, & communis, oporteat in eis inesse commune etiam aliquod principium ex quo talis effectus sequatur; si semel datur vnanimis ille consensus, debet etiā dari vnum ita sentiendi principium; sed illud vt supponimus non est authoritas, qua aliquem vt ducem, aut doctorem sequantur illi, qui sic vnanimiter sentiunt, cum aut singuli, aut etiam ineuntes concilium, & rem accuratissimè examinantes omnes in eo conueniant, quod aiunt se rem euidenter perceptam tenere; igitur sola natura, aut virtus quæ eam perficit, potest esse tale principiū; si quidem præter ista duo nullum aliud potest assignari, & quidquid aliud assignabitur id erit deceptio, errorue, aut aliquid aliud quod vnum & vniforme esse non posse supra probatum est.

Minor in qua est difficultas, nimirum quod natura magistra, aut duce sapientia cognoscitur, impossibile esse illud esse falsum, patet primò, quia naturæ, virtutumque illius intellectiuarum Deus ipse est author, qui falsitatis, aut erro-

erroris magister esse nequit. Secundò, quia sicut impossibile est non esse bonum quod appetitu naturali, aut naturæ instinctu, vel ex virtutis moralis affectu appetitur, ita quod ex virtute intellectiua cognoscitur impossibile est falsum esse; siue quod idem est, sicut qui ex virtute morali agit, is non potest non rectè agere; ita qui secundum virtutes intellectiuas operatur, is errare speculatiuè, & decipi non potest; etenim ex Philosopho 6. eth. cap. 2. & 3. *Virtus intellectiua semper, & ex sua essentia verum dicit, tamque est determinata ad verum, quod est opus intellectus speculatiui, quàm virtus moralis est determinata ad bonum*. Sic rectè Cicero lib. de nat. Deorum pronuntiauit, *de quo omnium natura consentit id verum esse necesse est*; & elegantius Tertull. lib. de testim. animæ; *hæc*, inquit, *testimonia animæ quantò vera, tantò simplicia: quantò simplicia, tantò vulgaria: quantò vulgaria, tantò communia; quantò communia, tantò naturalia; quantò naturalia, tantò diuina. Non putem cuiquam friuolum & frigidum videri posse, si recogitet naturæ maiestatem, ex qua censetur autoritas animæ. Quantùm dederis magistræ, tantùm adiudicabis discipulæ, Magistra natura, anima discipula: quidquid aut illa docuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ*. Hactenus grauis Tertullianus; sed de hoc argumento vide inferius dicenda lib. 4. vbi aduersus Atheos probatur Dei existentia.

Quod si dicat aliquis, per miraculũ, & absolutè loquendo fieri posse, vt ij omnes decipiantur, etiam in illis circũstantijs communis consensus, post diligentem & accuratam rei disquisitionẽ, atque adeo non posse inde argui certitudinem metaphysicam: Respondetur id repugnare prouidentiæ Dei, cuius voluntatem nisi afficiat, moueatque bonitas, & eam sapientia regat, eius omnipotentia nihil molitur; quare quod Deũ bonum & sapientem velle repugnat, id ab eo quoque fieri repugnat; tàm autem diuinæ sapientiæ, quàm bonitati repugnat, quod miraculo falsitatem cõfirmet vt in tali casu contingeret.

Secunda regula, vt scilicet euidenter sciatur authorem illum, qui nullo modo fallitur, nullo quoque pacto velle decipere, sed esse veracem in proponenda re illa, de qua habenda est fides; quæ est secunda conditio infallibilis authoris fidei humanæ, siue quod idem est, vt authoritati humanæ indubitata, certaque fides adhibeatur; secunda, inquam, regula ad hoc euidenter cognoscendum omni exceptione maior, est, si videlicet multi idem omnino asserunt, qui tamen nullo modo inter se egerunt, aut conuenerunt, vt fallerent. Vndè si diuersis in locis, diuersisque temporibus infinita propè hominũ multitudo alioqui moribus, opinionibus, institutisque dissimilium idem affirmant, puto esse impossibile, vt fallaciam faciant, cõponantque adeò feliciter, vt viros prudentes, & sagaces lateat, vt iterum dicemus lib. 4. agendo de euidentia credibilitatis fidei Christianæ.

Tertia tandem regula, ad clare & euidenter cognoscendum, quæ verba ab authore fidei proferuntur, eodem in sensu intelligi ab auditore, in quo ab eo proferuntur; ita vt nulla sit terminorum æquiuocatio, nullaque in verborum intelligentia deceptio; quæ est tertia conditio requisita ad authoritatẽ illius cuius dictis fides certissima, adhibenda est; talis, inquam, regula colligitur ex D. Augustino lib. de magist. cap. 13. dum docet tribus modis fieri posse, vt aliquis etiam linguæ, & idiomatis gnarus velit suam mentem fideliter aperire audienti, nec tamen id præstet. 1. si ei aliquid efferre volenti, aliud quam quod vult proferre verbum occurrit, & excidit lingua mentem præcurrente. 2. si id linguæ vitio, impedimentoque contingit. 3. cùm profert verba ambigua, & æquiuoca, & in vno sensu, vel significato ipse ea sumit, in alio vero sumuntur ab audiente. Quæ omnia incommoda sicut facile vitari possunt per suas regulas, per easdem etiam poterit clarè & cui-

euidenter constare de vero sensu, quo homo sapiens in re aliqua, & verax, animi sui sententiam alteri credendam proponit.

Quod pertinet modo ad conditiones ex parte credentis necessarias, vt eius fides certissima sit; videnda sunt inferius dicenda lib. 4. vbi agendo de euidentia credibilitatis fidei Christianę, siue rerum per illam credendarum, adducuntur plures causæ, cur tàm multi res ita clarè, & euidenter credibiles, credendo non amplectantur, idque suo vitio, & ob impedimentum quod in ipsis est, sicut à lippientibus oculis lux ipsa videri non potest, non quidem quia ipsa visibilis non est, sed quia visum ineptum & vitiatum offendit: Interim dico hominem, vt in credendo authoritati infallibili certitudinem veram, & perfectam habeat, duabus veluti conditionibus positiuis præditum esse oportere, vna ex parte voluntatis, altera ex parte intellectus, quæ vtraque veram componat, aut efficiat docilitatem. Conditio, seu qualitas ex parte voluntaris ad veram docilitatē desiderata est amor quidam veritatis, atque adeo subiectionis sub eo, à quo vt sapiente & verace potest erudiri, & edoceri; qui amor coniungi debet cum modesta & humili suæ inscitiæ agnitione, & cum studio diligentiaque in comparanda rei credendæ veritate; quam enim superbia, & addiscēdæ veritatis negligentia docilitati sit contraria, superbumque impediat ne rem alioqui credibilem ipse credat satis clare colligitur ex capite 5. S. Ioannis vbi Christus Dominus Iudęos alloquēs, *Quomodo*, inquit, *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quaritis*; nec non etiam ex eo quod communiter SS. Patres nullam aliam fere causam errandi in hæreticis agnoscunt quàm superbiā; vnde rectè S. Basilius conc. in Psal. 115. ait, quod qui mentem suam non humiliat, qui eam vniuersorum mensuram facit, inflatus, & ob vanitatem mentis suæ elatus non potest dicere cum Psalmista, *Credidi propter quod locutus sum.*

Altera conditio, vel qualitas ex parte intellectus requisita, est prudentia, & in iudicando de veritate proposita peritia; cùm enim qui credit, vt certus sit, debeat videre motiua illa credibilitatis, scilicet authoritatem reuelantis, & reuelationem esse eiusmodi, vt mereantur tantam fidem, & certitudinem, satis cōstat, totum hoc fieri debere ex deliberatione matura ac prudenti; quare tantùm abest, vt ad docilitatem, & ad habendam veram fidei humanæ certitudinem impediat doctrina, vel ingenium, vt aliqui videntur existimare, vt potius è contrario ea maximè iuuent; quia tamen doctrina fastum aliquando & superbiam comitem habet, & vt ait Apostolus, *scientia inflat*, hinc est quod aliquando etiam incredulitati & indocilitati per accidens occasio esse potest: sed de his satis, qui plura desiderat cōsulat D. Augustinum lib. de vtilitate credenti, capite potissimum vndecimo.

CAPVT XIII.

De probatione topica, seu probabili.

QVia inter locos Theologicos aliqui reperiuntur, qui probabilem tantum, seu topicam faciunt probationem, id circo ad huius sectionis complementum breuiter agendum est de illa, rebusque ad illam pertinentibus. Primum ergò sic definiri potest veluti negatiuè Topica probatio, *est non certa probatio*; dicitur probatio quia probat, & per hoc distinguitur à sophistica, quæ nihil probat, sed potius habet pro fine deceptionem; dicitur non certa, vt à certa distinguatur, deficit enim illi certitudo. Ex qua definitione satis constat probabile, seu topicum, à quo probatio topica vel probabilis suam habet denominationem, esse quid medium inter certum, & sophisticum, adeò vt respectu sophistici se habeat in plus, respectu verò certi deficienter; cum enim sophisticæ apparentiæ dicant solam dubitatio-

tionem absque vlla penitus probatione, secundum quod probatio dicitur quasi proba ratio; probabiles præmissæ, seu medium probabile, ita ex parte dicunt dubitationem, vt etiam ex parte annexam habeant probationem. Cum autem per oppositum probatio certa sit completa rei manifestatio, firma intellectus adhæsio ad rem probatam; probatio topica seu probabilis, est incompleta duntaxat rei manifestatio, non firma intellectus ad illam adhæsio, sed titubans, & cum dubitatione.

Hinc etiam sequitur eadem penitus esse probabilitatis, seu probationis probabilis; ac certitudinis, seu probationis certæ fundamenta, solumque inter se differre in plus vel minus, seu penes perfectum & imperfectum; vnde sicut ex dictis supra duo sunt certitudinis fundamenta; primum est authoritas, vel dictum illius, qui in dicendo non potest errare; secundum est euidentia tum sensus, tum intellectus; tot etiam sunt probabilitatis. Primum est authoritas, seu dictum alicuius fide digni, licet in dicēdo possit errare: inquantum enim est fide dignus facit probatiuam cognitionē; in quantū errori est obnoxius facit dubitationem: Ad hoc autem vt aliquis fide dignus sit, atque adeo eius authoritas præcisè probabilem faciat probationem, plura requiruntur primo debet esse versatus circa tale obiectum, de quo quæritur probabilitas, ad hoc vt censeatur probabile. Hinc purus Philosophus, vel etiam plures, qui in Philosophicis dumtaxat excellant, nequeunt per se reddere aliquam conclusionem Theologicam probabilem; nec Theologus licet insignis in vtraque Theologia Scholastica & morali per se reddere potest conclusionem Mathematicam probabilem, & sic de cæteris: verum est tamē, quod quando aliquis est peritus in aliqua scientia, quæ habet affinitatem cum alia, vt est Theologia Scholastica, ac Moralis; scientia Canonum, & Legum; scientia Physica, ac Medicina, addere potest aliquod pondus opinioni quam reddunt, vel reddiderunt probabilem periti in tali scientia; imo verissimum etiam est, quod quo pluribus scientijs est aliquis instructus, eo reddit opinionem circa illam materiam, in qua ipse insignis est, probabiliorem; neque enim negari potest, quin vna iuuet aliam, sicut enim causæ sunt sibi inuicem causæ, ita disciplinæ sibi inuicem prosunt, facemque præferunt.

Quam conditionem eleganter expressit Philosophus lib. 1. Topic. cap. 1. vbi probabilitatem explicans sapientum semper facit mentionem; *Probabilia*, inquit, *sunt quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus; & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis*. Quibus verbis tria probabilium genera distinguit Philosophus. *Primum* est eorum, quæ videntur omnibus, siue doctis, siue indoctis, v. g. *mater diligit filium*; aliæque propositiones immediatæ probabiles, quibus omnes planè assensum præbent. *Secundum* est eorum, quæ videntur plurimis, hoc est doctis & indoctis; quod enim contendunt aliqui hoc secundum genus probabilium esse penes multitudinem, & excludere sapientes: satis conuincitur falsitatis, tum ex eo quod ab imperita, & ignara multitudine vt sic non potest desumi probabile argumentum; tùm etiam ex eo quod sicut in primo genere ly *omnibus*, comprehendit & doctos & indoctos; ita etiam in hoc secundo ly *plurimis*; si quidem soli sapientes per se opinionē reddunt probabilem; vndè licet probabilior sit illa opinio, in qua conueniunt omnes, vel plurimi sapientes, & non sapientes simul, quam illa, in qua soli sapientes; lumini enim naturali, quo indoctus non priuatur, videtur esse affinior; nihilominus tamen oportet vt à sapientibus viris imperitæ multitudinis sensus examinetur, & approbetur, si probabilis censendus est.

Tertium probabilium genus est eorum quæ videntur solis sapiētibus; quod habet sub se tres species; *Prima* est eorum,

rum, quæ videntur omnibus, sed solis sapientibus; secunda eorum, quæ videtur plurimis sed non omnibus sapientibus; tertia denique eorum, quæ maximè familiaribus, & probatis, siue (vt vertit Perionius) ijs, quorum spectata est,& perspecta sapientia,videntur: Notandum est tamen vbi dicitur in plurali, *Sapientibus, familiaribus, ac probatis*, non propterea necessario iuxta Aristotelem debere esse plures sapientes ex his, ad hoc vt opinio aliqua dicatur probabilis: Etsi enim certissimum sit cęteris paribus illud,in quo plures numero sapientes consenserint, probabilius esse; sufficit tamen ad reponendum aliquid inter opiniones probabiles vnius insignis, & admodum celebrati viri sensus, maximè circa aliquod obiectum ab alijs doctoribus non examinatum; nisi repugnauerit dignis maiori fide opinionibus, & produxerit inopinabiles sententias. Quæ duo sunt necessario coniungenda; nam non fit, vt non sint opiniones probabiles, eo quod repugnent dignis maiori fide opinionibus, nisi sint inopinabiles sententiæ, vna enim opinio, vt satis patet, est probabilior alia; & hęc breuiter dicta sufficiant de probabilitate fundata in authoritate, quæ ab alijs probabilitas authentica siue extrinseca appellatur,rationalis verò vel intrinseca illa quę in ratione consistit, de qua statim.

Quod pertinet igitur ad alterum probabilitatis fundamentum; vt certitudinis fundamentum est euidentia, siue clara tùm sensus, tum intellectus cognitio; ita probabilitatis fundamentum est non clara vtriusque cognitio; non eo sensu, quod illa particula *non clara* sumatur merè priuatiuè,& pro vt est idem ac obscura; sed imperfectè,& pro vt non est ita clara cognitio, sicut illa quæ ad certitudinem requiritur; sic si quis à longe, vel in crepusculo,vel in dorso dumtaxat videat Sortem, clarè autem non videat, per coniecturas tantùm & indicia poterit probabiliter iudicare, quod Sortes sit; idem erit de cognitionibus, quæ per indicia, & coniecturas,& signa quæ certa non sunt obtinentur; vndè potest ex dictis per terminos veluti positiuos tradi aliqualis definitio vel descriptio probationis topicæ seu probabilis in tota sua latitudine, *quod sit cognitio, quæ aliquod habet fundamentum veritatis, vel in authoritate dicentis, vel in lumine intellectus, aut sensus; sed tamen non habet fundamentum certæ veritatis*; vel etiam, *quod sit indicium determinatū ad vnam partem contradictionis nixum rationabili motiuo*: Eo ipso autem quod motiuū est rationabile: est quoque non leue, non modici momenti, non expers fidei, neque enim est hominis rationabiliter, vel prudenter operantis sinere, vt intellectus in aliquam determinate partem à rationibus arundineis flectatur.

Si quis autem inquirat aliquis vndè possit dignosci motiuum aliquod esse rationabile; respondetur nullum signū à posteriori posse assignari magis certū rationabilitatis motiui, quam sensus hominum sapientum, siue quod vt tale à viribus sapientibus approbetur: impossibile est enim moraliter omnino,vt opinio aliqua rationabile fundamentum, vel motiuum habeat, & nulli sapienti tale videatur: Quare, licet in probatione, vel cognitione probabili, quæ habet pro fundamento, vel motiuo authoritatem dicentis,talis authoritas non solum se habeat tanquam conditio, sed vt ipsamet ratio formalis assentiendi; tamen in probatione, vel cognitione probabili, quæ innititur alicui motiuo rationabili, talis authoritas non se habet cum illo vt medium, vel ratio formalis, sed vt conditio, vel ratio explicans, siue vt quid concomitans naturam motiui probabilis. Hinc primò quotiescumque motiuum videbitur rationabile simul sapientibus, ac non sapientibus, erit probabilior opinio, quàm si rationabile appareat solis sapientibus; & quo plures hi, eo etiam adhuc probabilior. Secundò, quo magis, vel minus erit rationa-

bile motiuum, eo opinio erit magis, vel minus probabilis, & dummodo sit verum dicere, motiuum est rationabile, licet sit parum, opinio simpliciter erit probabilis, nec poterit dici improbabilis. Tertiò improbabilem esse opinionem illam, quæ nulli rationabili vtitur motiuo; cum autem vnum motiuum possit esse magis à ratione alienũ, quàm aliud, sicuti vna propositio magis distat à verò, quàm alia; hinc fit vt vna etiam opinio sit alia improbabilior. Quodnam autem sit irrationabile motiuum, constat ex iudicio sapientum. Quarto ad hoc vt opinio sit verè probabilis, requiri rationabile motiuum, non verò sufficere, quod non appareat motiuum in contrarium. Vt enim quis rationabiliter opinari dicatur, non sufficit, vt iudicet tantùm se non irrationabiliter operari, sed insuper, vt pote animal rationale, ratione duci debet, ad hoc vt huic parti potius, quàm illi, & maximè dum non apparet euidentia, adhæreat. Quinto non posse cōcedi dari opiniones probabiles circa id, cuius contrarium euidenter, ac certo demonstretur, vel ex terminis ipsis appareat; nec contra id quod fides Catholica docet; est enim penitus irrationabile opinari contra id, quod demonstratur, vel adhęrere illi parti, cuius opposita est certissima, & infallibilis, vt in diuina fide contingit. Hinc est quod opiniones hęreticorum, Gentiliumque contra fidei Catholicæ dogmata, non sunt reipsa, seu verè probabiles, sed tantũ apparenter; viri enim sapientes apud eos, si velint sincere motiua nostræ fidei, & suarum sectarum examinare, non poterunt iudicare prudenter esse suis adhęrendum pronuntiatis; cognoscentque euidenter, solum fidei nostræ effatis humanum esse subijciendum intellectum. Hinc etiam meritò coarguendi sunt illi Philosophiæ doctores Catholici, qui argumenta è fallaci Philosophia desumpta contrà id quod vera docet Philosophia magnifacientes, illa haud soluunt, aut soluere non conantur, sed difficultatem porius exaggerant, cùm tamen non solum euidentia, ac certa esse non possint; verum nec probabilia, sed sophistica tantummodo.



SECTIO

SECTIO QVINTA.

Quantam vnusquisque locus Theologicus in particulari probationem faciat.

CAPVT PRIMVM.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate diuinarum scripturarum.



RAESVPPOSITO ex dicendis libro subsequenti, quod diuinarum scripturarum nomine nihil aliud intelligatur, quàm doctrina cælestis, quam Scriptores sacri, peculiariter inspirante, ac in omnibus suggerente Spiritu Sancto diuinis litteris consignarunt; nemini sane illud admittenti dubium esse potest, quin argumentum, ab authoritate sacræ scripturæ rectè intellectæ desumptum, certissimam ac infallibilem faciat probationem. Quia autem sacra scriptura plures ex inferius dicendis sensus habet, litteralem scilicet, & spiritualem, & hunc spiritualem, siue mysticum adhuc triplicem, Tropologicum, Allegoricum & Anagogicum, difficultas est ex quo eiusmodi sensuum haberi possit aliquid fide certum, atque adeo proprium principium, vnde scientificus Theologiæ habitus conclusiones suas deducere possit; pro cuius explicatione sequentes assertiones pono.

Assertio prima. Ex litterali sacræ scripturæ sensu, certo tamen & indubitato, firmum ac irrefragabile desumitur argumentum ad stabilienda fidei dogmata, Theologicasque veritates. Hæc assertio conceditur ab omnibus diuinarum litterarum veritatē admittentibus, illaque semel supposita videtur omnino lumine naturali nota; cùm enim sint ipsummet verbum Dei scriptum, quem nec falli, nec fallere posse naturaliter cognoscimus, satis constat illas debere esse infallibilis authoritatis; maximè secundum litteralem sensum, qui posita vocum significatione ex libera impositione hominum, iam est ex natura sua determinatus, & consequenter est ordinariè ex se nobis euidens, & indubitatus; & cùm sit fundamentum omnium aliorum sensuum, nulli dubium esse potest, quin sit intentus à Spiritu Sancto per scripturas sacras principaliter alloquente.

Dictum fuit in assertione ex sensu litterali certam & indubitatam obtineri posse probationem, dummodo sit etiam omnino certus, & indubitatus, si quidem ad certam ex sacra scriptura probationem, non sufficit habere certam de fide notitiam, quod verè sit verbum Dei; siue quod hic locus scripturæ præcisè consideratus contineat verè verbū Dei, sed insuper requiritur, quod eadem certitudine constet de vera illius intelligentia, & interpretatione, vndecumque proueniat, de quo libro sequēti sectione 1. Si enim semel de vno, vel altero probabilitas tantum habeatur, vt sententia, vel propositio in illis fundata non est de fide, ita neque potest ex illa consequenter deduci conclusio verè ac propriè Theologica, quæ nonnisi ex certò reuelatis, & diuina fide creditis deriuari potest; de quo videri potest D. Augustinus lib. 1. de Genesi ad litteram

ram cap. 18. nec non Cassianus collat. 8. cap. 4. Probabilitatis autem sphæram esse adeò latam, vt etiam circa sacros codices versari possit patet ex multis, quæ adducentur libro sequenti fusius. Primò ante diē 8. Aprilis anni 1546. (quo die à Concilio Tridentino sess. 4. factum est decretum circa sacræ scripturæ libros ab omnibus recipiendos) vel saltem ante diem 26. Ianuarij anni 1564. quo confirmatum est tale decretum, potuit esse opinio probabilis, quod aliquis eorum absolutè, vel secundum aliquam sui partem haud inter eos reponendus foret. Secundo potest esse opinio probabilis, quod nunquam intercideri aliquis liber, qui re vera fuerit in Ecclesia Canonicus, vt docent aliqui; & adhuc probabilis, quod aliqui perierint, vt docent alij, de quibus libro sequenti; qui cum addant posse in Ecclesia librum, qui hactenus iudicatus est incertæ authoritatis, declarari postea Canonicum, & diuinæ authoritatis; manifestè sequitur, quod *Oratio Manasse Regis Iudæ, cū captus teneretur Babylone; & libri duo, qui sub nomine libri tertij, & quarti Esdræ circumferuntur*, ex eo præcise quod de facto nō fuerint à Tridentino inter Canonicos repositi, non tolli quò minus adhuc possent inter eos approbari. Et certè negari non potest, quin modo ex illis libris aliquod probabile argumentum desumi possit, imò & probabilius, quàm ex pluribus alijs, cùm à nonnullis Sanctis Patribus citentur, & in aliquibus Biblijs latinis tàm manuscriptis, quàm impressis reperiantur. Tertio potest esse opinio, & valdè probabilis, quod Latinæ editionis interpres, aliqua parùm accommodatè verterit, minusque latinè expresserit, aliqua etiam obscurè, & ambiguè interpretatus sit &c. & dummodo habeatur pro certo, vulgatā editionem nullo esse defædatam errore, ex quo aliquod perniciosum dogma in fide, aut moribus colligi possit, siue nulla esse circa res ad fidem, bonosque mores spectantes in hac versione interpretum errata; opiniones variæ, ac probabiles ad hanc versionem pertinentes admitti possunt. Legantur ad id inter cæteros Andreas Vega lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. in fine, Cardinalis Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 11. & Dominicus Bannes 1. p. q. 1. artic. 8. dubio 4. qui inter cætera scripsit, se vehementer desiderare, vt contentio hæc inter pios Theologos Summi Pontificis authoritate definiretur, & componeretur; ideoque si Ecclesia prudente, ac sciente, hęc inter Theologos sententiarum diuersitas permittitur, perinde esse, ac si Ecclesia diceret, vnumquemq; in suo sensu abundare posse, dummodò fidei veritas, Ecclesiæque authoritas defendatur. Quarto potest esse opinio probabilis, quod sæpè verborum cōpositio relicta fuerit scientiæ, ac diligentiæ sacri scriptoris (ita tamen vt specialis Spiritus Sancti assistentia necessaria fuerit, ne ipsemet scriptor in ea erraret compositione) licet sit probabilior eorum opinio, qui asserunt singula verba, singulosque sacrorum librorum apices Spiritum Sanctum dictasse semper, adeò vt sacer scriptor merè amanuensis fuerit. Certè sicut hęc vltima opinio videtur sacræ scripturæ dignitati magis fauere; ita videri potest prima magis modo Dei agendi consueto conformis, qui relinquit causas secundas, in supernaturalibus etiam, suum quem possunt, præbere concursū. Quinto potest esse opinio probabilis aliquādo, quod hic, & non ille fuerit author libri Canonici, scriptus fuerit hoc loco, tempore, idiomate, & non alio. Sexto aliquibus Theologis probabiliter existimantibus maximam sacrorum codicum partem fuisse ab Hebræis corruptam; oppositū probabilius tenent alij. Septimo potest esse opinio probabilis, quod idem scripturæ locus (nisi aliud constet ex vnanimi sensu Patrum, vel Ecclesiæ in tribuendo illi multiplicem sensum) non possit habere plures sensus litterales, vt docent aliqui, licet contraria sit probabilior. Octauo potest esse opinio probabilis, quod aliqua, quæ communiter

niter tanquam historica sumuntur, possint etiam figuratè, ac misticè accipi; de quo videri potest D. Thomas 1. p. q.74. artic.2.& quęst.4. de potentia artic.2. Nono plurimæ sunt circa sacram scripturam quęstiones, quæ salua fide Catholica in vtramque partem agitari queunt; vt qualis, vel vbi paradisus terrestris, an ibi nunc Elias & Enoc in statu translationis viuant &c. legatur D. Augustinus lib.2. contra Pelag. & Cælestium cap.23.

Quod pertinet modo ad probabilitatem circa sacræ scripturæ sensum, & interpretationem; supposito, quod illi, quicumque sint, sacræ scripturæ sensus sunt certi, & ab omnibus planè fidelibus indubitata fide recipiendi; Qui primo ab ipsamet scriptura alibi traduntur; vnus enim scripturæ locus aliquando alium interpretatur. Secundo ex Apostolorum traditione deriuant. Tertio ab vniuersa recipiuntur Ecclesia. Quarto à Concilio Generali, vel à Summo Pōtifice in fidei definitionibus proponuntur. Quinto à Sanctis Patribus vnanimiter traduntur. Quadruplicem probabilium interpretationum speciem assignare possumus. *Prima* est earum, quæ in Conciliorum Pontificumque decretis habentur, quandò non per se conducunt ad definitionem dogmatis illius, de quo ex instituto agitur. *Secunda* earum, quæ à magna Sanctorum parte traduntur, licet aliqui repugnent. *Tertia* earum, quas accurati, vereque docti interpretes, aut Theologi adducunt. *Quarta* earum, quæ ex ratione ipsa deducuntur dummodo hæ tradantur à viris pijs, & humilibus, satisque in Theologia & litteris sacris versatis; vt enim libro sequenti dicemus ad intelligentiā diuinarum scripturarum maximè conducit humilitas, mansuetudo, pax, puritas, & oratio; vbi etiam adducemus plures regulas, ad hoc vt probabiles fiant interpretationes.

Quæ huc vsque diximus de probabilitate circa sacros codices eorumque sensum, non impediunt, quin, si semel ex vno scripturæ loco manifestè cōstet, aliquid esse de fide, tunc possint vtiliter ad idem confirmandum afferri alia scripturæ loca, in quibus idem sensus probabiliter solùm contineatur; etsi enim non sufficiant ad probandam sententiam aliquam fide certam, eam tamen quodammodo corroborant, nō per additionem maioris authoritatis, vel certitudinis, vt satis per se patet, sed quia per huiusmodi congruētes, ac probabiles sensus, rationesque in illis fundatas, facilius disponi solet intellectus, dociliorque reddi. Propterea hic arguendi modus familiaris est non solùm Theologis, sed antiquis etiam Patribus, qui passim in alicuius indubitatæ fidei dogmatis probationem, & confirmationem, multa alia congerunt Scripturæ testimonia, quæ dogma illud in sensu dumtaxat probabili, non certo significant, quod est valdè notandum.

Si quis tamen aliquem sacræ scripturæ locum prauè, vel etiam probabiliter dumtaxat intellectum afferret ad impugnandam veram aliquam, ac certam sententiam, vel ad confirmandam opinionem apertè absurdam in Philosophicis; siue quod idem, si quis multa probabilia asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam auderet; profectò ille talis plurimum derogaret dignitati, & authoritati diuinarum scripturarum apud infideles, eorumque conuersionem impediret; vt rectè notauit D. Augustinus lib.1. de Genesi ad litteram cap.19. & lib.2.cap.2. Vndè etiam S. Thomas, propositis ipsi quadraginta duobus articulis à Magistro Ioanne de Vercellis ordinis Prædicatorū, eiusque aliquando Generali, vt responderet, an scilicet Sancti forent illius sententiæ, vel opinionis, quam continebant articuli, cùm in principio opusculi 10. protestatus fuisset, plures illorum ad fidei doctrinam non pertinere, sed potius ad Philosophorum dogmata; statim subdit: *Multum autem nocet talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad*

sacram

sacram doctrinam. Vnde mihi videtur tutius esse, vt hæc, quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque sic esse asserenda, vt dogmata fidei, licet aliquando sub nomine Philosophorum introducantur, neque sic esse neganda, tanquam fidei contraria, ac sapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbeatur. Certè cum plerumque accidat; inquit Diuus Augustinus locis statim citatis vt aliquid de terra, de cælo, de cæteris huiusmodi elementis, de motu, & conuersione, vel etiam magnitudine, & interuallis syderum, de certis defectibus Solis & Lunæ, de circuitibus annorum, & temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque huiusmodi cęteris, etiam non Christiani ita nouerint, vt certissima ratione, vel experientia teneant; Si quempiam de numero Christianorum in ea re, quàm optimè norunt errare deprehenderint, & vanam sententiam suam de nostris libris asserere, quo pacto illis libris credituri sunt, de resurrectione mortuorũ, & de spe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quando de his rebus, quas iam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint esse conscriptos.

Quod de Paganis Philosophis monuit Augustinus, cauendum quoque est cum hæreticis, quibus non minorem calumniandi occasionem darent Catholici viri, si semel tanquàm de fide affirmarent, vel decernerent id, quod re vera non est tale; vel probabile, vel probabilius esset, haud haberi ex Scriptura, vel traditione. Hinc apparet consultissimum esse, vt nonnisi accuratissimo, longiorique examine facto à viris omni exceptione maioribus in pietate, doctrina, & prudentia, & boni Ecclesiæ vniuersalis reuera amantissimis, prodeant aliquæ censuræ opinionum, damnantes, illas tanquam Sacræ Scripturę contrarias, pręsertim si eiusmodi opiniones ad pietatem, vel bonos mores pertinere non videantur; Certèque haud Ecclesiæ commodo, vel vtilitati consulerent illi, qui, ex quacumque ratione id eueniret, valdè faciles forent siue voce, siue scripto, siue quouis alio signo in damnandis, tanquàm contra Sacræ Scripturę sensum, illis quæ ex vna parte non constaret esse contra illam, & ex alia essent inter Philosophos, vel Mathematicos, vel Theologos valdè probabilia.

Similiter in asserenda aliqua opinione tanquam de fide ex diuinarum Scripturarum authoritate, dum hæc probabilem habet interpretationem, grauissimè peccari potest, multiplicique peccato. Primò contra charitatem; quis enim non grauiter offenditur, cuius sententia tanquam heretica proscribitur ex non vrgenti, ac euidenti testimonio, sed sępius ex acerrimo in illum odio, vel inuidia. Secundo contra iustitiam, detrahitur enim per hoc aliorum famæ, & in re magni momenti. Tertio contra obseruantiam sacrismet Scripturis debitam, vt enim docet Benedictus Pererius initio comment. in Genes. *Malè merentur de Scriptura, qui eam, quę per se latissimè patet, & variarum sententiarum, atque interpretationum est capax, ad sua opinionis angustias coarctare, & coangustare volunt.* Quarto contra fidem ipsam, si enim quis tueatur mordicus sensum talem, non quia Scripturæ, sed quia proprius, si postea constet germanus, verusque sensus, facilè hunc reijciet, adeoque ille, qui hæreticum alium appellauit, verè in hęresim incurret. Quare Diuus Augustinus lib. 1. de Genesi ad litter. cap. 18. rectè monet; *Vt in rebus obscuris, atque ab oculis nostris remotissimis, si quæ in Scriptura legimus, quæ possunt salua fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam illarum præcipiti affectione ita nos proijciamus, ne si forte diligentius discussa veritas eam labefactauerit, corruamus, non pro sententia diuinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eàm velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cùm potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.*

Denique illi tales, qui firmissimos exi-

exigunt assensus circa obiecta, quæ probabiliter non sunt de fide, nec exprimuntur in Sacra Scriptura, videntur omnino iniuriosi humano intellectui, maximæque imprudentiæ arguendi; exigentibus illis, quod non exigit Deus, qui non vult obligare homines ad actum fidei, dum habent iudicium probabile ad eum non teneri, vt docent communiter Theologi 22. agendo de euidentia credibilitatis. Hinc non mirandum quod Concilia, & Summi Pontifices rarissimè declarent aliquod pertinere ad fidem, ac sollicitè inuestigent, an illa quæ proponuntur damnanda tanquam contra fidē, sint reipsa talia, & an deducantur certè ex principijs, iam per fidem habitis, & vbi res non est explorata, relinquant libertatem in assentiendo, licet aliquandò proponant aliquam sententiam veluti probabiliorem, & aliquandò etiam iustis de causis prohibeant, ne aliqua opinio publicè defendatur. Quæ omnia vtinam intelligerent, seriòque meditarentur omnes viri Theologi, tot enim non essent ita faciles in asserendis opinionibus suis tanquàm de fide, & è Sacra Scriptura habitis, & in damnandis aliorum opinionibus tanquàm illis contrarijs; hinc Theologiæ etiam ipsi maior conciliaretur honor, nec hæreticis daretur occasio tam sępè detrahendi Scholasticis Theologis; Sanctorumque Patrum vestigijs Augustini, præsertim & Thomæ fidelius insisteretur, qui in hac re, quod passim docuerunt verbo, firmauerunt exemplo.

Sanctus enim Augustinus, & fidelis eius discipulus ac imitator S. Thomas fuerunt semper parcissimi in condemnādis aliorum sententijs, tanquam Sacræ Scripturæ dissonis, maximè si hi forent insignes pietate ac doctrina, vt facile constabit per singula eorum opera discurrenti.

Sanctus Thomas 1. parte q. 74. art. 2. quærens an omnes creationis dies fuerint vnus, licet optimè sciret cæteros omnes fermè interpretes dissentire, & maximè id Sacris consentire litteris; in gratiam tamen Diui Augustini contrarium sentientis eam non damnat; imò potius, vt neutri sententiæ præiudicetur, vtriusque rationibus respondendum esse ait. Vbi Caietanus prudentissimè ait. *Cognosce S. Thomæ tàm magnam reuerentiam erga Sanctorum dicta (ergò multò magis erga Sanctos ipsos) tàm magnum ingenium, dum in calce corporis dicit, vt neutri sentētia praeiudicetur, vtriusque rationibus respondendum est. Morem modestissimum, ac ingeniosissimum, similem vbique videbis in D. Thoma erga sanctos, sanctorumque dicta, disce hinc & ea.* Et in appendice, *ex articulo habes primò, quomodo per rationem ostendas Doctores Catholicos posse inter se diuersa sentire, etiam in exponendo aliquem locum Sacræ Scripturæ, & tamen cum hoc adhuc remanere Catholicos, &c. Secundò habes, quomodo per rationem declares, quod talis citra fidei detrimentum Catholicorum Doctorū varietas astruit dignitatem Scripturarum, dum eumdem locum litterales etiam sensus plures compati ac gignere monstrat (supra quæst. 1. art. 10.) astruit & dignitatem Ecclesiæ de qua in Psalm. 44. pro laude magna dicitur, astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, & circumamicta varietatibus.*

Iterum 1. parte quæst. 61. artic. 3. quærens vtrum Angeli sint creati ante mundum corporeum, licet negatiuam partem Patrum Latinorum, vt probabiliorem amplectatur, adducto loco scripturæ Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*; contrariam tamen non damnat, pręcipuè propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius, inquit, tanta in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis vt Hieronymus dicit. Vbi Caietanus ex hoc quod S. Doctor in solutione ad tertium, iuxta opinionem Gręcorū glossat saluando Scripturam de possibili; *Disce*, inquit, *vndè aliquid sit hæreticum, vel intolerabile. Hæreticum ergò illud esse dic, quo posito Scripturę sensus verus tollitur; tolerabile autem, quo posi-*

posito Scripturæ sensus verus absolutè non tollitur, quamuis sensus à pluribus etiam sanctis Scripturæ datus tollatur. Solius enim Romanæ Ecclesiæ est dare sensum Scripturæ ita verum, atque Catholicum; vt contrarius sensus Scripturæ datus sit hæreticus. Et in appendice, *habes primò, quomodo per rationem ostendas, quod multa Scripturarum testimonia possunt stante fide, dupliciter exponi; quamuis melius in vno sensu, quam in alio.* Esse autem Græcorum sententiam probabilem, ac tolerabilem concedit in conclusione S.Thomas, vt notat Caietanus, quamuis verba Concilij Lateranensis, quę habentur in decretali prima, vbi dicitur. *Vbi est Deus &c. is ab initio temporis simul vtrãque de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem*; faciant sine dubio probabiliorem Latinorum opinionem. Imò opusculo 15. cap. 17. loquens de hac ipsa quæstione, vbi sententiam Augustini de creatione Angelorum simul cum creatione rerum corporalium attulisset, simulque Basilij, Damasceni, & Hieronymi de eorum antecedenti creatione, non solum ait. *Neutrum autem horum existimo esse sanæ doctrinæ contrarium, quia nimis præsumptuosum videtur asserere Sanctos Patres à sana doctrina pietatis deuiasse*; Verùm etiam ambarum opinionum probabilitatem ostendere conatur subdens. *Sententia Augustini magis videtur competere sententiæ eorum, qui ponunt in rerum productione non fuisse temporis ordinem secundum numerum dierum senarium, quos Scriptura commemorat, sed illos sex dies refert Augustinus ad intelligentiam Angelicam sex rerum generibus præsentatam. Sententia verò Gregorij Nazianzeni, Hieronymi & Damasceni conuenientior est secundum eorum positionem, qui ponunt in rerum productione successionem temporis secundum sex dies prædictos. Si enim creaturæ non fuerunt omnes simul productæ, satis probabile est creaturas spirituales omnia corpora præcessisse. Si verò quæratur vbi creati sunt, & cæt.*

Insuper quæst. 4. de potentia art. 1. quærens. *Vtrum creatio materiæ informis præcesserit durationem rerum*, & volens interpretari illud Genes. 1. *Terra autem erat inanis & vacua*, in corpore articuli sic habet. *Dicendum quod sicut dicit Augustinus 12. confessionum circa hanc quæstionem potest esse duplex disceptatio. Vna de ipsa rerum veritate; Alia de sensu litteræ, qua Moyses diuinitus inspiratus principium mundi nobis exponit. Ad primam disceptationem duo vitanda, quorum vnum est, ne in hac quæstione aliquid falsum asseratur, præcipuè quod veritati fidei contradicat; aliud est ne quicquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere, hoc ad veritatem fidei pertinere, quia vt Augustinus dicit 10. Confess. Obest si ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitratur falsum, scilicet quod credit, & pertinacius affirmare audeat, quod ignorat. Propter hoc autem obesse dicit, quia ab infidelibus veritas fidei irridetur, cum ab aliquo simplici, & fideli, tanquàm ad fidem pertinens, proponitur aliquod, quod certissimis documentis ostenditur esse falsum, vt etiam dicit lib. 1. super Genes. ad litteram. Circa secundam disceptationem, duo etiam sunt vitanda, quorum primum est, ne aliquis, id quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturæ, quæ creationem rerum docet, debere intelligi, Scripturæ enim diuinæ à Spiritu Sancto traditæ non potest subesse falsum, sicut nec fidei, quæ per eam docetur. Aliud est, ne aliquis ita Scripturam ad vnum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui veritatem in se continent, & possunt salua circumstantia litteræ Scripturæ aptari, penitus excludantur, hoc enim ad dignitatem diuinæ Scripturæ pertinet, vt sub vna littera multos sensus contineat, vt sic & in diuersis intellectibus hominum conueniat, & vnusquisque miretur se in diuina Scriptura posse inuenire veritatem, quàm in mente conceperit. Et per hoc etiam facilius contra infideles defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Vnde non est incredibile Moysi, & alijs Sacræ Scripturæ aucto-*

auctoribus hoc esse diuinitus concessum, vt diuersa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub vna serie litteræ designarent, vt sic quilibet eorũ sit sensus auctoris: vndè si etiam aliqua vera ab expositoribus Sacræ Scripturæ litteræ aptentur, quæ auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor Sacræ Scripturæ. Vnde omnis veritas, quæ salua litteræ circumstantia, potest diuinæ Scripturæ aptari, est eius sensus. His ergò suppositis sciendum est, quod diuersi expositores sacræ Scripturæ diuersos sensus ex principio Genes. acceperunt, quorum nullus fidei repugnat, &c. Et post multa in fine corporis concludit; *Quia ergo neutrum à virtute fidei discordat, & vtrumque sensum circumstantia litteræ patitur, vtrumque sustinentes ad vtrasque rationes respondeamus*; hęc ibi modestissimè, & ingeniosissimè D. Thomas.

Tandem lib. 2. contra Gentes cap. 7. vbi contendit probare contra Auerroem iuxta Aristotelem cęlum esse animatũ, subdit. Hoc autem quod dictum est de animatione Cæli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, siue sic, siue aliter dicatur; & tamen D. Thomas non ignorabat SS. Patres fuisse communiter in opposita sententia, & quo ad animam saltem intellectiuã recessisse fermè vnanimiter ab Origenis sententia. Et licet 1. parte q. 70. art. 3. absolutè pronuntiet Cælestia corpora non esse animata, id tamen haud asserit spectare ad fidem, imò potius contrarium, dum in corpore articuli ait, circa hoc non solum apud Philosophos, verum etiam apud Doctores fidei fuisse diuersas opiniones. En qua modestia, & cautela vsus est semper Angelicus Doctor in damnandis, tanquam contra fidem & Scripturas, aliorum opinionibus.

Assertio secunda; Non solum sensus litteralis, sed etiam spiritualis, ac mysticus valet ad stabilienda fidei dogmata, certasque & irrefragabiles probationes faciendas, si semel nobis de illo certò constiterit. Ista conclusio debet etiam esse certa; vt enim dicemus Deo dante libro sequenti, non solum sensus litteralis, sed etiam spiritualis, & mysticus qui sit verè, ac propriè talis, est intentus à Spiritu Sancto; ergò cum veris non possit nisi verum, firmumque concludi, vbi semel aut Ecclesiæ authoritate, aut traditione, vel alijs etiam Scripturis, clarè nobis ac certò constiterit de sensu mystico alicuius Sacrę Scripturæ loci, irrefragabilem profectò habebit authoritatem in probationibus Theologicis. Vndè Christus Dominus, & Apostoli, qui mentem Spiritus Sancti in Sacris Scripturis perspectam habebant, multoties ex earum sensu mystico argumenta desumpserunt ad confirmanda fidei nostræ dogmata; vt cum Christus Dominus, Legem, Prophetas, Psalmos de seipso locutos esse testatur, & iterum incipiens à Moyse interpretabatur discipulis Scripturas, quæ de ipso erant. Certum est enim non omnia litteraliter accipi posse. Sic vnitatem indissolubilem coniunctionis Christi cum Ecclesia ex matrimonio Apostolus probat, *Sacramentum hoc magnum est*; Ministros Euãgelicos sua mercede dignos esse, ex illo loco, *non alligabis os boui trituranti*, & tandem quod omnia in figuris contingebant illis, apertè tradit.

Quandò ergò D. Dionysius in Epistola ad Titum ait, *Theologiam Symbolicam non esse argumentatiuam*, siue quod idem est, non posse duci certum argumentum ex sensu Scripturæ mystico, quod etiam docere videtur D. Hieronymus in cap. 13. S. Matthæi, vbi relata expositione eorum, qui per sata tria Sanctam Trinitatem interpretabantur, subiungit, *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere*. Et S. Augustinus Epistola 48. *Quis non*, inquit, *impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura*? Vnde lib. de vnitate Ecclesiæ

cap. 14. & 19. cum Donatistæ suam hæresim ex illis verbis Cantic. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*, stabilire conarentur, quod Ecclesia remãsisset in parte Donati in Africa, non aliter eos reijcit, quàm quod Symbolicè arguerent.

Hæc, inquam, & alia plura similia Sanctorum Patrum testimonia non ita sunt intelligenda, vt existimetur, semper duci firmum argumentum ex quocumque sensu litterali, & nunquam posse ex aliquo spirituali. Quandò enim certò constat aliquem sensum spiritualem esse à Spiritu Sancto intentum in aliquo Scripturæ loco, profectò non est ratio, cur firmissimum ex illo deduci non possit argumentum. Imò vt hoc certum est, ita etiam contra accidit aliquãdo, vt non possit desumi firmum argumentum ex aliquo sensu litterali, si propter obscuritatem sacrarum litterarum, aut rerum significatarum altitudinem, sit aliquandò obscurus, ac dubius, vel si plures sensus assignentur, incertum sit, num omnes illi, vel aliqui eorum tantùm quadrent in aliquem locum, ac proinde, nùm omnes fuerint à Deo ipso intenti; vel denique si sensus litteralis contineat aliquod absurdũ; sic D. Augustinus lib. de doctrina Christiana c. 6. ait. *Vbi Scriptura flagitium, aut facinus iubet, aut virtutem vetat, figurata est locutio*. Exempli gratia, quando dicitur, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum*. Hoc spiritualiter, & figuratè, non autem realiter est intelligendum. Item, *Qui non odit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam amat, non est me dignus*. Figurata est locutio; non enim fas est odisse parentes suos, & vitam propriam, tantùmque vult Christus, vt eos, & eam in amore Deo non præferamus.

Discrimen igitur inter sensum litteralem, & mysticum seu spiritualem in ordine ad probationem certam, iuxta SS. Patrum mentem in eo consistit, quod ordinariè, & vt plurimum sensus spiritualis præbere non possit Theologis argumentum infallibile, secus vero litteralis maximè quando est proprius. Etsi enim sensus mysticus æquè ac litteralis sit à Spiritu Sancto intentus, atque adeò infallibilem in se cõtineat authoritatem, tamen, quòd respectu nostri longè facilius, ac frequentius constet de sensu litterali, quàm de spirituali; hinc est, quod etiam ordinariè, & vt plurimum vtamur in arguendo litterali sensu, non autem spirituali. Vt enim constet de sensu litterali duplex via suppetit generatim loquendo; Vna est significatio ipsa vocabulorum, ex qua plerumque in vnoquoque idiomate scitur euidenter, quis sit sensus litteralis alicuius loci, quia posita semel vocum significatione ex libera hominum impositione, est iam ex natura sua determinatus, atque adeò nobis clarior, & manifestior. Altera via est cognitio aliarum sententiarum Scripturæ, itemque doctrinæ Ecclesiæ, per quarum collationem, sæpè intelligitur certò quis sit sensus litteralis. At verò sensus mysticus, cùm non dependeat immediatè à vocibus, sed à rebus per voces significatis, quæ sunt aliarum rerum signa plerumque obscura, & dubia, quia incerta, & indeterminata ex natura sua, iam ex illo capite non potest esse nobis ita notus, neque consequenter ex natura sua, & ordinariè sensus fidei, qui esse debet indubitatus, & secundum se, & respectu nostri, vt certam ex illo probationem faciamus.

Quod totum eleganter explicuit D. Thomas quodlibeto 7. quæst. 6. ad 4. *Non est*, inquit, *propter defectum authoritatis, quod ex sensu Spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis in qua fundatur spiritualis sensus: vna enim res pluribus similis esse potest: vnde non potest ab illa quandoque, scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinatè; sed est fallacia consequentis, v. g. Leo propter aliquam similitudinem significat Christum, & diabolum, vndè per hoc, quod aliquid de Leone dicitur in sacra scriptura, ad neutrum potest fieri processus in sacra scriptura argumentando*. Quod ergò sensus mysti-

mysticus nō possit esse plerumque principium Theologicarum demonstrationum non est propter defectum authoritatis, quasi sensus mysticus non sit sensus scripturæ, & Spiritus Sancti, sed ex nostra dumtaxat ignorantia, quà semel superatâ, negari non potest, quin etiam efficax argumentum ex intelligentia spirituali desumi valeat: sed de his fusius libro sequenti.

CAPUT II.

De probatione Theologica desumpta ab auctoritate sacrarum traditionum.

CVm inter sacras traditiones ex dicendis libro sequenti, aliquæ sint diuinæ, quæ à Christo Domino emanarunt, vel immediatè ipsas docente, vel mediatè, ita quod Apostoli ex peculiari instinctu vel mandato illius eas Ecclesię tradiderint conseruandas; nemini dubium esse potest, quin vt eiusmodi traditiones omnimodam habent immobilitatem, si quidem sunt ipsummet ius diuinum, ita etiam in probandis veritatibus Theologicis omnimodam faciant certitudinem: Attamen quemadmodum ad certam ex scriptura probationē suæ requiruntur circumstantiæ, & conditiones; ita similiter vt probatio per traditionem sit certa, & indubitata aliquas certas exigit conditiones præsertim sequentes.

Primò debet certò cognosci, quænam sit vera Ecclesia, & quod à tempore Christi vsque modo semper fuerit, nec vnquam defecerit: quodque Spiritus Sanctus semper in illa manserit, docendo illam omnem veritatem; tandem quod in rebus fidei nullatenus errare potest, cum sit columna, & firmamentum veritatis. Secundò debet euidenter per sensum cognosci, quod Ecclesia illa vera talem modo propositionem vt certam de fide tenet; v.g. quod sanctissima Christi Domini mater fuerit virgo ante partum, in partu, & post partum, & similia. Tertio debet euidenter per sensum, & intellectum cognosci, quod Ecclesia vera, ideo dictam veritatem vt de fide certissimam amplectitur; non quia in scriptura clarè, vel explicite contineatur; sed quia de illa per traditionē opera Spiritus Sancti continua successione conseruatam edocta est; de qua traditione à sacris etiam doctoribus testimonium habet; positis, inquam, omnibus illis conditionibus, certisque cognitionibus, de quibus fusius libro sequenti, diuinæ traditiones certam & indubitatam probationem facere possunt.

Cæterum vt probatio per traditionem est certa, cum habet cōditiones iam dictas; ita cum non habet illas, & tamen ex alio capite habet rationabile aliquod fundamentum veritatis, topica tantummodo, vel probabilis erit: si enim traditio proponat rem, non vt certam de fide, profectò per illam nō poterit probari, quod veritas de fide sit; in quo autem gradu veritatis sit doctrina per traditionem probata, an probabilitatis, vel quid amplius, standum est iudicio, & determinationi Ecclesiæ; cuius est de vero gradu veritatis iudicium ferre, definitiuamque dare sententiam; quod cū ipsa non vult facere, neque doctores aliqui particulares debent id præstare; de quo redibit sermo vltima huius libri sectione, vbi agendo de varijs propositionum censuris, breuiter ostendemus, quā grauiter peccent authores illi, qui proponunt absolutè tanquam de fide, tanquam erroneas, vel temerarias opiniones, de quibus est lis inter celebres doctores, an sint tales.

Igitur qua ratione ex dicendis libro sequenti circa traditiones diuinas versari possunt plures opiniones probabiles, plura etiam probabilia dumtaxat ex illis desumi possunt argumenta ad probandam aliquam Theologicam veritatem. Tales autem opiniones probabiles circa traditiones sunt. *Primò* quod hæ sint tales, & quod non sint tales. Secundò quod aliquæ sint Ecclesiasticæ, & non Apostolicæ; aliquæ Apostolicæ, & non

non diuinæ, vel è contrà. Dicuntur *Diuinæ* quæ à Christo Domino emanarũt, vt in principio huius capitis monuimus, & hæ omnimodam habent immutabilitatem, faciuntque irrefragabilem probationem, cum sint ius diuinum, æquaque fides illis tribuenda sit, ac ipsimet diuinæ scripturæ. Apostolicæ sunt, quas ipsimet Apostoli vt supremi Ecclesiarũ pastores, & Prælati Apostolica auctoritate seruandas iusserunt; & hæ simpliciter loquendo possunt immutari, & abrogari à quocumque Pontifice, qui non minorem habet auctoritatem in Ecclesiam, quàm habuerint Petrus, & alij Apostoli. Ecclesiasticæ tandem vocantur, quæ Romanorum Pontificum, veterumque Patrũ auctoritate introductæ sunt, vniuersa suscipiente illas Ecclesia; & hę absque dubio facilius mutari, ac tolli possunt, certamque de fide probationem non faciunt, sicut nec præcedentes. Cum ergò contingere possit, quod aliquæ traditiones, quæ dicuntur diuinæ, sint verè Apostolicæ, vel è contra, has siquidem voces aliquando confundi docet Suares disput. 5. de fide, & dicemus infra, tertiò quod aliquæ non sint vt tales traditæ ab omnibus Patribus, vel à communi Patrũ sensu; aliquandò enim Patres dissentiunt nonnulli, etiam celebriores; vel solum vt probabilem talem traditionem appellant, nec asserunt illam pertinere ad dogma fidei; in his & similibus casibus, satis patet argumentum ab authoritate sacrarum traditionum desumptam certam, & irrefragabilem non posse facere probationem.

CAPVT III.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate Vniuersalis Ecclesiæ.

SVpposito ex dicendis libro sequenti, quod quidquid vniuersa planè recipit Ecclesia tanquàm pertinens ad dogma fidei, vel morum sit certa fide tenendum, nec materialiter possit falsum esse: si quidem Ecclesia toto orbe diffusa in rebus ad salutem necessarijs non potest errore culpabili errare, siue sentiendo, siue definiendo aliquid fidei, aut bonis moribus contrarium; nec etiam errore inculpabili, credendo nempè aliquid esse de fide, quod non est, vt animas purgatorij esse salutis incertas, vel aliquid non esse de fide, quod re verà est, vt sub speciebus Eucharisticis contineri realiter verũ Christi corpus; hoc, inquam, supposito, tanquam indubitato apud Catholicos aduersus hæreticos, nulli dubium esse potest, quin vniuersalis Ecclesiæ consensus in aliquo tanquam in fidei dogmate, vel per fidem certo, sit efficacissimum medium ad certam etiam & inconcussam probationem in omnibus controuersijs Theologicis.

Verùm quia infallibilitas Ecclesiæ, siue in credendo, siue in definiendo versatur tantùm circa ea quæ ad salutem, & religionem pertinent: non autem circa ea, quæ sunt ad eam indifferentia, & ex quarum ignoratione cuiuslibet Catholici salus non periclitatur: cuius generis sunt veritatum naturalium, politicarum, medicarum & similium definitiones; cum enim Christus promisit Spiritum Sanctum docturum Apostolos (& consequenter Ecclesiam) omnem veritatẽ, hoc solùm de rebus ad salutem, & religionem Catholicam spectantibus debet intelligi, nec ad quamlibet veritatem absolutè extendi; quia, inquam, infallibilitas Ecclesiæ sic se habet, hinc est primò quod authoritas Ecclesiæ non certam semper, sed quandoque probabilem tantùm facere potest probationem; v.g. in casu, quo aliquid ex supradictis rebus definiret: vt aliquam stellam esse maiorem tota terra, cælum in hæc inferiora tales habere influentias, aut Alchimistas verum aurum producere; adeo vt non esset hæresis, neque error, aut temeritas saltem Theologica aliquid in contrarium sentire.

Insuper quia in rebusmet fidei, & morum possunt multa suboriri rationabilia dubia, circa consensum vniuersalis

lis Ecclesiæ, hinc etiam est quod in eiusmodi rebus probabilem dumtaxat, & non omnino certum generare possit assensum Ecclesiæ authoritas ? Primò potest dubitari, an sit planè hic consensus omnium fidelium ? existimarique potest, si vel vna religio ex multis pijs, ac doctis viris constans, vel academia celebris inter Catholicos aliquod non reciperet vt de fide, haud posse dici vniuersalem plane Ecclesiæ consensum, adeoque posse saltem in foro interiori contrariæ opinioni (quæ supponitur nõ damnata, vel à Concilio, vel à Pontifice) assensum alios quoque præstare; esset enim probabile quod non esset obligatio ad credendum id, tanquàm de fide. Secundò sæpe euenire potest vt fideles, vel Ecclesia quæ est fidelium collectio amplectatur aliquid solùm, vt opinionem probabilem, vel etiã vt probabiliorem; & in hoc casu haud certã, sed probabilem tantùm, vel probabiliorem faceret opinionem vniuersalis Ecclesiæ consensus; cùm enim dicitur Ecclesiam vniuersalem errare non posse, atque adeo eius consensum certissimum esse medium ad probationes Theologicas, sẽsus est, vt iam notauimus, id quod tenent omnes fideles, tanquam de fide, necessario esse verum, & de fide; & similiter id quod docent omnes Episcopi, tanquàm ad fidem pertinens necessario esse verum, & de fide. Certè si ignorantia quandoque populi, aliquandò ex pietate alicui effato fidem præstãt etiam firmissimam: nec tamen ex hoc fit illud obiectum infallibilis veritatis, nec vllus assensum fidei diuinæ circa illud tenetur elicere, imò peccaret, si consultò firmissimum omnino assensũ, qualem elicit circa fidei obiecta, circa illud præstaret: multo magis id verum erit, si aliquid Ecclesia tanquàm probabile, vel probabilius tantùm putet. Hinc rectè notat Cardinalis de Lugo disp. 20. de fide sect. 3. numero 128. cum ex cõsensu Ecclesiæ fundamentum accipiunt Summi Pontifices, & Concilia generalia ad definitiones fidei faciendas, non posse id prudenter colligere ex solo cõsensu formidoloso, siue ex sola opinione habita vt opinione.

Itaque vt certò constet aliquid esse necessario ex fide tenendum, nec solum probabiliter iuxta fidem, ex vniuersali Ecclesiæ consensu, & vsu, diligenter expendendum est, quo animo, & mente omnes fideles idem sentiant, ac faciant; nam si conueniant in dogmate aliquo, aut vsu alicuius rei tanquàm necessario, & à Deo reuelato, à Christo instituto, & ab Apostolis vt tali tradito, hoc ipso censendum est talem consensum & vsũ pertinere ad fidem. Si verò vsus non hoc animo fiat, sed ob alias causas rationabiles; tunc non potest sumi argumentum positiuum ad probandum eiusmodi vsum esse necessario ex fide tenendũ, sed solum non esse contra fidem. Qua ratione ex vniuersali vsu Ecclesiæ Catholicæ communicandi sub vna tantum specie panis eos qui non conficiunt augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, non colligitur de fide, aut diuino præcepto necessarium, vt ita fiat, sed solum non esse contra fidem, aut Christi institutionem; quia etsi Christus Dominus instituerit Sacramentum Eucharistiæ in duabus speciebus panis scilicet & vini, eius tamen communionem sub vtraque specie, non præcepit omnibus, & singulis; sed Ecclesia tantùm rationabiles ob causas pro diuersitate temporum, voluit illam aliquandò esse in vsu, aliquando non. Sic, vt olim Manichęi latitantes inter alios fideles facilius deprehenderentur, qui inter cætera vinum execrabantur tanquam rem per se malã, ideoque sub vna tantùm specie accipiebant Eucharistiam, vt, inquam ad hunc finẽ, talisque hęresis detestationem communionem sub vtraque non solum permisit, sed etiam præcepit Ecclesia; iisdem rationibus posset adhuc illam concedere; verùm quia non vrgent amplius rationes illæ; imo sunt omnino contrariæ, omnibus nostrorum temporum hęreticis affirmantibus vtramque speciem, tanquam omnino necessariam requiri, hinc

hinc ad illius hęresis detestationem, quandò nullum aliud esset motiuum, prudenter Ecclesia facit, vt non liceat accipientibus hoc Sacramentum laica communione, illud sub vtraque specie accipere; sicut rectè olim Concilium Toletanum, & S. Gregorius epistola ad Leandrum prohibuerunt ne deinceps Baptismus fieret cum Trina immersione propter Trinitarios; sicut item propter Manichæos, qui diebus Dominicis ieiunabant, fuit prohibitum ne amplius ieiunaretur istis diebus, vt patet ex S. August. epistola ad Cassulan. sed de his satis.

CAPVT IV.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate Summorum Pontificum.

SVpposito quoque ex dicendis libro sequenti sectione quarta, quod iuxta veram sententiam Summus Pontifex Romanus independenter à Cõcilio Generali, seorsimque ab illo gaudeat priuilegio infallibilitatis; quodque eiusmodi infallibilitas non solùm sit in dubijs fidei quæstionibus definiendis; verùm etiam in decretis morum; ac speciatim in religionum approbatione, Sanctorumque canonizatione; supposita, inquam, veritate huius sententiæ, nemini dubium esse potest, quin argumentum ab authoritate Summi Pontificis Romani circa dictas res desumptũ faciat probationem Theologicam certam, & indubitatam.

Hoc tamen non impedit, quominus aliquando decreta Pontificia etiam ad fidem, & bonos mores spectantia probabilem tantùm, aut probabiliorem faciant probationem, non autem omninò certã certitudine fidei; secundùm quod circa Pontificiam authoritatem plures esse possunt opiniones probabiles; vel etiam stante illius certitudine, rationabiliter dubitari potest, nùm illa voluerit in aliquo casu vti, & ex cathedra, vt loquuntur, aliquid definire.

Primum igitur vt certam & irrefragabilem ex infallibili, qua Summus Põtifex authoritate gaudet, probationem habeamus, certò constare debet nùm illa de facto vsus fuerit ex cathedra aliquid docendo; quem in finem diligenter obseruandæ sunt sequentes regulæ, nam iuxta illas vel certus, vel probabilis duntaxat erit Decretorum Pontificiorũ sensus, & consequenter certum, vel probabile tantùm depromptum ex illis argumentum.

I. Si Pontifex circa particularem meri facti; nullumque nexum cum iure habentis quæstionem, seu quod idem est, circa materiam negotij alicuius particularis determinandam, versetur, vt sæpe contingit; aut si versetur circa materiam fidei & iuris, id agat solùm per modum priuati commentatoris, & Scriptoris; pro vt in pluribus Summis Pontificibus, Leone & Gregorio cognomento Magnis, Innocentio IV. Adriano VI. & alijs huius rei exemplum habemus. Circa primam enim materiam Summus Pontifex priuilegium infallibilitatis nõ habet, ac proindè definire infallibiliter non potest; circa secundam autem, etsi habeat, illo tamen non vtitur, nec definit tunc vt Pontifex aliquid à tota Ecclesia obseruandum, sed potius vt priuata persona, aliusue scriptor particularis, ea quæ sibi videntur veritati conformiora docet; secundum quam rationem satis patet, non omnia ab illo scripta debere esse vera & indubitata, quasi à Põtificia authoritate emanantia. Quãtumuis enim probabile existiment, aliqui Summum Pontificem etiam vt priuatam personam, priuatim hæreticum esse non posse, de quo redibit sermo libro sequenti, omnes tamen Theologi constanter asserunt eum, vt priuatam personam, atque etiam vt doctorem particularem, non minus ac alium hominem, in agendo, in opinando, ac tùm voce, tùm scriptis, seu editis libris docendo (seclusa hęresi) labi & errare posse.

II. Si

II. Si in materia fidei Summus Põtifex aliquod edat decretum, vt supremus Ecclesiæ Pastor, attentè ex circumstantijs, occasione videlicet talis decreti, verbis illius, quæstione proposita, ceterisque huiusmodi considerandum erit, quidnam directè docere, seu determinare intendat Pontifex. Illa enim quæ in rei definiendæ probationem, & confirmationem, aut alias obiter solum & incidenter afferuntur, non cadunt sub eiusmodi definitionem; nec ad ea credenda censetur Papa velle vniuersam obligare Ecclesiam. Qua etiam de causa per se non habent tantam authoritatem, quin subinde aliquid falsi in illis reperiri possit. Cuius rei exemplum communiter adduci solet ex cap. *A quodam Iudæo*, de consecratione, distinct.4. nec non ex secundo Concilio Nicæno, quod fuit septimum vniuersale, vbi contra Iconoclastas verissimè definitum est, Angelos esse pingendos, quamuis ratio, ex qua ad istam definitionem Conciliũ processit, nempè, quia ipsi sunt corporei, sit omnino falsa; licet enim certissimum sit eos in diuinis scripturis corporaliter apparuisse, nihilominus falsissimum est verè corporeos esse. Nec vllum indè sequitur inconueniens, si quidem, vt dicemus libro sequenti agendo de infallibilitate tùm Summi Pontificis, tùm Conciliorum Generalium in rebus fidei decidendis, diuina prouidentia aliter se habet respectu consultationis præuiæ ad definitionem, & aliter respectu conclusionis, seu definitionis ex illa resultantis; sinit enim ipsa interdum consultationibus, siue rationibus, quæ ad eruendam conclusionem assumuntur, falsum obrepere; nunquam tamen id in conclusione, aut in definitione permittit; quod euidentissimum est argumentum singularis Dei assistentiæ, qui solus nouit ex malo bonum elicere, & ex falso principio veram definitionem producere, vt in dies facit ex tenebris lumen ipsum splendescere.

III. In ipsa directa responsione, vel definitione circa res fidei, ponderanda sunt accuratè eius verba. Nam si apertè dicat, id esse dogma fidei, aut contrarium repugnare verbo Dei, vel esse hæreticum, seu in fide erroneum; aut alioqui vtatur verbis præceptiuis, quibus ab vniuersa Ecclesia ita sentiendum esse mandetur; ac præcipuè si anathemate aliter sentientes, vel credentes feriantur, manifestum est signum, Summum Pontificem id ipsum ex cathedra definijsse: secus autem si tantùm prohibeat contrarium doceri, etiam sub excommunicationis vinculo, id enim vniuersim non sufficit, ad certo explorandum argumento aliquam fidei definitionem. Eadem ratio est, quotiescumque ex verborum tenore, aut alijs circumstantijs colligi potest, eum priuatum duntaxat ferre iudicium, aut proponere aliquid solum tanquam doctrinam, probabilem, vel probabiliorem; vt enim optimè aduertit Eminentissimus Cardinalis de Lugo tract. de fide disp.20.sect. 3.numero 129.licet piè credi possit, nũquam Deum permissurum, quod Summus Pontifex, vel Ecclesia vniuersalis approbet, & proponat omnibus fidelibus, tanquàm probabiliorem, doctrinam aliquam, quæ à parte rei falsa existat, id tamen non repugnat ex principijs intrinsecis, neque ex aliqua Dei promissione huc vsque facta, id potest satis colligi; atque adeò cùm Pontifex declarat aliquam opinionem esse probabiliorem, non extrahitur contraria à statu opinionis, ita vt qui eam teneat, vel asserat, censura aliqua Theologica, vel temeritatis nota dignus sit; nec, nisi id exprimat, prohiberi, ne quis contrarium teneat, vel profiteatur; & si hoc etiam exprimat, non prohiberi actum internum, quia dum non censuratur doctrina ipsa, sed manet intra terminos opinionis, licet minus probabilis, non esse peccatum graue assensum merè internum cõtrariæ sententiæ præbere. Ita præfatus Cardinalis. Certum est enim remanente alicuius sententiæ probabilitate, atque adeò non prohibito circa illam assensu interno, posse aliquando Summum

Ponti-

Pontificem prohibere actum externum, vel vsum illius circa talem opinionem, ad tollendas seditiones & rixas, quæ inde inter Catholicos oriri possent, qui tunc obedire tenentur. Similiter Tannerus 22. *disput.* 1. *de fide quæst.* 4. *dub.* 7. *num.* 281. docet in non spectantibus ad vniuersale bonum Ecclesiæ, sed alicuius priuatæ tantum, præsertim in decretis morum, non posse Pontificem errare, solum esse pium ita credere.

IV. Circa ipsum formale decretum constitutionis, vel definitionis, diligenter obseruandum est, an id legitimè & sufficienter fuerit promulgatum; atque etiam an tempus eiusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id refigeretur, seu retractaretur. Etenim vt notat Vasques 12. tomo 2. disp. 155. n. 15. id obseruant Summi Pontifices in curia Romana, vt nondum intelligantur loqui de sede Petri, tanquàm Iudices, & Pontifices in legibus & canonibus ferendis etiam si eos imprimi iubeant, donec ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ solemniter publicentur, & exemplar vnum in columna illius campi, nec non aliud ad valuas S. Petri per aliquod temporis spatium affigatur. Additque idem Vasques, accidere etiam interdum, vt in legibus ac bullis impressis dicatur: *Publicatæ tali die*; & tamen nunquam fuerint solemniter promulgatæ; quare nec tum vim legis habebunt; quod enim habeatur, *Publicatæ tali die*, legaturque in ipsa impressione subscriptio cursorum, hoc fit per anticipationem à Typographo, ita iubente Pontifice, ne impressio tardetur. Ex hac regula Tãnerus loco citato dub. 6. nu. 264. satisfacit difficultati de Biblijs Sixtinis à Clemente VIII. suppressis & emendatis, quod decretum à Sixto V. suis Biblijs pręfixum, nunquã fuerit plenè promulgatum, sed tempestiuè reuocatum: ipso etiam Sixto V. animaduertente, non pauca in ea irrepsisse, quæ iterata indigerent diligentia; adeò vt totum opus sub incudem reuocandum censuerit, atque decreuerit, etsi id morte præuentus præstare non potuerit, vt in præfatione Bibliorum Clementinorum legitur.

Secundò, quia non pauci doctores ita Summo Pontifici singularem non errandi prærogatiuam in rebus fidei & religionis attribuunt, vt tamen eas definiturus teneatur, pro cuiusque grauitate, ad veritatem inuestigandam, debitam adhibere diligentiam, communes fidei regulas consulendo; viros doctos, præsertim è Cardinalium & Episcoporum cœtu in consilium vocando; diuinum auxilium implorando, tùm per publicam, tùm per priuatam precum indictionem: Quia, inquam, ex multis doctoribus, tales aut aliæ similes diligentiæ à Summo Pontifice ex cathedra docente præmitti debent, nihil enim Deus in hoc iudicio grauissimo temerè vult agi, indè colligunt aliqui alij, haud infallibile illud fore, si dictas omittat diligentias, aut fidelibus certò de illis non constet. Verùm hęc consequentia est illegitima, & à sensu præfatorum doctorum omnino aliena, quorum aliqui existimant dictas omnes diligentias solùm ad hoc esse necessarias, vt Pontifex licitè & absque peccato, non autem vt infallibiliter definiat; quare tametsi posset peccare, si absque collatione cum suis consiliarijs, aliquid de fide statueret se solo; tamen definitio esset valida, si fieret ex cathedra; hoc est, si veritatem à se solo discussam, proponeret omnibus fidelibus cum onere eam per fidem credendi: Id enim est loqui ex cathedra in sententia illorum doctorum. In alia quoque eorum, qui inter conditiones ex parte Summi Pontificis requisitas, vt ex cathedra loqui dicatur, admittunt necessariò præuium fratrum consilium, nihil authoritati Pontificiæ, aut eius quo ad nos certitudini contrarium legitimè inferri potest; quandoquidem secundum talem sententiam fieri nunquã potest, vt Pontifex publicè definiat aliquid, in dubia religionis causa, quin dictam conditionem, aliasque omnes necessa-

cessariò à Deo in hunc finẽ præscriptas adimpleat; vt expressè docent Cardinalis Bellarminus lib.4.de Summo Pontifice cap.3. Bannes 22. quęst.1. art. 10. dubio 2. Gregorius de Valentia 22.q.1. pun.7. §.41. alijque recentiores communiter; qui proindè licet hypotheticam illam concedant, si Pontifex sine debita diligentia definiat, infallibiliter non definit, nunquam tamen idcircò concedunt antecedens: quo etiam in sensu loquuntur, debentq; intelligi duo præclarissima inclyti Ordinis Prædicatorum lumina Syluester Prieras in Summa V. *fides*, & in suo dialogo contra Lutherum, nec non Melchior Canus libro 5. locorum cap.5. vbi afferunt Papam in definiẽdo errare posse, si absque consilio doctorum virorum, & maturo iudicio definiat.

Quod si inquirat aliquis, quid si per impossibile Sũmus Pontifex tales omitteret diligentias, dicendum esset de eius infallibilitate? Responderi posset primò, quod vt in alijs casibus, dato semel aliquo impossibili, siue absoluto, siue conditionato plura sequi solent absurda & contradictoria, ita & in præsenti casu, vel hypothesi contingere posset: Secundò Deum solum certo scire, quid tunc accideret, cui soli perspectæ sunt conditiones, quibus necessariò, vel non, annexam esse voluit suam specialem assistentiam, vt ex ea Summus Pontifex infallibiliter definire dicatur. Tertiò respondeo, & hac ratione dissidentes inter se aliquorum doctorum sententias facile ad concordiam reuocari posse arbitror, distinguendo inter huiuscemodi conditiones, vel diligentias præuiè ad rerum fidei determinationem adhibendas, quarum aliquæ ita necessariæ videntur esse, vt si per impossibile à Summo Pontifice prætermitterentur, id sine errandi periculo fieri non posset, proindèque non exiguntur solùm vt licitè & absque peccato, sed etiam vt infallibiliter definiat; huius generis esse puto, accuratam rei definiendæ discussionem, consultis communibus fidei regulis, cuiusmodi sunt sacræ Scripturæ, traditiones Apostolicæ, præcedentium Pontificum, Conciliorumque Generalium ab illis confirmatorum decreta, consensus SS. Patrum aliorumque doctorum, consensus omnium fidelium, siue Ecclesiæ vniuersalis in rebus ad fidem pertinentibus. Cum enim, vt suppono tanquàm certissimum, Ecclesia nullis nouis reuelationibus gubernetur, nec propriè vllos nouos fidei articulos habere possit, inde sequitur opus esse, quod Summus Pontifex prçuiè ad suam definitionem, vel per se, vel per alios diligenter præfatas consulat regulas, ex quibus solis vera fidei doctrina erui potest.

Dixi sub disiunctione id necessariò præstari debere à Summo Pontifice, vel per se, vel per alios, quia vbi semel ipse implorato diuino auxilio rem totam solus discutere & examinare vellet, tunc collatio cum suis consiliarijs necessaria tantùm esset, vel ad melius esse, vel ad summum, vt licita ac legitima diceretur eius definitio. Vndè in hoc sensu vera est sententia illorum doctorum, qui asserunt præfatam collationem haud requiri necessariò ad infallibilem Summi Pontificis definitionem; quodque proindè, si ab eo per impossibile omitteretur, non propterea obnoxium fore lapsui, errandiue periculo: In alio autem sensu vera est aliorum sententia, qui loquuntur de dicta collatione in casu, quo Summus Pontifex rem definiendã nollet disquirere, quando eam docent necessariò ad definitionem prærequiri, quodque, si per impossibile non adhiberetur, se exponeret errandi periculo.

Ratio primi dicti est, quia Summus Pontifex se solo, independenterque à Concilio Generali, potest aliquid de fide statuere, ergò multo magis independenter à quibuscumque alijs cõsiliarijs, vbi rem voluerit per se discutere, consuetasque & communes fidei regulas consulere. Potestas enim docendi aliquid esse de fide, nititur eo Christi promisso, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & illo mandato *pasce oues* meas,

meas, vtique pabulo ſanæ doctrinæ; & illa rurſus ſponſione, *Rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; quæ omnia ſoli Petro, eiuſque Succeſſoribus dicta fuiſſe ſuo loco infra demonſtrabimus: Igitur licet Papa, poſſet forſan peccare, aut aliquo modo imprudenter agere, ſi abſque ſuorum conſilio, aliquid de fide ſtatueret ſe ſolo, tamen definitio eſſet valida, ſi fieret ex cathedra; hoc eſt ſi veritatem diligenter à ſe ſolo diſcuſſam, proponeret cunctis fidelibus cum obligatione eam credendi. Ratio autem ſecundi dicti, eſt ſuperius allata, quod Eccleſia nullis nouis reuelationibus regatur.

Vltimò nota, quando Summus Pontifex dictas diligentias per ſe ſolum preſtare nollet, eas quibuslibet committere poſſe, ſiue quod idem eſt, quoslibet viros doctos conſultores adhibere, nec ad conſultationem Cardinalium, aut Prælatorum Curiæ Romanæ neceſſario reſtringi, vt contra Caſtro lib. 1. de hæreſ. cap. 8. ex communi notarunt Canus & Gregorius de Valentia locis ſuperius citatis, nec non Tannerus diſput. 1. de fide queſt. 4. dub. 6. num. 236. ſed de his in præſenti ſatis, de quibus libro ſequẽti ſect. 4. fuſius Deo dante agetur.

CAPVT V.

De probatione Theologica deſumpta ab auctoritate Conciliorum tùm Generalium, tùm particularium.

VT ſemel authenticè conſtante, quod Concilium aliquod ſit vniuerſale, habeatque conditiones omnes ad illud requiſitas; quod ſit authoritate Summi Pontificis legitimè congregatũ, deinde confirmatum, & ſic de ceteris; vt, inquam, his ſtantibus, Conciliorum vniuerſalium definitiones ad fidem bonoſque mores pertinentes, infallibiles ſunt credendorum regulæ, & principia in ordine ad probationes Theologicas; ſecus tamen, ſi aliquod ex illis deficiat; vnde multæ etiam probabiles dumtaxat circa Concilia generalia poſſunt opiniones haberi. Primò quod aliqua non ſint vniuerſalia, & aliqua ſint: ſi ex vna parte nec à Summo Pontifice, nec ab alio Generali Concilio, nec denique vniuerſali Eccleſiæ conſenſu in illis recipiendis, eſſet authenticè declaratum, quænam ſint habenda vt talia, & quæ non, vt talia; & ex alia Catholici Theologi, ijque nobiles in oppoſitas abirent opiniones; ſtante enim hoc dubio, talis Cõcilij definitio ſaltem quo ad nos certam de fide non faceret probationem.

Secundò, quod ſint Concilia vniuerſalia, quia Summi Pontificis authoritate congregata, interuenientibus ex omnibus mundi partibus Epiſcopis; ſed non ſint approbata, aut confirmata à Summo Pontifice vt talia, & vt norma fidei, morumque; cùm enim certum ſit, quod Concilium quodcumque ante Pontificis confirmationem poſſit errare; ſtante ſemel vel certitudine, vel probabilitate talis non approbationis & confirmationis, certam de fide probationem reddere non poteſt Conciliorũ authoritas, de quo vide Cardinalẽ Bellarminum lib. 2. de Conciliorum authoritate. Tertiò, cùm iuxta eiuſdem Bellarmini doctrinam lib. 1. de Concil. c. 17. eſſet etiam valde probabile, Concilium illud non fore vniuerſale, à quò verè Epiſcopi, nec excommunicati ad illud accedentes eſſent excluſi, ſi ſemel de hoc conſtaret, talis Concilij authoritas certam non faceret probationem; idem videtur ſequi in caſu, quo vi, aut dolo, aut ex metu cadente re vera in conſtantem Epiſcopum aliqui impedirentur, ne ad Concilium accederent.

Quartò, ſi probabile foret aliqua Concilia, vel aliquorum Conciliorum decreta ad fidem, vel mores pertinentia eſſe edita, non interuenientibus tot Epiſcopis, vt ſimpliciter dici potuerit, eos tunc vniuerſalem repręſentaſſe Eccleſiam; eſſet etiam valde probabile, ſi non certum, illud Concilium non fuiſſe genera-

nerale, vel illa decreta non fuisse à Concilio generali edita, atque adeo certam haud facere probationem; posset tamen aliunde suppleri hic defectus, vel per approbationem eorum, qui postea eidem interessent Concilio, quandò verè vniuersale appellari posset ex illorum concursu; vel sequentis Concilij vniuersalis, vel denique Summi Pontificis, supposita maximè certitudine illius sententiæ, quod etiã independenter à Concilio Generali gaudeat priuilegio infallibilitatis in rebus fidei definiendis.

Quintò, stante probabilitate vtriusque sententiæ, quod Concilium Generale legitimè congregatum, saltem dum non repugnent Pontificij legati, etiam secundum maiorem partem, possit errare, & nòn errare; sic consideratum, non est infallibilis fidei regula eius authoritas. Sextò, quandò aliqua Concilia proponunt solùm aliquid vt probabilius tenendum; cùm id contrariæ sententiæ probabilitatem non tollat; talis etiam definitio non esset certa. Septimò, quia non minus Conciliorum, quàm Summi Pontificis infallibilitas in definiẽdo annectitur præuijs quibusdam diligentijs, iuxta superiori capite dicta, si constaret manifestè quod Patres Concilij non fecissent, quod in ipsis erat ad finem veritatis, illustrationisque diuinæ obtinendum, communes nimirum fidei regulas haud consulendo, esset saltẽ probabile, quod licet cæteroquin errare non posset Cõcilium Generale absque approbatione, & confirmatione Pontificia, tunc errare potuissent; eorumque proinde definitio infallibilem nõ faceret probationem; de quo vide Canũ lib. 5. cap. 5. & Cord. quęst. Theolog. lib. 4. q. 1. prop. 9.

Octauò, cum sicuti ex dictis superiori capite, in Pontificijs, ita & in Conciliorum etiam generalium decretis non sint de fide disputationes quæ præmittuntur, neque rationes, quæ adducuntur, neque ea quæ ad explicandum, & illustrandum afferuntur, nec verba singula, quibus definitio exprimitur, nisi de verbo ipso decretum fiat; hinc est, quod si in alicuius rei probationem adducatur testimonium Summi Põtificis, aut Concilij generalis, diligenter examinandum est, vtrum sit deprompt̃um ex ipsa fidei definitione, an verò sumptum ex discussione ad illam præuia, aut ex alijs incidenter dictis; ad dijudicandum de certitudine talis probationis. Nonò, quia potest esse opinio probabilis, quod alicuius vocis significatio non accipi debeat, vt communiter sentiunt alij; v.g. est de fide, quod requiratur lumen gloriæ eleuans animam ad videndum Deũ, vt definitum est à Concilio Viennensi; & tamen est controuersia inter Theologos, an id sit habitus, vel solum peculiaris Dei concursus, & operatio; hinc est, quod licet talis definitio sit certa ad probandum contra Beguardos & Beguinas necessitatẽ luminis glorię, quodque virtute sua non valeat anima videre Deum; non tamen ad probandum, an id sit habitus, vel peculiaris tantùm Dei concursus.

Decimò, quotiescumque etiam est probabilis interpretatio: quod Concilia vnam rem, & non duas; controuersiam cum hæreticis duntaxat, & non inter Catholicos Theologos dirimere per definitionem aliquam voluerint; talis quoque definitio non facit certam probationem, nisi circa illam rem, aut controuersiam quam omnes per illam dirimi conueniunt; secus autem circa illam partem, quam non dirimi probabilis est doctorum sententia: Vndecimò, quandò in Concilij aliqua sessione, vel definitione non promulgatur anathema, contra aliter sentientes, vel simile quid, quod indicare solet mentem Cõcilij esse declarare contrariam opinionem hæreticam, & contra fidem; sed tantùm Concilij mens & sensus exponitur, non indicans id spectare ad fidem (nisi aliũde id constet) probabilissimum est talem definitionem non esse semper certam certitudine fidei, neque posse puniri in foro etiam exteriori contrarium opinãtem, tanquam hęreticum. Prudenter autem facere Concilia, & Summos etiam Pon-

Pontifices, dum ita se gerunt, suamque duntaxat mentem declarant, satis patet ex eo, quod aliquandò hæreticam expresse declarare opinionem non est necesse; aliquandò id fieri non potest; aliquandò non satis est discussa quæstio; adeoque volunt Concilij Patres, vt in posterum diligentius agitari possit à viris doctis, vt possit tandem definiri, quænam amplectenda certò, & indubitanter. Sic in Concilio Tridentino videmus de facto, non fuisse damnatas tanquam hęreticas, omnes opiniones, quas contra Catholicam veritatem excitauerunt huiusce nostri temporis hęretici. An verò sensus Concilij taliter explicatus contrariam sententiam, si non semper hęreticam, saltem tamen erroneã, vel temerariam, vel improbabilem faciat; probabilius existimo quod sic, maximè si sciretur multos ita in Cõcilio sensisse.

Quod pertinet modo ad Concilia particularia, siue Diœcesana, siue Prouincialia, siue Nationalia non sunt ex se planè infallibilis veritatis; vnde etiã ex illorum authoritate certa & infallibilis probatio desumi non potest; nisi aut Summi Pontificis, aut Concilij Generalis calculo essent expresè confirmata; dico expresè confirmata; quia si tantùm ad aliquod propositum essent commendata, non sufficeret ad omnimodam certitudinem; ex illis tamen potest desumi argumentum probabile, ad aliquã opinionem tuendam, quod apud prudentes viros maioris ponderis esse debet, quàm multorum aliorum doctorum sensus, in his, quæ aliquomodo ad fidẽ, vel bonos mores spectare videntur; maximè si fuerint in illis partibus, aut prouincijs celebrata, vbi litteræ florent, & ad prælaturas euehi solent viri in Theologia, ac iure Canonico præstantes. Nota mè dixisse probabile argumentum desumi posse ex Conciliorum particularium authoritate, in his quæ aliquo modo ad fidem, vel bonos mores pertinere videntur, nam ex eorum statutis purè spectantibus ad regimen Ecclesiarum, reformationem & cætera huiusmodi, nõ potest desumi argumentum etiam probabile, quod in hac Regione, Prouincia, vel Ciuitate, id quoque faciendum sit, vel fieri expediat; variæ enim sunt diuersarum Prouinciarum, & Ciuitatum leges, & consuetudines, & quod in vna videtur rationi consentaneũ, in alia mutata circumstantia loci, personarũ, & alijs similibus, est ab illa penitus alienum.

CAPVT VI.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate Sanctorum Patrum.

Circa authoritatem Sanctorum Patrum in stabiliendis fidei dogmatibus, Theologicisque conclusionibus ex illa deducẽdis, fuit error Glossę Cap. *Noli* verbo, *in istis*. distinct. 9. vbi explicans D. Augustinum, qui suis scriptis nolebat aliquem firmiter adhærere ex sola authoritate, sed ex intelligentia & probatione, ait; *Loquitur secundum illa tempora, cum adhuc scripta Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum non erant authentica, sed hodie iubentur omnia teneri vsque ad vltimum iota, in Ca. Sancta Romanã, distinct.* 15. Verum apertè decipitur author Glossæ, in citato enim ab ipso Canone Gelasius hæc vltima verba profert solùm de Epistola Leonis Papæ ad Flauianum contra hæresim Euthichianam; *Cuius textum*, inquit, *aut vnũ iota si quispiam idiota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit*. De operibus autem Cypriani, Athanasij, Nazianzeni, Basilij, Chrisostomi, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Prosperi, *& omnium orthodoxorum Patrum, qui in nullo à Sancta Romana Ecclesia consortio deuiauerũt, nec ab eius fidei prædicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius, gratia Dei, vsque ad vltimum diem vitæ suæ participes fuerunt*: nihil aliud asserit, nisi ea in Ecclesia Catholica recipi, & esse legenda; quibus verbis, vt notant communiter doctores, non confertur illis irrefragabilis

bilis authoritas fidei, sed solùm generali quadam approbatione alijs præferũtur, vt vtilius legi possint, & cum minori errandi periculo.

Igitur relicta illa Glossæ sententia, quam vt erroneam communiter Theologi reijciunt, pro vera authoritatis Patrum intelligentia notandum est primò, Sanctos ac veteres Patres posse considerari dupliciter, primò veluti distributiuè, & seorsim; secundò collectiuè, & coniunctim, pro vt non vnus, vel alter; sed omnes vel ferè omnes, in aliquo vnanimiter conueniunt.

Notandum est secundo huiusmodi consensum Sanctorum Patrum vnanimem ac generalem extendi posse, vel ad quæstiones puri facti, vel ad quæstiones iuris; iterum vel ad quæstiones Philosophiæ, vel ad quæstiones Theologiæ, quarum adhuc aliquæ sunt de fidei dogmatibus, aliæ verò de adiaphoris, minutioribusque diuinæ legis rebus, quas sine salutis discrimine ignorare contingit, & ad pietatis doctrinam non spectant.

Notandum est tertiò ex Cardinali Turrecremata distinct. 9. cap. 5. c. *ego solis*; quod quinque modis Ecclesiæ doctores sunt loquuti. Primus modus est inquisitiuus, in vtramque partem disputando pro veritate alicuius dogmatis, vel propositionis. Secundus recitatiuus non propriam, sed aliorum sententiam referendo. Tertius reprobatiuus, quando scilicet alienas refellunt opiniones. Quartus assertiuus, cùm aliquid determinatè proferunt, vel definitiuè sustinent, aut defendunt. Vltimus retractatiuus reprobando priorem quam tenuerant aliquandò sententiam.

Notandum est quartò SS. Patrum scripta, & sententias; tàm vniuscuiusque in particulari, quàm omnium in communi posse considerari dupliciter, vel secundùm se præcisè, vel secundũ quod annexam habent Ecclesiæ approbationem; cuius sex veluti gradus, seu differentias in ordine ad doctrinam aliquam, vel doctorem commendandum distinguere possumus. Primus, & infimus gradus est, quando ad hoc solum approbatur aliquis, vel eius opera, vt euulgari, & in lucem emitti possint, non enim propterea illa approbatio est authoritatiua doctrinæ, nec speciali modo ab Ecclesia commendatur, sed generali modo permittitur, quo cæteri libri in indice non comprehensi, nec ab Ecclesia prohibiti, vndè potius ad permissionem, quam ad positiuam authorizationem talis modus approbationis pertinere videtur; ad quem tamen requiritur quod talia scripta non habeant errorem, de quo Ecclesiæ constet, nàm si semel constaret, illorum euulgationem, aut impressionem non permitteret.

Secundus approbationis gradus est eorum doctorum, qui classici, vel solemnes habentur, quia eorum testimonijs frequenter vtimur in scholis, præsertim si à multo tempore eorum doctrinæ, & sententiæ probatæ sunt; vel etiam, quia vltra hanc authoritatem in approbatis vniuersitatibus cathedras speciales habent pro eorum doctrina legenda, sicut D. Thomas, D. Bonauentura, Durandus, Scotus, Gabriel, & alij similes, qui sunt capita & duces specialis alicuius non tam doctrinæ, quàm modi illam explicandi, vbi ad fidem pertinet. Quæ authoritas, licet magna sit, non tamen semper fit speciali decreto, aut iudicio Sedis Apostolicæ circa doctrinam talium doctorum, sed tantùm ab illa approbatur erectio, & fundatio talium vniuersitatum, quæ dictas cathedras pro illorum doctorum explicanda doctrina dotatas habent.

Tertius approbationis gradus est, quandò aliquis ab Ecclesia, & Sede Apostolica in doctorem Ecclesiæ eligitur, aut inter Ecclesiæ patres habetur, adeo vt eius scripta, vel opera non solùm in scholis, *sed* in ipsis Ecclesijs, & Ecclesiasticis officijs publicè & solemniter legantur. Sicut plura Patrum opuscula recepta sunt, & approbata à Gelasio Papa in Concilio Romano, & habetur in capite *Sancta Romana*, distinct. 15.

Ad

Ad quem approbationis gradum, siue ad hoc vt aliquis speciali vel Patris, vel Doctoris Ecclesiæ titulo insigniatur; vt requiritur acceptatio Ecclesiæ, vel speciale iudicium, decretúque Sedis Apostolicæ circa personam, & doctrinam; ita etiam singulari quadam authoritate, & prærogatiua sublimatur super alios doctores, qui nec iudicio Sedis Apostolicæ sunt approbati, nec eorùm doctrina authoritatis pondus habet ab illa, licet in approbatis vniuersitatibus Cathedras habeant, & famosiores teneantur in communi approbatione doctorũ.

Quartus adhuc maior approbationis gradus, aut modus est, quandò videlicet speciali modo iudicat, & approbat, vel sequitur aliquam doctrinam, vt si dicat se probare, vel sequi talem doctrinam, affirmet illam esse sine errore, esse ex infusione cælesti, & alia similia, quæ sine dubio specialem veritatem, certitudinem, aut probabilitatem in tali doctrina requirunt; sic doctrinam D. Augustini præsertim in his quæ de gratia Dei scripsit, sic D. Thomæ, Ecclesiã sequi cõmuniter asserunt doctores Theologi qui de vtraque agunt, inter quos videndus est Magister Grauina libro 4. præscriptionem Catholicorum; & Ioãnes à Sancto Thoma 1. p. disput. 1. de approbatione doctrinæ D. Thomæ; duo fulgentissima ordinis Dominicani lumina.

Quintus approbationis gradus, non tam est circa aliquem doctorem, vel illius doctrinam generaliter, quam circa aliquam materiam, seu opinionem determinatam; quando scilicet Ecclesia determinat in particulari aliquam opinionem esse vel probabiliorem, vel certiorem. Exemplum habemus ex Concilio Viennensi sub Clemente V. & refertur in Clementina vnica de summa Trinitate, vbi *Opinio illa quæ affirmat paruulis infundi in baptismo gratiam, & virtutes, & similiter adultis tanquàm probabilior, & dictis Sanctorum, ac modernorum doctorum Theologiæ magis consona eligitur sacro approbante Concilio*. Ecce singularis approbatio illius opinionis; non quidem definiendo illam de fide, sed vt probabiliorem eligendo. Similiter in cap. *cum Marthæ* de celebratione Missarum eligitur vt probabilior opinio, *quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt eluceat proprietas Sacramenti*. Stat ergò ab Ecclesia approbari aliquam opinionem, seu doctrinam in materia determinata citra definitionem.

Sextus tandem & vltimus approbationis gradus est definitiuus, cùm videlicet Ecclesia doctrinam aliquam recipit, aut definit tanquam de fide. Sic fuit approbata S. Leonis Papæ epistola ad Flauianum, de qua dicitur in c. *Sancta Romana; Quod eius textum, aut iota vnũ si quis idiota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit*. Similiter ad Concilium Arausicanum 2. quædam capitula ex doctrina S. Augustini desumpta transmisit S. Leo definienda: Sic in alijs Concilijs opuscula aliqua, & epistolæ receptæ sunt à tota Synodo, vt Agathonis Papæ in 6. Synodo Generali, & Sophronij in eadem; in Concilio Ephesino anathematismi Cyrilli Alexandrini; & sic de cæteris: His suppositis pro intelligentia præsentis materiæ.

Dico primò, Sanctorum ac veterum Patrum authoritatem, siue paucorum, siue plurium, maximè cum ad Theologicas affertur difficultates, esse maximi ponderis. Ista propositio est omnium Catholicorum; colligiturque primo ex diuersis sacræ scripturæ locis ad Ephes. 4. *Posuit Deus doctores in Ecclesia ad consummationem Sanctorum, vt non circumferamur omni vento doctrinæ*; & 1. ad Corinth. 12. *Posuit in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*. Secundò probatur ex antiquissimo, ac vetustissimo Ecclesiæ vsu, in qua Summi Pontifices, Concilia, ipsique Patres secundum temporum ac ætatum seriem regulariter ad dissoluendos exortarum controuersiarum nodos SS. Patrum authoritates ac sententias adhibuerunt, fideique dogmata ex eorum doctrina vel

finierunt, vel confirmarunt.

Sic Leo Primus epistola 97. ad Leonem August. Eutichianam, & Nestorianam hæresim refellens, quarum ista personam Christi diuidebat, illa verò duas in illo naturas confundebat, cum scripturarum testimonijs Christum Dominum verum Deum & hominem esse primum probasset, mox ad Patrum sententias confugiens subiungit: *Vt autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subijciendas esse sermoni, quibus si digneris attendere recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod Sancti Patres toto Orbe docuerunt, nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos discrepare &c. Subditq; postea SS. Hilarij, Athanasij, Ambrosij, Augustini, & aliorum testimonia.*

Sic Ioannes II. epistola de duabus naturis contra Eutichianos apud Baronium tomo 7. anno 434. n. 24. proposita illa quæstione fidei, an vnus ex Trinitate Christus, & Deus noster dici possit, hoc est vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona ait; *Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ita esse propheticis, & Apostolicis, vel Patrũ exemplis euidenter ostendimus, vnam ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, vnam de tribus sanctissimæ Trinitatis personis, sanctam esse personam, seu substantiam, quam Græci hypostasim dicũt;* Et post allatas diuinarum scripturarum authoritates, Nicænique Symboli confessionem, mox Patrum sententias, ac testimonia citat.

Similiter in Concilijs etiam Generalibus, & Oecumenicis videmus semper consuetudinem fuisse, priusquam aliquid statueretur, vel definiretur, vt proferrentur, diligenterque expenderẽtur Sanctorum Patrum sententiæ, sicut apparet ex toto Concilio VII. vbi de imaginibus; in Chalcedonensi pro duabus Christi naturis contra Eutichianos; in Ephesino pro vnica Christi persona contra Nestorianos; in Florentino de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio aduersus Græcos.

Denique Sancti Patres ipsi præcedentium Patrum authoritate, fidei veritates studiosè semper cõfirmarunt, exortasque aduersus Ecclesiæ doctrinam hæreses confutarunt; vt videre est apud S. Athanasium in tract. pro decretis Nicænæ Synodi contra Arrianos, qui cùm eam calumnijs impeterent, ac si consubstantialitatis vocem nuperam adinuenisset, ille ad vetustiores confugiens Patres, eorum authoritate Nicænam, vel potius totius Ecclesiæ fidem de filij consubstantialitate propugnat. Idem habemus exemplum apud S. Basilium lib. de Spiritu Sancto; & D. Augustinum passim, sed præcipue lib. 1. & 2. aduersus Iulianum Pelagianum cap. 3. 4. & 5. quorum primus ad asserendam eãdem Spiritus Sancti cum Patre & Filio diuinitatem, atque adeò conglorificationem; secundus verò ad euincendos Pelagianos, & probandum Christum Dominum in euacuando chirographo paterni debiti, fuisse liberatorem hominũ ex Adam descendentium, proferunt diligenter ac nominatim authoritates Patrum Ecclesiæ, qui ipsos antecesserunt, dantes nobis formam, ac regulam, vt ad probationem dogmatum per eamdem vetustatis lineam incedamus, Sanctorũ ac veterum Patrum testimonijs vtentes.

Tertiò ad demonstrandam, cõmendandamque Sanctorum ac veterum Patrum authoritatem in probandis fidei sacræque doctrinæ dogmatibus non parum conducunt speciosi illi tituli, & encomia, quibus passim à Scriptoribus Ecclesiasticis celebrantur, quæ in vnum collecta reperies apud eruditissimum virum Dominicum Grauinam lib. 4. Catholic. præscript. q. 2. art. 8.

Quartò denique accedit ratio efficacissima tàm ex insigni veterum Patrũ sanctitate, quàm etiam admiranda doctrina desumpta; cum fundamentum ac basis authoritatis sit scientia, quà credimus auctorẽ non errare ex ignorantia, & bonitas, quà credimus eumdem nolle decipere ex malitia. Nomine enim Ecclesiæ-

elesiæ Patrum non intelliguntur omnes qui cum opinione sufficientis litteraturæ, sub communione S. Matris Ecclesiæ diem clauserunt extremum, vt rectè probat supradictus doctor loco citato; si quidem non sufficit fides cum doctrina cōpetenti, vt aliqui sint, & dicantur Ecclesiæ Patres, sed vt in fide sint superexcellentes, habeantque specialem gratiā gratis datam, quæ vocatur etiā ab Apostolo fides, dum ad Corinth. 15. ait: *Alij datur fides, alij sermo scientiæ*; vbi per fidem intelligit ibi S. Thomas superexcedentem mysteriorum fidei cognitionē, eadem explicando, & defendendo; qualem ipse proculdubio habuit.

Rursus etsi necessariam inter se non habeant connexionem doctrina, & sanctitas, quia non tam datur hæc gratia doctrinæ (sicut & cęteræ gratiæ gratis datæ) in vtilitatem propriam, quàm totius communitatis fidelium, vndè non est de ratione doctoris, aut Magistri, quod bona vita sit præditus: Nihilominus propter exemplum Christi fundatoris Ecclesiæ, qui cœpit facere & docere; eiusdemque decretum, quo vita & doctrina conspicuos commendauit, & esse magistros in Ecclesia voluit Matth. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum*, hæc duo requiruntur, vt fideles aliqui non solùm numero, sed etiam merito, non solum in Ecclesia, sed etiam Ecclesiæ magistri ac patres sint, sanctitas vitæ, & sublimitas doctrinæ, ne quod verbis docent Ecclesiam, moribus impugnent; vndè omnes illi qui malis moribus imbuti, aut etiam hęreticis opinionibus, inter suos errores, aliqua tamen vera fidei dogmata docuerunt, non tam vt Patres, quam vt traditionis testes debent in ijs recipi ac citari. Cum ergò ex dictis fundamentum auctoritatis sit doctrina, & sanctitas, nemini dubium esse potest, quin maximi sit ponderis illa doctorum, quos approbat Ecclesia, & in albo Patrum reponit, ob insignem vitæ puritatem cum sublimi doctrina coniunctam; vide Papam *Gelasium C. Sancta Romana* distinct. 15.

Dico secundò, aliquorum duntaxat Patrum authoritatem in quacumque materia siue ad Philosophicas, siue ad Theologicas disciplinas pertinente, probabile quidem argumentum facere posse, certum autem, & firmum nequaquā: Hæc etiam propositio communis est inter Theologos, colligiturque primò manifeste ex ipsismet Sanctis Patribus, quibus non plus authoritatis attribuendum est, quàm ipsi sibi attribui voluerunt, sed noluerunt Patres sibi irrefragabilem præstari authoritatem, cùm agitur de illis distributiuè tantùm, aut seorsim, propriumque & priuatum sensum exprimunt, vel in obscurissima aliqua quęstione diuersa sentiunt, vbi tantum valet eorum authoritas quanta est ratio, vel authoritas, quæ affertur ex sacris scripturis: Ergò nec in talibus casibus aut circumstantijs debemus nos infallibilem aliquam authoritatē illis adscribere. Maior huius argumenti videtur esse certa; minor probatur adducendo diuersa loca, vbi id expresse asserunt S. Patres. D. Hieronymus in epistola ad Theoph. aduersus errores Ioannis Hierosolimitani paulo post medium; D. Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 3. lib. 4. de anima c. 1. & epistola 19. & 48. imo epistola 101. non vult sibi credi, plusquam authoritas & ratio, quam adhibet, exigere videatur; & lib. 2. de ord. cap. 9. cum dixisset humanam authoritatem plerumque falli cap. 10. subdit, *nolle sibi credi nisi docenti ac rationem reddenti*.

Huic principio innixi Patres tum suam aliquandò fatentur imperitiam, vt Hieronymus in cap. 2. Micheæ; tùm in propria nolunt esse pertinaces sentētia, vt idem in cap. 26. Ezech. tùm scripta sua si quid falsi contineant, vel ipsi emēdant, ac retractant vt August. in lib. retractat. vel alijs videnda & examinanda committunt vt Gregor. Nazianzenus in opusc. contra Arrianos; vel se emendaturos

turos promittunt, si errata deprehenderint, vt Hieronymus tomo 2. epistol. ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos, & de facto emendandam aliquam suam versionem sacrorum Codicum habet comment. in Isaiam cap. 29. Quare D. Thomas 1. p. quęst. 1. artic. 8. ad 2. rectè docet nonnisi probabiliter argui posse in scientia Theologica ex authoritate Patrum, modo in conclusione explicato.

Cuius ratio veluti à priori est, quoniam quilibet Sanctorum singulariter consideratus, his duntaxat exceptis, qui libros Canonicos ediderunt, cùm spiritu humano locutus fuerit, errare aliquādò etiam in his quæ ad fidem spectant potuit; imò Melchior Canus lib. 7. de locis Theologicis asserit neminem esse veterum doctorum, quantumuis eruditum, & sanctum, qui non aliquandò hallucinatus fuerit, non cæcutierit alicubi, & non quandoque sit lapsus in aliquo. Igitur si considerentur singuli Patres veluti distributiuè, & seorsim, aut secundum quod aliqui eorum pauci in aliquo conueniunt, firmum ex eorum authoritate argumentum sumi non potest, sed tantùm probabile; præsertim cum multi ob insignem doctrinam cum admirabili vitæ sanctitate coniunctam, iam ad tantum humanæ authoritatis fastigiū peruenerint, vt nefas sit in Scholis eorum dictis apertè contradicere, & aduersari; sed si quid ab eis minus rectè elapsum ore, dictumque videatur, debeamus illud in bonum sensum reuerenter, ac benignè interpretari.

Itaque sicut paucorum tantùm Sanctorum authoritatem pro certa ac firma fidei regula suspicere, & habere hominis esset omnino imprudentis, ita etiam & illam despicere, ac pro nihilo habere impudentis; essetque blasphemam hæreticorum nostri præsertim temporis consuetudinem æmulari, qui sequentes vestigia Cham, non modo operire negligunt Patrum si qui sint errores, eos excusando cum possunt, sed irrident, alijsque irridendos proponunt, & eorum personas calumnijs proscindunt & lacerant, vt videre est apud eumdem Grauinam lib. 4. citato q. 3. principali, art. 6.

Dico tertiò, omnium etiam Sanctorum Patrum authoritatem, cùm ad eas adducitur difficultates, vel controuersias, quæ naturali lumine cognoscuntur, & ad quarum probationem nulla penitus vtuntur authoritate canonica, certum argumentum nequaquam suppeditare, sed tantùm valere, quantum naturæ ratio persuaserit. Ista conclusio pariter est communis inter Theologos; probaturque ex eo quod gratia gratis data interpretationis sermonum Sanctissimis Ecclesiæ Patribus collectiuè sumptis à Deo concessa, in ordine ad fidem datur; ergò principaliter, & infallibiliter dumtaxat, quæ necessaria sunt ad salutem, respicit, non verò ad illa, quæ Philosophicas tantùm, vel sæculares concernunt disciplinas, quæque sine vllo penitus salutis discrimine ignorari possunt. Vndè in illis tantum valere debet eorum authoritas, quantùm rationis naturalis ab eis adductæ vis, & efficacia petierit, aut pondus habuerit.

Quod idem asserendum puto quoties Patres suppositis principijs nonnullis Philosophicis, communibusque effatis; etiam sacram scripturam ad eorum normam interpretantur; sic licet cōmunis opinio Patrū Theophil. Euch. Bedæ &c. quibus è Theologis adhærent D. Thomas 3. p. quęst. 66. artic. 4. ad 3. Suares tomo 2. in 3. par. quęst. 5 1. sect. 1. & ex interpretibus S. Scripturæ Alphōsus Salmeron, Toletus, Maldonatus, Cornelius à Lapide alijque plures; licet, inquam, communis horum opinio censeat aquam, quæ Ioannis 19. exiuit de Christi latere, fuisse miraculosam, ac de nouo creatam, aqua enim naturalis non videtur residere in parte maximè superiori corporis nostri, nec Philosophi talis aquæ mentionem fecerunt; attamen cum sententia communis Anatomicorum, quibus vt potè peritioribus in sua arte maior fides adhibenda est, eam in pericardio reperiri non solum asse-

afferant, vt Hippocrates lib. 1. de corde, Galenus lib. 8. de Pla. Auicenna, Laurentius quæst. 8. in Anat. Vesalius lib. 6. fabr. corpor. Valuerdius lib. 4. cap. 8. alijque plures, sed etiam ostendant, non videtur damnanda tanquàm improbabilis sententia, cui adhæsit Bened. Arias Montanus in cap. 19. S. Ioannis asserens intercessisse ibi solummodo miraculum quoad modum, hoc est, quod sanguinis vnda simul ad ictum cum aqua prosiliens illam non infecerit, & vtrumque liquorem facile permiscibilem ex eodē ictu emanantem simul, diuisum contemplatus Ioannes fuerit.

Dico quarto, vnanimem Sanctorum Patrum consensum in explicatione sacræ scripturæ pertinente ad fidem, bonosque mores afferre infallibile veritatis argumentum veluti à signo, & à posteriori, siue in quantum sunt ab Ecclesia authenticè declarati, approbatique vt omni exceptione maiores testes veritatis Catholicæ in explicatione sacrorum Codicum. Hanc conclusionem communiter docent Theologi, qui etiā notant generalem hunc omnium Sanctorum Patrum consensum non esse accipiendum mathematicè, adeò vt ne vnus quidem desit, sed moraliter, vt sit omnium circiter, vel fere omnium, quēadmodum res morales debent accipi, & intelligi moraliter, alioqui impossibile esset talem consensum vnquam explorare, aut inuenire, quia aliquorum nomina nos latent, vel certè eorum scripta præ manibus non habemus, aut aliqua ex ijs perierunt, nonnulli etiam ab Ecclesia defecerunt vt Origenes, Tertullianus, Eusebius, Apollinaris & alij, quos non videmus retractasse errores suos.

Conclusio sic explicata probatur ex sexta Synodo Constantinopolitana in Trullo habita can. 19. sic præcipiente; *Si ad scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretemur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria, & doctores suis scriptis exposuerunt*. Clariùs Conciliū Lateranense III. sessione vndecima, in primo Leonis decreto de modo prædicandi post mediū; *Mandantes*, inquit, *omnibus qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt Euangelicam veritatem, & sanctam Scripturam iuxtà declarationem, interpretationem & ampliationem Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent & explanent; nec quidquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adijciant: sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ scripturæ verbis, & præfatorum doctorum interpretationibus rite & sane intellectis non discordant*. Similiter Concilium Tridentinum sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum statuit, *vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morū ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra vnanimem consensum Patrum interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent*.

Vndè sic argui potest, ille scripturæ sensus est de fide, quem Ecclesia statuit esse verum Scripturæ sensum, sed ex præallegatis Conciliorum testimonijs Ecclesia statuit illum esse verum scripturæ sensum, qui cōmuniter à Sanctis Patribus affertur, ergò talis scripturæ sensus non potest non esse de fide, atque adeo non potest nō esse firmum, ac certum veritatis argumentum vnanimis Sanctorum Patrum in illo tradendo consensus. Maior huius argumenti videtur esse certa, cùm enim omnis verus sacræ scripturæ sensus sit intentus & reuelatus à Spiritu Sancto, debet pertinere ad fidem; ergò eo ipso quod Ecclesia declarat vnanimem Sanctorum Patrum in interpretando aliquo scripturæ loco sensum esse verum, declarat etiam consequenter illum esse de fide; Sanctosque Patres collectiuè sumptos gaudere priuilegio infallibilitatis in explicatione sacræ scripturæ, cum limitatione in conclusione allata, hoc est pertinente ad fidem, bonosque mores. Minor autem probatur, quia si vnanimis Sanctorum

Pa-

Patrum consensus in exponendo aliquo sacræ scripturæ loco pertinente ad fidē bonosque mores, non esset absolutè verus, sed solum probabilis, aut dubius, Ecclesia non posset præcipere, vt omnes illum sequamur, absque eo quod aliquid in contrarium dicere, aut interpretari audeamus. Cùm igitur Ecclesia id ita præcipiat, non alia certè ratione id facere pensandum est, nisi quia ex infallibili Spiritus Sancti assistentia, qua dirigitur in omnibus definitionibus fidei, ac morum, nouit etiam concordem huiusmodi Sanctorum Patrum sensum circa alicuius scripturæ interpretationē, esse omnino verum; sunt namque Sancti Patres & Doctores diuinitus Ecclesiæ dati, *vt non circumferamur omni vento doctrinæ*; ex Apostolo ad Ephes. c.4.

Quod dixi in præcedenti conclusione de vnanimi Sanctorum Patrum consensu, quandò explicant aliquid de rebus fidei, exponendo Scripturam, vel scripturæ testimonijs illud comprobando, idem penitus asserendū puto quinto loco, quandò aliquid etiam vnanimiter proferunt, tanquam ad fidei doctrinam pertinens, etiam si non exponant scripturam, vel scripturæ testimonia. Hęc etiam conclusio est communis, ad quam probandam, pręter Ecclesiæ praxim, quæ dùm aliquas veritates fide credendas proponere debet, nihil habet antiquius, quam post diuinas scripturas ad communem Patrum doctrinam respicere in singulis fere Cōcilijs; vt enim rectè docet D. Augustinus lib. 2. contra Iulianum, Patres sunt illi, qui maximè custodiunt fidei depositum à Christo & Apostolis acceptum; *Quod inuenerunt*, inquit, *in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod à Patribus acceperūt, hoc filijs tradiderunt*; præter hanc, inquam Ecclesiæ consuetudinem, efficacia ad nostram conclusionem probandam argumenta ex diuinis scripturis desumpta non desunt.

Primò idem sunt propter doctrinæ lumen, doctores in mystico Ecclesiæ corpore, quod sunt oculi in corpore humano; sed quod oculus videt, aut non videt, id corpus ipsum videre, aut non videre meritò censetur. Ergò similiter, quod vniuersi Ecclesiæ doctores in aliquo fidei dogmate concorditer sentiūt, id Ecclesia ipsa sentire censenda est. Nihil autem Ecclesia vniuersa sentire potest nisi verum, cùm habeat illa perpetuò Spiritum veritatis sibi assistentē; nihil igitur etiam nisi verum vniuersi Ecclesiæ Patres docent. Eoque certius apud nos esse debet concordem hanc Sanctorum Patrum, ac doctorum sententiam à Spiritu Sancto esse profectā, atque adeò esse infallibiliter verā, quominus videtur potuisse humanitus fieri, quod tot talesque viri sanctissimi pariter & doctissimi, quique tàm varijs locis ac temporibus vixerunt, in eamdem sententiam scribendo conuenire potuerunt; vt rectè expendit D. Augustinus lib. 1. & 2. contra Iulianum, alijque plures diligenter citati à nostro Thoma Vvaldensi lib.2. doctrinal. fidei antiquæ cap.25. Melchiore Cano lib.7. de Locis cap.3. conclus.5. Salmerone tomo 8. in Euang. tract.2. vbi videri possunt.

Secundò, eo ipso quod Matthei 13. & Lucæ 10. populus tenetur sequi doctrinam suorum Pastorum, ac Patrum; pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ consequenter non permittere ipsos omnes Pastores ac Patres à vero deuiare, seu docere falsum in rebus ad fidem, & salutē pertinentibus: sic enim populus falsū pro vero credere ex pręcepto Dei teneretur, quod est absurdū. Tertio non alia ratione pastores animarum & doctores plura alijs fidelibus ex officio credere & scire tenentur, nisi quia fides in docendo ab illis dependet, & quia eis errantibus, non potest populus, nisi extraordinario quodam miraculo non errare: vt constat Malachiæ cap. 3. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & populus requiret legem ex ore eius*. Ergo consentaneum, imo necessarium ex hypothesi fuit in Ecclesia, vt omnes simul pastores, & doctores, licet diffusi per orbem priuilegio infallibilitatis gaude-

rent in docendo, & definiendo; dico in docendo, quia in præsenti non agimus de pastorum & doctorum fide personali, an nimirum possint, vel non personaliter errare sentiendo aliquid esse de fide quod non est, vel non esse quod est; sed tantùm de ea quam populos sibi cōmissos docere tenentur; cùm enim inter Catholicos sit sub opinione positū, an habeant talem infallibilitatem passiuam in sentiendo aut credendo, de quo libro sequenti sect. de Ecclesia, omnes tamen tanquàm quid certissimū tenent illos habere infallibilitatem actiuam, seu in docendo.

Neque verò quod Patres homines sint, obstare debet, quominus à Spiritu Sancto ita dirigi dicantur, vt errare omnes quidem non possint in materia fidei & religionis. Nam & Prophetæ & Euangelistæ homines fuerunt: & tamen illorum sententia meritò habetur infallibilis. Nempè quia etsi homines essent, suaque proinde natura fallibiles & mendaces, tamen cùm Spiritu Sancto specialiter assistente cuncta scriberent, errare minimè potuerunt. Etsi enim inter Scriptores Canonicos, & alios Ecclesiæ Patres suum versetur discrimen; id tamen ad rem, de qua nunc agimus, nihil penitus attinet. Tantùm enim intendimus, quod sicut Scriptores Sacri, licet homines, Spiritu veritatis dirigi suo modo potuerunt, nè vnquam erraret eorum aliquis: ita etiam ab eodem Spiritu speciali eius assistentia, & prouidentia directi fuerunt Sancti Patres modo quodam suo ne illi omnes in doctrina fidei aberrarent; docendo aliquid esse de fide quod non est, vel non esse, quod re vera ad illam pertinet.

Quod autem obijciunt hęretici Patres interdum & errauisse, ac inter se pugnare, id nihil pręsenti doctrinæ obstat. Singulorum enim Patrum authoritatem vt infallibilem haud asserimus, sed concordem omnium in aliquo tanquàm in fidei dogmate. Quamuis etiam quantùm singulorum, ac plurium authoritati & magisterio tribui debeat, prima conclusione satis ostenderimus aduersus Sectariorum in hoc genere temeritatem, & ignorantiam, qui à Christiano populo sibi potius credi postulant, quàm S. Cypriano, v. g. S. Augustino, & alijs Ecclesiæ Patribus.

Dico sexto vt aliquorum Patrum authoritas in particulari fit certa & infallibilis quoad nos, firmamque proinde subministret probationem Theologicam, non sufficiunt quinque priores modi superius allati approbationis Ecclesiæ; sed requiritur sextus; conclusio etiam hæc debet esse communis; etsi enim doctrina secundum quinque illos modos approbata, vel commendata, magis vel minus probabilem efficere possit probationem; certam tamen quo ad nos reddere non potest, nisi accedat authoritatiua, vel definitiua Ecclesiæ approbatio, videlicet, quæ tribuit illi authoritatem, vt si quid prius infirmū, vel inualidum in ea à nobis existimabatur, tali approbatione roboretur.

CAPVT VII.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate Doctorum Scholasticorum.

MElchior Canus lib. 7. de Locis cap. 3. conclus. 3. & lib. 12. cap. 7. præcept. 8. Dominicus Bannes 1. p. qu. 1. dubio vltimo conclus. 3. existimant cōmunem Theologorum, vel doctorum Scholasticorum sensum in aliqua fidei doctrina, ita esse certum, vt ab eo recedere non solum sit grauissima temeritas, sed etiam error in fide; alijs doctoribus communiter asserentibus temerarium duntaxat esse, recedere à Scholasticorum Theologorum sententia concorditer dicentium aliquid esse de fide.

Pro resolutione difficultatis, prædictarumque opinionum concordia, notandum est doctores Scholasticos in sua doctrina stabilienda, vel probanda dupliciter procedere posse, vel ex proprijs, vel ex extraneis, hoc est assumendo

do exteras disciplinas, & argumenta ex ratione humana deducta; si considerentur Theologiæ Scholasticæ Magistri, quantum ad hunc secundum procedendi modum certum est non esse irrefragabilem locum ab eorum authoritate petitum, sed tanti ponderis solùm, quantum doctrinæ ab illis stabilitæ ex ipsa ratione naturali, exterisque à sacra doctrina disciplinis cõmunicari potest. Vnde tota difficultas principaliter reducitur ad primum procedendi modum ex proprijs, qui potest esse, vel per cõmunem consensum tradendo principia, hoc est ea, quæ habentur tàm ex scripturis, quàm ex sacris traditionibus, vel ea quæ habent connexionem cum eiusmodi principijs.

Si considerentur primo modo, nemini vt puto rationabiliter dubium esse potest, quin in tali casu, non solùm sit temerarium, sed etiam in fide erroneũ, contraire doctorum Scholasticorum iudicijs ac decretis; tunc enim vnanimis eorum consensus, & authoritas redit in naturam suæ formæ, adeò vt cum de fide sint ea quæ traduntur, ad eamdem quoque fidem pertineant eorum iudicia, & decreta. Iterum ergò difficultas reducitur ad secundum procedendi modum ex proprijs, quandò scilicet Theologi Scholastici vnanimiter docent aliqua, quæ ita continentur in principijs fidei, vt ex illis non solùm probabiliter, sed etiam necessariò, & euidenter inferantur.

Et in hoc vltimo casu & sensu existimo verissimam esse Melchioris Cani, & Bannesij sententiam, quam etiam amplectitur Grauina tom. 3. Cathol. præscript. lib. 4. Quod cùm Theologi Scholastici concorditer aliquod dogma tradunt in rebus ad fidem pertinentibus, adeò certum sit, vt illi contraire, nedum improbabile aut temerarium, sed etiam errori, vel hæresi proximum reputari debeat, etiam ante ipsam Ecclesiæ definitionem; quatenus tàm cõmunis Theologorum Scholasticorum, quàm veterũ Patrum sententia in aliquo tanquam in fidei dogmate, cõcipi debet veluti quędam fidei materia, sine vlla contraria dispositione, id est, sine aliqua vel leuissima dubitatione ac suspicione falsitatis, & præterea vt proximè, seu completè vltimatèque disposita ad recipiendam fidei formam ab infallibili Ecclesiæ authoritate.

Sententia sic explicata probatur primò authoritate sacræ scripturæ Ephes. cap. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Ex hoc enim loco clarè colligitur, diuinam prouidentiam ita Ecclesiam ordinasse, vt vsque ad consummationem sęculi Doctores & Pastores in ea non desint ad fidelium instructionem; vndè cùm veteribus Ecclesiæ Patribus successerint Scholastici, & posteriores doctores; *de quibus*, ait D. Gregorius lib. 36. Moral. cap. 17. eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur, *pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. In virtute quippè antiquorum Patrum, si qui postmodum prælati sunt, subrogantur; quia & cum annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt.* Cùm, inquam, iuxta hanc D. Gregorij expositionem, loco Apostolorum, Patres, loco Patrum, Scholasticos doctores tertio ordine omnipotens Deus substituerit; si concordem & vnanimem veterum Patrum sententiam in aliquo tanquam in fidei dogmate, aut cum ipso euidenter ac necessario connexo, à Spiritu Sancto esse profectam, atque adeo esse infallibilem superiori capite vidimus; idem penitus asserendum videtur de concordi sententia Theologiæ Magistrorum, aliorumque posteriorum docto-

doctorum, quos vnoquoque tempore præsentes habuit, & habet Ecclesia.

Et ratio est primò, quia Ecclesia quauis ætate & tempore, quasi corpus quoddam spirituale, & misticum perfectum atque absolutum fuit, & erit, quod suos proinde oculos omni etiam tempore debet habere, suumque Spiritum veritatis instar animæ, secum perpetuo manentē, membraque ipsius, pro vniuscuiusque conditione vegetantem; sed vt est in confesso apud omnes, manifestūque ex diuinarum Scripturarum authoritate, Ecclesiæ quasi oculi, & lumina sunt doctores, quorum conditio ea est, vt nunquam omnes circa religionem, aut res ad illam pertinentes errādo cæcutiant, vt superiori capite probatum est; ergò quouis tempore in Ecclesia doctores fuisse ac futuros esse credendum est, qui à Spiritu Sancto eum quasi vitæ influxum percipiant, vt nunquam omnes à superiorum Patrum & Doctorum concordi sententia, atque adeò nec à vera fidei doctrina, vel ipsi aberrent, vel alios abducant.

Secundò sicut dicitur 3. Physic. quod motus est actus mobilis à mouente, cuius proinde virtus tamdiu durat, ac cernitur in mobili, donec finem suum, aut terminum attingat: similiter cùm diuina sapientia ita suam voluerit instituere Ecclesiam, vt vsque ad consummationem sæculi doctores & pastores in ea quoque ponere voluerit; vt eorum doctrina instructus Dei populus, non esset nutans velut arundo omni vento doctrinæ in nequitia hominum, vt ait Apostolus; hos quoque eadem diuina in hunc finem dirigente ac mouente sapientia; tamdiu eius virtus ac motio in Ecclesia durare debet, quousque prædictum finem perfectæ institutionis assequatur, quod tunc solum erit, cum sublato omni errandi periculo in nouissimis triumphans occurret, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Quapropter quemadmodum veteres Patres speciali Dei virtute, seu Spiritus Sancti assistentia errare omnes non potuerunt in materia fidei & religionis; idem penitus asserendum est de alijs doctoribus ac pastoribus quos vnoquoque tēpore præsentes habet Ecclesia.

Tertiò consensus omnium doctorum, vt sæpius aliàs notauimus, qui ordinarie & naturaliter studia in contraria feruntur, non potest non esse opus dexteræ Excelsi, & virtutis supernaturalis, iuxta illud S. Iob. *qui facit concordiam in sublimibus suis*; maximè in rebus totum naturæ ordinem superantibus; Atqui operi supernaturali, & Diuino vt tali falsum subesse nequit, ergò neque vniformi omnium Doctorum Scholasticorum consensui in aliquo tanquam in fidei dogmate; hinc nihil est à Doctoribus Scholasticis, ac Theologiæ Magistris vnanimiter vt tale decretum, quod Ecclesia eorum authoritate mota & adducta non acceptarit, quandò aliquid definire coacta est. Præclarum huius rei habemus exemplū in Concilio Viennensi sub Clemente V. vbi orta difficultate de effectu baptismi paruulorum sequentia verba pronuntiauit Sūmus Pontifex Clemens. *Nos autem attendentes efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tàm paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquàm probabiliorem, & Sanctorum dictis, & doctorum modernorum Theologia magis cōsonam & concordem sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

Similiter in Cōcilio Florentino definitum est ex communi Theologorum doctrina, quod Pater & Filius in diuinis sint vnum Spiritus Sancti Principiū; & sic de alijs Concilijs subsequentibus. Non quod Summorum Pontificum, aut Conciliorum definitiones ab authoritate doctorum Scholasticorum, tanquàm à determinante aut vltimam formam in illis tribuente dependeant, sed velut à dirigente, manuducente ac disponente, vt nullum sit periculum, si consulta authoritate Scholasticorum, concorditer in aliqua fidei doctrina conuenientium, defi-

definiat Ecclesia; maximum verò esset, si ijs per possibile, vel impossibile non consultis, aliquid definiendum statueret; quatenus supposita semel Dei promissione, quod in ministerium Ecclesiæ sunt positi etiam doctores Scholastici, nè simus vt paruuli fluctuantes, ad eorum quoque normam ac mentem, per modum dispositionis præuiæ fieri debent Ecclesiasticæ definitiones;per modum, inquam;siue in genere dispositionis,quæ etsi non influat in definitionem Ecclesiæ, cum non dependeat infallibilitas dogmatum fidei nisi à principali agente, nempè Spiritu Sancto mouente infallibiliter Pontificẽ,aut alios Episcopos in Concilio Generali legitimè sub Pōtifice congregatos, eam tamen attingit,quatenus,vt infallibiliter assistat Spiritus Sanctus, conueniens est præcedere tales dispositiones, accuratas nimirũ ac diligentes locorum Theologicarũ,fideique regularum cõsultationes;inter quas est locus ab authoritate Ecclesiæ doctorum; in quorum certè numero Theologi Scholastici omnino reponendi sunt. Probatum ergò remaneat concordem & vnanimem doctorum Scholasticorum sententiam, in aliquo, tanquàm in fidei doctrinà, aut cum illa necessariò,& euidenter connexa, ita esse firmam, ac certam vt illi contraire nedum improbabile, aut temerarium, sed errori in fide proximum reputari debeat.

Dico secundò, extra communem Doctorum Scholasticorum consensum in aliquo ad fidem, bonosque mores pertinente, eorum authoritatem non posse maiorem ex se certitudinem, quã opinionis, generare in re Theologica; imò etiam si eorũ aliqui assererent aliquam opinionem fauere hæreticis, vel esse erroneam, siue illa spectet ad materiam speculatiuam, siue ad moralem; non propterea tamen semper reijciendam esse tanquam improbabilem rectè docet et docet Bannes 1. p.quæst.1.dub.8. Quoniam quandò sunt duæ opiniones, quarum quælibet rationibus nititur probabilibus, & argumenta aduersariorum soluit, habentque defensores viros doctos; non est cur huic,vel illi parti quis pertinaciter adhæreat propter aliquam authoritatem, quæ tunc non plus valet, quam vel ratio, vel aliquod scripturæ testimonium confirmat; vnde ponderanda sunt diligenter, & secundũ vtriusque vires huic aut illi adhibenda est fides; nec interest, quod plures in vnam partem inclinent, si pauci graues & docti oppositum sentiant; non enim numero hæc iudicanda sunt, sed pondere: potestque fieri quod vnus, aut alter tantæ esset authoritatis, vel rationes adeò validas induceret,vt eius iudicium pluribus æquiualeret. Vnde meritò reprehendendi sunt, inquit Bannes, aliqui Theologi, qui opinionibus proprijs,vel etiam aliorum nimis adhærentes, statim contraria dogmata præcipiti quadam sententia, absque sufficientibus rationibus damnant, atque omnia, quæ eorum iudicio non consonant,grauioribus censuris inurunt, idque tanta facilitate, vt merito irrideantur.

Et certè,si aliqua semel opinio reijcienda est,vel damnanda in quacumque materia, eò præcisè quod dicatur ab illustribus etiam Theologis fauere hæreticis, vel esse erronea; plures essent dãnandæ,quæ à suis tamẽ authoribus laudabiliter propugnantur. *Primò* opinio Patrum Societatis Iesu circa gratiæ efficaciam videtur fauere Pelagianis, & Semipelagianis: opinio vero Patrum Dominicanorũ videtur fauere Caluinistis, nihilque frequentius illis improperatur: & tamẽ plerique doctissimi viri ex vtroque ordine vtramque sententiam probabiliter defendunt, ac tuentur, donec accedat Ecclesiæ Romanæ definitio. *Secundò* sententia putans maiorem gratiã ex opere operato conferre sumptionem vtriusque speciei Eucharistiæ, quàm vnius tantum, multis doctoribus videtur fauere hæreticis, qui vtramque speciem necessario exigunt; imo sunt qui putent id post Trident. sess. 21. cap. 3. esse certum; & tamen contrariam sustinẽt præter alios Vasques tomo 2.in 3.p. disput.

disput. 215. cap. 2. Cardinalis de Lugo disput. 12. de Euchar. sect. 3. & sic de cæteris; de quibus fusius agemus infra libro 5. præscribendo regulas, aut methodum quam in tractandis quæstionibus Theologicis tenere debet prudens ac pius Theologus.

CAPVT VIII.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate iuris Pontificij, seu Canonici, doctorumque illius.

IVs Pontificium, seu Canonicum vocamus in præsenti ius illud, quod duobus decretorum, & decretalium voluminibus continetur, de cuius origine, ac diuisione, cæterisque ad illud pertinentibus, quia libro sequēti fusius acturi sumus, nunc tantùm illa breuiter prænotabimus, quæ sunt necessaria ad videndum pro præsenti instituto, quantā habeat certitudinem probatio Theologica ab illius authoritate desumpta: Igitur quod spectat ad volumen Decretorum Gratiani, siue à Gratiano compilatum, existimant aliqui eum non esse authenticum, cùm dictus Gratianus non habuerit potestatem legis condendæ, ac proinde eius dicta frequenter reprobantur, sicut dicta alterius doctoris, ita multi apud Barbosam tomo 5. & ideo plusquàm quadraginta errores esse in hoc volumine reperies apud Felinum in cap. 2. de rescript. n. 43. & liquidius apparent ex doctissimorum virorū correctione, ac restitutione facta sub Gregorio XIII. anno Domini 1580. Per oppositū volumen hoc reperiri approbatum testatur Abbas in cap. 2. de rescript. n. 9. vbi Felinus n. 44. subdit rationem, quod à multis annis publicè legatur in Scholis, hinc enim ipsius dicta tacitè approbata censentur. Cum prima nihilominus sententia dicendum est Decretū Gratiani non solùm antè Gregorium XIII. à nullo Pontifice fuisse confirmatū, vt habet inter cæteros Rodrigues tom. 2. quæst. Regul. q. 6. art. 2. verum etiam nec à Gregorio XIII. ipse enim tantummodo correctū illud proposuit; vnde ad explorandum, quantæ sit authoritatis ad alia principia recurrendum est.

Aduertendum igitur in decreti volumine reperiri præcipuè quatuor species authoritatum, ad quas possunt reduci septem illæ quas tradit Sebastianus Medices in tract. de leg. p. 1. quæst. 3. Prima est Sanctorum Patrum, Conciliorum tàm Generalium, quàm particularium, Summorum Pontificum. Secunda ipsius Gratiani compilatoris huius voluminis. Tertia cuiusdam Paleæ, de quo nomine variæ existunt doctorum sententiæ, multi enim ea capita in quibus res inanes, ac tenues, modicæque vtilitatis continentur, hoc nomine censuerunt appellari. Ioannes Andreas in addit. ad speculum, quem plures alij sequuntur, putat quemdam Protopaleam (quem Iason in rubr. de act. addit fuisse Cardinalem) collectioni Gratiani capita hæc adiunxisse. Nonnulli verò dicunt fuisse discipulum ipsius Gratiani, & sua authoritate inseruisse aliqua capitula in hoc volumine, quæ authentica non sunt, nec vllam faciunt fidem. Denique Barbosa in proœm. decreti Gratiani ex pluribus diligentijs super hac re factis, dicit has paleas esse additiones, non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani; in margine tamen primùm notatas, ac nonnullas fortasse ab ipsomet Gratiano, vt inter componendum & legendum sæpius fieri solet, quas deindè librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerunt, interdùm coniunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Quarta species est authoritas iuris Ciuilis, vel Sæcularium Principum, quorum multæ leges huic volumini insertæ reperiuntur.

Quod pertinet ad primam authoritatum speciem, vel classem, ex Sanctis Patribus, Concilijs, summisque Pontificibus, si pertineant ad decreta, siue defini-

finitiones fidei, satis patet ex dictis supra ad tantum certitudinis gradum illas peruenire posse, vt infallibilem habeant veritatem, adeo vt nec ab vllo Concilio, vel Pōtifice mutari, aut reuocari queât: At si prefatæ authoritates pertineant solùm ad Ecclesiastica decreta morum, quæ sunt propriè dictæ leges, quæque à Summis Pontificibus aut Cōcilijs Generalibus eorumdem assensu firmatis abrogari, mutari ac dispensari possunt, sic certam aut infallibilem fidei probationem non faciunt, multoque minus si fuerint rerum dumtaxat particularium, merique facti, ius aliquod non inuoluētis; quia licet verissimum sit, vt libro sequenti sectione 4. fusius ostendemus, quod Summus Pontifex, in condendis legibus ad statum vniuersalis Ecclesiæ spectantibus, errare nequeat; haud tamen æquiparari debent fidei definitionibus in probationibus Theologicis; nā preter cetera leges, vt statim dixi, saltem mutari possunt, secus definitiones fidei. Qua de causa vbi ad alicuius controuersiæ, vel quęstionis decisionem adducitur authoritas desumpta ex volumine decretorum Gratiani, siue à Gratiano compilati; videndum primò an congruat cum emendato à Gregorio XIII. nam non pauci, nec leues errores in antiquum irrepserant; deindè à quonam verba, vel sententias, quæ ibi reponuntur, acceperit Gratianus, numque re vera originalibus, vnde illa desumpsit, conformia: Nam si sint decreta fidei, ita infallibilem continent veritatem, vt nunquam illis contrairi possit, nullaque posterioris Concilij, vel Summi Pōtificis authoritate mutari aut reuocari; secus autem si tantùm sint Ecclesiastica morum decreta, & ad ius humanum simpliciter pertinentia, quæ eadem, qua fiunt Ecclesiastica potestate, quandoque etiam abrogari possunt. Etsi enim ab aliquibus Ius Canonicum interdum appelletur diuinum, significare tantum volunt, non esse tale ius conditum authoritate Politica vel ciuili, sed Pontificia, vel Ecclesiastica quo ad multa, etiam in decreto Gratiani contenta; concessit enim Christus Dominus Summo Pontifici ordinariam facultatem Canones vniuersales, ibi à Gratiano collectos, ad regimen Ecclesiæ condendi; qui propterea dici possunt originaliter esse ius diuinum, ac simpliciter etiam, quatenus non sunt ius Ciuile, aut Cęsareum, non autem quatenus infallibilem aut irreuocabilem semper habent veritatem, quemadmodum definitiones, siue Canones fidei. Sed de his vide Siluestrū in summa verbo *Votum*; nec non Dominicum Sotum lib. 7. de iustitia quęst.4. art.3. & alios plures.

Tres autem alias authoritatum species in volumine decreti contentas, primam videlicet ipsius Gratiani compilatoris, alteram cuiusdam Paleæ, tertiam iuris ciuilis, vel sęcularium Principum certam non posse facere ex se probationem ad alicuius controuersiæ Theologicæ decisionem clarum est; & in speciali de legibus ciuilibus, quæ ne quidem iuris Canonici vim vllam aut authoritatem habent, quia Gratianus, qui eas inseruit, talem haud habuit potestatem. Quod adeò verum est, vt habeat locum, etiam si tales leges sint Clericis, & Ecclesijs fauorabiles; talis enim fauor nihil suffragatur ad supplendum in concedente potestatis defectum cap. *Ecclesia S. Mariæ de Constitut.* Intellige tamen, vt dixi, ex se, & ni prędictæ leges essent per aliquem canonem à Summis Pontificibus approbatæ & receptæ, eo namque ipso suscipiunt vim legis Canonicæ, vt optimè aduertit Glossa capite statim citato.

Quod de volumine decreti, idem proportionaliter asserendum est de altera iuris Canonici siue Pontificij parte sex Decretalium libros, & Extrauagantes complectente, cui possumus addere Bullarium, in quibus vt sunt multæ constitutiones spectantes ad particulares etiam communitates, imò & personas tantum; aliæ spectantes ad regimen ciuile ac Politicū Ecclesiastici status; aliæ ad fidei dogmata; aliæ tandē ad

ad Vniuersalis Ecclesiæ regimen in moribus; ita pro huiusmodi diuersitate argumenta ab earum authoritate desumpta maiorem vel minorem in probationibus Theologicis certitudinē efficiunt, iuxta superius dicta cap. 4. hoc tamen interest inter decretum Gratiani, & sex libros decretalium, quod omnia quæ in his continentur habent ad minus vim legis ecclesiasticæ, secus ea quæ continentur in decreto, quæ nec leges sunt, quatenus ab alio authore, quàm à Summo Pontifice prolata, nec quatenus à Gratiano decreti volumini inserta.

Cum ad eumdem iuris Canonici, doctorumque illius locum pertineant, citenturque interdum in disputationibus Theologicis decreta sacrarum Congregationum Eminentissimorum Cardinalium, nec non decisiones Illustrissimorum S. Rotæ Romanæ Auditorum, superest vt breuiter examinemus quantum illa authoritatem habeant, certitudinemque in probationibus Theologicis facere possint. Primò certum est, nullam ex se cōgregationem gaudere priuilegio infallibilitatis in suis decretis, nec eam proindè ex se, seclusaq; authoritate Papæ maiorē mereri, aut facere certitudinem in foro interno, quam exigat præstantissimi sapientum virorū cætus authoritas; dixi ex se, quia vbi talia decreta in materia fidei ab aliqua congregatione facta adhibitis præuiè omnibus diligentijs necessarijs, semel approbarentur à Summo Pontifice, proponerenturque vniuersali Ecclesiæ credenda, proculdubio certa omnino essent, nec non etiam in materia morum ad vniuersalis Ecclesiæ statum pertinente: Vt autem pro casibus ordinarijs, in quibus à controuertentibus petitur alicuius dubij, vel particularis difficultatis declaratio Sacræ Eminentissimorum Cardinalium Congregationes præsumi debent sufficientē in hunc finem habere authoritatem à Summo Pontifice, secus tamen in actibus Supremæ iurisdictionis, quæ penes illum solum, tanquam vniuersalem Ecclesiæ pastorem existit, cuiusmodi sunt præfatæ fidei definitiones, morumque decreta ad statum vniuersalis Ecclesiæ pertinentia, nec non iuridica Conciliorum Generalium in his interpretatio, quam nonnisi consulto ipso Summo Pōtifice fieri debere statuit Sixtus V. felicis recordationis in Bulla 74. de institutione quindecim Congregationū S.R.E. Cardinalium, vbi agens de Congregatione octaua pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini hæc habet: *Cum ad singularem Romani Pontifices auctoritatem tantummodo spectet, Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique locorum seruentur, curare, ac præcipere. Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reseruamus, Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudicijs, alijsque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur.*

Dixi iterum in foro interno Sacras Cardinalium Congregationes, earumque decreta maiorem ex se non habere certitudinem, quam mereatur præstantissimi sapientum virorum cætus authoritas, quæ quia non excedit ex se limites maioris ad summum probabilitatis, idcircò etiam per se & seclusa auctoritate Summi Pontificis in eodem foro interno, & in ordine ad probationem Theologicam, non ita firmum exigit assensum, quin illi contrairi possit, teneriue alia sententia probabilis illi contraria, secus tamen in foro externo, vbi partes controuertentes, non obstāte quacūque in foro interno opinionum probabilitate, sententiæ semel datæ, vbi est definitiua, acquiescere, & obedire tenentur. At si Summo approbante Pontifice, vel etiam authoritate ab eo sacræ Congregationi concessa, sententia aliqua ab ea damnaretur; opposita in nullo amplius foro esset probabilis, sed erronea, aut

alia

alia censura digna iuxta qualitatem confixionis.

De sacrę Rotę Romanę decisionibus, ac sententijs, ita discurrendum puto, non excedere videlicet ex se terminos probabilitatis. Primò, quia hæ solū sunt doctrinales, vt ex communi sententia docet Nicolaus Garsias *in præfat. ad tract. de Beneficijs*: Secundò, quia sæpè numero contingit, vt non omnes ad eamdem vnanimiter concurrant decisionem, sed fiat tantùm iuxta votorum pluralitatem, adeoque alij præsules sapientes etiam, ac docti eam non approbent: Tertiò tandem, vt alias omittam rationes, quia huiusmodi decisiones quandoque sunt oppositæ, & contrariæ, vel pro diuersitate Auditorum Sacram Rotam successiuè componentium, diuersasque ab alijs opiniones tenentium, vel etiam, quod ijdem cæteroquin sapientes, ac docti, facti tamen in dies sapientiores, ac doctiores maiori adhibita diligentia, ac studio primam in melius mutent sentētiam; Nunquam tamen propterea contemnendæ sunt, imò multi semper faciendæ huiusmodi Rotæ Romanæ declarationes, ac decisiones, cum magna semper fiant diligentia, adhibitisque in consilium, vbi opus est, viris omni scientiarum genere clarissimis, vndè in illo præsertim, in quo declaratio, vel decisio fieri debet, non potest, non habere laudabiliter rationem iuris, vel legis directiuę, ad alicuius controuersiæ in simili materia definitionem, aut probationem inter disputandum magis, vel minus probabilem, nunquam tamen infallibilem.

CAPVT IX.

De probatione Theologica desumpta ex ratione naturali, scientiarumque naturalium authoritate.

Etsi locus à ratione naturali, scientiarumque in illa dumtaxat fundatarum authoritate sit aliquandò valde vtilis, imo necessarius in ordine ad probandas aliquas fidei veritates, etiam lumine naturali cognoscibiles, pręsertim aduersus infideles, qui nec scripturas sacras, nec traditiones, nec Ecclesiæ definitiones admittunt, vt libro sequenti fusius ostendetur discurrendo breuiter per omnia scientiarum naturalium genera; nihilominus tamen certum est ex illis pręcisè desumi non posse firmum, aut infallibile argumentum, in ordine ad asserendas fidei veritates, aut demonstrandas Theologicas conclusiones per se supernaturales, totumque naturę ordinem superantes, sed tantùm probabile. Verum quidem est ex naturali ratione testato diuinitus oraculo sociatà inferri posse aliquos assēsus Theologicos, quatenus dantur plura principia solo lumine naturali nota, quæ possunt concurrere cum alia pręmissa de fide ad conclusionem propriè Theologicam, vt superiori sectione explicatum fuit; attamē quia exceptis paucis eiusmodi principijs, scientiæ naturales probabilia dūtaxat docent; hinc est quod pro maiori parte ex naturali ratione etiam testato diuinitus oraculo coniuncta, non nisi probabiles assensus gigni possunt, qui, vt vidimus supra, genuini Theologiæ partus non sunt, sed ad eam solum reducuntur, quod ipsis eadem, quæ veris Theologiæ actibus, materia subiecta est.

Rem autem ita se habere in scientijs naturalibus, vt earum effata pro maiori parte sint tantùm probabilia, & opinabilia, facile constabit breuiter discurrendo per singulas. Primùm enim quod pertinet ad Mathematicas disciplinas, quamuis euidentiores ex se ac certiores sint quibuslibet alijs scientijs, negari tamen non potest quin probabiliter multa Mathematici etiā insigniores dicant, doceantque, vnde tot inter illos opinionum species, tot eorum leguntur libri, quibus se inuicem oppugnant. Primò *Zarlin.* Institutiones, & demonstrationes harmonicas euulgauit; quas *Galileus* impugnauit. Secundò cum sit cōmunis demonstratio ex Eucl. probl. 1.

propof. 50. quod linea quelibet diuidi possit in duas alias equales; *Ouiedo* tamen Controuerf. 17. Physicæ p. 10. illam negat. Tertiò *Galileus* putat omnes se antiquiores ignoraſſe modum menſurandi ſtellarum magnitudinem; alij tamen modum ab ipſo propoſitum, multis difficultatibus, imo & inſolubilibus obnoxium arbitrantur; de quo videndus eſt Cabrero in 1. Metaph. tex. 9. queſt. 1. Quartò, Benedictus Caſtel, Monachus Caſſinẽſis ponit quemdam modum ad menſurandam aquæ velocitatẽ; qui eidem Cab. non placet, ſicut nec principium ab illo ſuppoſitum ad talis modi explicationem. Quintò contendunt inter ſe Mathematici de numero cælorum, de quo libro ſequenti: Sextò cælos eſſe fluidos inſtar aëris, & non ſolidos inſtar æris volunt plures apud Schein. in Roſa Vrſina cap. 29. Alij volunt eſſe ſolidos, in quibus aliqui concentricos admittunt; alij reponunt Epiciclos, & excentricos, de quibus fuſe Clauius in fine commentariorum in c. 4. ſphæræ. Imo ſunt qui vnum Epiciclum intra alium conſtituunt; naturam enim Cæli aiunt eſſe, vt vnus orbis alium includat; hoſce tamen orbiculos eſſe mera figmenta, & eſſe tantum adinuenta ad calculum faciendum putant alij cõplures. Septimò aliqui in eodem planeta plures admittunt motus; alij vnicum dumtaxat, per ſpiralem enim lineã dicunt illum moueri, ita vt quotidie vnã ſpiram efformet, licet non eadem quotidie omnino ratione: & ex hoc principio multitudinem cælorum à multis aſſertam tollunt.

Octauò aliqui volunt, illas inequalitates, quæ videntur in Luna, eſſe veros montes, valles &c. alij reflexos tantum; alij dicunt eſſe ſolum aliquas partes eiuſdem Lunæ denſas, ac raras; minuſque denſas ac raras: alij addunt eſſe partes perſpicuas, ſiue diaphanas, ac opacas; minuſque diaphanas & opacas, cum eadem tamen denſitate, ac raritate partium; ſubduntque corpus lunare nõ eſſe politum ac læue inſtar ſpeculi, quod receptas Solis, vel aliarum rerum ſpecies poſſit ad nos adeò diſtantes reflexiuè tranſmittere. Nonò, maculas ſolares aliqui volunt eſſe, & moueri in ipſo Sole; alij circa Solem, circa quem ab Epiciclis deferantur; alij tum in ipſo Sole, tum circa Solem rotari. Eas aliqui dicunt eſſe fumidas exhalationes ab ipſo corpore Solis perpetuo ardentis, ac euaporantis inſtar fornacis, egreſſas; alij eſſe halitus quoſdam, ſiue effluuia ab ipſomet corpore ſolari, vel alio cæleſti progredientia; alij eſſe partes opacas ipſius Solis, qui in ſuo loco tanquã in vaſe contentus inſtar metalli feruentis moueatur; alij denique virtute cæleſtium cauſarum aiunt produci in aliqua Solis particula, opacitates has, quæ ſubinde variantur. Decimo in numero ſtellarum fixarum & Planetarum Mathematici non conueniunt, ſed aliqui cenſent eſſe plures planetas, ſtellaſque fixas; alij, pauciores.

Vndecimo aliqui cenſent Cometas, nouaſque ſtellas, quæ viſæ ſunt, ac poſtea poſt longum tempus euanuerunt, fuiſſe ex illis, quæ iam in cælo repoſitæ ſunt; & hæ in perigæo conſiſtentes longo etiam tempore nobis potuerunt eſſe aſpectabiles; poſtea vero ob nimiam altitudinem, & quam in tanta ab oculis noſtris diſtantia præſeferunt paruitatẽ, videri amplius non potuerunt: alij exiſtimarunt fuiſſe diuerſorum etiam orbium celeſtium particulas quaſdam dẽſiores, quarum ſingulæ quidem ob ſuã paruitatem in tanta diſtantia videri à nobis haud poſſunt; poſſunt tamen, ſi plures ſimul in vnum quaſi cumulum cocant, & per iuxta poſitionem coniungantur; quamdiu ergo ſic ſimul cunctæ perſeuerant, videntur inſtar aliarum ſtellarum; poſtea verò ſenſim rurſum à ſe inuicem diſiunctæ ſub aſpectum amplius non cadunt; alij per mutationem accidentalem, hoc eſt opacitatem, ac denſitatem partium cæli nouam, hec noua phenomena ſaluare conantur: alij per perſpicuitatem, & opacitatem, quas ponunt eſſe qualitates diſtinctas ab ipſa

rati-

raritate, ac densitate, easque dicunt produci, vel ab intelligentia motrice, vel ab ipsamet etiam substantia cæli, quæ in tali determinato tempore non potest nõ eas producere, & hanc esse asserunt naturam cæli; cuius vlteriorem rationem subdunt non se teneri reddere, sicuti solùm ipsamet natura magnetis vltimò assignari potest, tanquam causa tractionis ferri, & non lapidis. Duodecimò aliqui volunt omnes Cometas planè fuisse infra Lunam, alij volunt omnes fuisse supra lunam; & sic de alijs innumeris præstantissimorum Mathematicorum inter se dissentientium opinionibus, quarum pleni sunt eorum libri fusius libro sequenti à nobis citandi.

Quod pertinet modo ad Philosophicas disciplinas, quot etiam circa illas probabiles dumtaxat versantur opiniones. Et primò quidem indubitatum est apud omnes, non solùm Catholicos, verum etiam sapientiores in omni ætate, nullius Philosophi authoritatem circa res naturales ipsas veritatis infallibilitatem secum afferre; tùm quia in quolibet deprehensi sunt errores, & non pauci aliquando; tum quia viri sapientes, nobilesque Philosophi semper in omni ætate in diuersas abierunt sententias; tum denique quia ipsimet quoque imbecillitatem sui ingenij vltrò fassi sunt, vt in sequentibus capitibus fusius dicetur. Secundò Mathematici celebres dissentiunt in compluribus à Philosophis. Tertiò inter Philosophos, modo etiam sunt plures qui Platonis placita sequuntur: sunt alij adhærentes Democrito circa Atomorum positionem; cuius sententiam ab Aristotele, ac peripateticis Scholis relegatam ab exilio quasi reuocauit Ioann. Chrisost. Megarenus Burgundus Philosophus, Medicus, qui librum satis accuratè conscripsit cum hac inscriptione, *De Atomis*, siue, *Democritus Reuiuiscens*, Papiæ 1648. & per hosce atomos multi putant se facillime explicare naturam rarefactionis, & condensationis, legatur ad id Arriaga disp. 16. Phis. sect. 8. Nec ab hac sententia videtur discedere, qui continuum componunt ex indiuisibilibus Zenonisticis simillimis, vel fermè ijsdem cum Democriti atomis, quam sententiam latè defendit Ouiedo contr. 17. Phys. Sunt alij adhærentes Chimicis, qui à nonnullis veri Philosophi appellantur, eò quod ex principijs rerum naturas indagent; nemo enim exactius scire potest ex quibusnam res constet, quam qui res ipsas dissoluit, partesque cõponentes disiungit; ex his enim quęcumque res componitur, in quæ resoluitur. Aliqui etiam modo Stoicam Philosophiam sectantur &c. Quæ omnia satis probant circa Philosophicas disciplinas maximè versari probabilitatem, nec posse merito vnam opinionem damnare aliam vniuersaliter enidentis falsitatis.

Quid de Medicina? O quàm multa in illa coniecturalia tantùm, & probabilia. Primò enim cum multa ex Physicis Medicus desumat, si hæc euidentia non sunt, sed probabilia, probabilia solùm potest concludere. Secundò dissident Medici & Philosophi in principatu cordis & cerebri; aiunt Medici sperma muliebre esse actiuum, principiumque generationis, & valdè efficaciter id probant; pernegant Peripatetici complures. Tertiò vt inter Philosophos, ita & inter medicos, diuersæ sunt eorum sectæ, prima Methodicorum, siue Dogmaticorum, siue Galenicorum, siue Hippocraticorum; altera Empiricorum, siue Chimicorum, siue Spagiricorum, siue Hermeticorum, siue Paracelsicorum, diuersis planè principijs vtentium. Quartò in intelligentia Hippocratis, imò & Galeni dissident ipsimet Methodici, & quicumque putat pro se eos stare; disputant inter se circa definitionem ipsius febris, eiusque specierũ, circa causam pulsus, dierum, qui dicuntur Critici, vel decretorij; vt omittam quod in praxi opposita fermè medicamenta celeberrimi etiam Medici circa eumdem præscribunt morbum, siue sint Methodici, siue sint Spagirici; illaque sanitatem attulisse diuersis hominibus eodem tamen

tamen morbo laborantibus deprehensum est quandoque.

Tandem si à speculatiuis disciplinis ad Philosophiam Moralem gradum faciamus, multa etiam circa illam probabiliter controuerti reperiemus; eoque magis quo quęstiones, quæ ibi de actibus humanis agitãtur, sunt cognitu difficillimæ. Quia intellectus, & voluntatis operationes, quo etiàm magis sunt nobis intimæ, eò sunt minus notæ, non enim per sensus, à quibus pro præsenti statu suam trahit originẽ omnis nostra cognitio, intrat earum notitia, sed tota debet per reflexiones cõparari; qui operandi modus subtilissimus, & difficillimus est inter omnia opera nostræ speculationis. Hinc primò dissentiunt inter se Philosophi Morales in explicanda definitione *voluntarij*; & quibusnam illud conueniat; *Violenti*, siue *Coacti*, & quãdonam, & cuinam subiecto violentia competere possit: *Inuoluntarij* ex metu, concupiscentia, & ignorantia; & an ea quæ fiunt ex metu sint simpliciter voluntaria, & inuoluntaria secundũ quid; & an concupiscentia causet inuoluntarium secundum quid, augeatque voluntarium; & quænam ex tribus ignorantijs, antecedenti, scilicet, concomitanti, & consequenti causet inuoluntarium, vel non voluntarium; inuoluntarium simpliciter, an secundum quid? Secundò in assignando actuum humanorum numero ab apprehensione finis, vsque ad executionem eius, & in speciali an detur quidam actus imperij subsequẽs ad electionem mediorum, præuius vero ad vsum voluntatis applicantis alias potentias ad exequendũ, qui intimet quid, & quo ordine agendum sit. Tertiò quęnam sit inter passiones vehementior? An sit pręstantius amare, an amari? An amicitia pręferenda consanguinitati, & affinitati? An expediat magis habere amicos in fortuna aduersa, an vero in prospera? An pro vita rectè instituenda sit magis opportuna nobilitas, an vero bona educatio? An sit potius fortitudinis ardua agredi, an verò aduersa æquo animo tolerare, & sexcenta similia, quæ non sine probabilitate vbicunque disseri videmus, ex discursibus academicis, qui in dies imprimuntur.

Quartò. Non solum in assignando subiecto virtutum moralium; verum etiam in statuenda earum numero, partibus subiectiuis, potentialibus siue integrantibus discrepant inter se morales. Quintò differunt multi, quodnam sit aptius regimen, an Monarchicum, an Aristocraticum, an Democraticum? & quænam sit optima reipublicæ forma: An sit opportunius, vt potius in seueritate, quàm in benignitate excedat Princeps secularis? An prodigus potius ille sit, an auarus? An expediat Magistratuum mutatio? Sextò licet lex naturalis sit nobis indita quoad vim intellectiuam, quæ est lumen quoddam signatum super nos, ostendens bona moralia sequenda, mala illis contraria vitanda, ac fugienda, multa tamen circa illam non certò, sed opinatiuè cognosci demonstrant tot inter doctores de illa controuersiæ, v.g. Si pro aliquanto saltem tempore possit dari ignorantia inuincibilis Dei, eorumque omnium, quæ in Decalogo expressa sunt; Si earum conclusionum, quę obscuriores sunt, & magis remotæ, quam præcepta Decalogi, possit dari ignorantia inuincibilis non solùm longo; sed etiam toto vitæ tempore; Si præceptorum quæ sunt in secunda tabula saltem possit fieri dispensatio à Deo; vel affirmatiuorum, non verò negatiuorum, &c. huiusmodi; Septimò tandem circa Ius Ciuile statutum in ordine ad Politicum regimen, siue ad pacem, tranquillitatemque Reipublicæ, humanumque inter se ciuium commercium, quot inter illius doctores probabiliter etiam disputantur, de legum materia, & forma causa efficiente, & finali, tam in generali, quam in particulari.

En quomodo ex scientijs merè naturalibus nihil ferè certi, ac firmi potest haberi, recteque dicitur Ecclesiastes c. 3. v. Ij. Deum tradidisse mundum disputationi hominum; Vndè licet ex illis na-

sci

sci possint multi probabiles Theologiæ discursus, vel eius etiam certitudinis, quæ prudenti assentione nititur, cum scilicet multi in aliqua ex illis scientia periti in re aliqua consentiunt, nihilominus tamen nisi accedat fidei lumen, Theologiæque examen, & suffragium in approbandis vt certis, Philosophicis illis principijs, quæ ab ea assumuntur ad alicuius sui dogmatis probationem nulla ratione possunt esse vera demonstrationis Theologicæ principia; Hinc nullus adhuc Philosophus fuit, vt benè aduertit Vasquez 1.par.q.1.art.1.disp.1. cap. 2. qui fidei reuelatione destitutus, rectè & sincerè nouerit ea, quæ ratione naturali sciri aliquo modo de Deo possunt; licet enim aliquis nouerit Deum esse vnum, errauit tamen negando illi scientiam omnium futurorum, alius negando prouidentiam, & gubernationem minimarum rerum. Contra verò Christiani Philosophi rectè, & sine errore de Deo philosophati, harum veritatum demonstrationem sunt consecuti, nempè adiuti lumine fidei. Quod ad Philosophiam Moralem pertinet, multa etiam Theologi nostri, non amplius in incerto sententiarum humanarum positi, sed sub certo diuinæ reuelationis præsidio, supra Aristotelem, aliosque Philosophos Morales adinuenerunt, magisque Philosophiam Moralem ijsdem illustrarunt. De quo vide Chrysostomum Iauellum Ordinis Prædicatorum tomo suorum operum secundo, vbi primum adducta in vniuersam Moralem Aristotelis, & Platonis Epitome, tandem prima Philosophiæ Christianæ moralis parte, eius celsitudinem, ac perfectionem præ omnibus alijs, sex capitibus luculenter demonstrat; Primum est ex authore, scilicet Moralem Philosophiam Christianam omnibus humanis disciplinis excellentiorem esse, quia à Deo pendet; Secundum ex consonantia scribentium, scilicet Moralem Philosophiam Christianam esse omnibus Excellentiorem, ex eo quod illius authores inter se in nullo dissentiunt circa res ad fidem pertinentes; Tertium ex rationabilitate in ea contentorum, cùm in disciplinis humano lumine inuentis, multa absona, & incredibilia reperiantur; Quartum ex cunctorum errorum exclusione, tàm circa vitam moralem, quàm politicam, & regitiuam, & diuinorum scientiam, ac diuinum cultum; cum tamen Philosophi turpiter errarint immiscentes veris falsa, vbi de virtutibus & Politicis, & Diuinis pertractant. Quintum ex efficientia optimorum effectuum, qui prouenire non possunt ab humanis moralibus. Sunt autem præcipui sex, quos Dauid enumerat in Psalmo dicens: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiā præstans paruulis*; Sextum est, quod extra eam nulla est perfecta virtus moralis, nullusque actus simpliciter bonus moraliter; ad quod probandum tria supponit. Primò nullam esse veram, ac perfectam virtutem moralem sine agnitione veri Dei, & relatione in eum vt in vltimum finem. Secundò, quod nullus est perfectus actus moralis, nisi propter Deum vt obiectum amatum vltimatè fiat. Tertiò, quod in fideli viuente secundum legem moralem humanitus traditam, nec est perfecta virtus aliqua moralis, nec actus bonus perfectus moralis.

CAPVT X.

De probatione Theologica desumpta ab authoritate Philosophorum.

SI ex dictis Superiori capite ratio naturalis, scientięque in illa dumtaxat fundatæ, vt sic, non sunt locus proprius, imò nec ex proprijs Theologiæ, multo magis authoritas cuiusque præstantissimi Philosophi inter locos extraneos numerari debet, atquè adeò certum ab illa argumentum desumi non potest in rebus Theologicis. Sic Diuus Thomas opusc. 10. in principio monet, ac probat nullum ex Philosophis sequēdum esse Christiano Philosopho, ita vt

vt ab illo fidei nostræ dogmata probari velit, vel eius dicta tanquam à fide probata defendat. Non solum enim præsumendum non est, nedum afferendum, alicui Philosopho voluisse Deum vnquam naturalem cognitionem omnis planè erroris expertem communicare, quam nec in ijs, quæ ad lumen supernaturale spectant vlli ex ipsis etiam S. Patribus concessit, quin potius, vt videbimus capite sequenti grauissimis fuerunt obnoxij erroribus, & ex propria eorum confessione habemus quod probabiliter tantùm fuerint Philosophati. Nonnè Democritus, & Empedocles simpliciter falsi sunt, nihil verè à nobis sciri? Nonnè Socrates, in quem omnes ferè Philosophantium sectę initium suæ disciplinæ retulerunt, aiebat se tantùm scire, quod nihil sciret? Nonnè Arcesilaus ne id quidem sciri posse docuit? Nonnè Anaxagoras cum suis putauit scientiam omnem nostram esse opinionem? Nonnè Plato sub nomine Socratis suspendi assensum circa Philosophica effata determinatum ac certum iubebat? Qua in re licet aliquantulum excesserint omnem prorsus scientiam de medio tollentes, satis tamen patet ex hoc, Philosophorum dictis tantam non esse attribuendam authoritatem, vt inde fidei nostræ dogmata firmiter probari posse credatur.

Certè ipsemet Aristoteles, qui aduersus supradictorum Philosophorum aliquos fuit acerrimus scientiarum propugnator, sæpè etiam fatetur se probabiliter dumtaxat Philosophari, vt 3. Physic. text. 52. 8. Physic. text. 70. lib. 2. de Cælo text. 17. & 60. vellentque multi, vt aliquis duas, aut tres demonstrationes ad leges, quas ipse in lib. Poster. conscripsit, in medium afferret. Sanè apud Peripateticos tritum esse, quod nulla scientifica demonstratio quæ perfectissima sit, in ipsius libris reperiatur, scribit Posseuinus lib. 13. Bibliothecæ Selectæ cap. 20. Licet autem afferrentur aliquæ, v. g. duæ, vel tres, non sequeretur propterea doctrinam Aristotelis, vel etiam alterius Philosophi dicendam esse simpliciter scientificam, sed ad summum probabilem, etiam exceptis illis, quæ fidei nostræ aduersantur. Ex hoc tamen non sequitur scientiarum naturalium Philosophorumque illas docentium authoritatem esse contemnendam; sed potius si quid intra proprios limites habet boni, quodcumque sit illud, repetendum esse ab illis, vel 1. tanquam ab iniustis possessoribus, vt docet D. August. lib. 2. de doctrina Christ. *Philosophi*, inquit, *si qua fortè vera dixerunt non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda, quæ ab eis auferre debet Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelium, quod multi fideles nostri fecerunt, vt Martyr Cyprianus, Victorinus, Hilarius, & vt de nostris taceam, innumerabiles Græci*; quod etiã fecit Apostolus Actor. 17. dicens enim de Deo *Quoniam in ipso viuimus, mouemur & sumus*, sumit confirmationem à Poeta qui dixit. *Ipsius enim & genus sumus.*

Vel secundo, quia eorum labor est nobis fructus, vt docet Hugo super prolog. Cælest. Hierarch. lib. 1. cap. 2. Vbi loquendo de Philosophis, ait: *Legimus artes, & studia, disciplinas, & rationum præcepta plurima, quæ illi suo sensu, & ingenio scrutati sunt, & inuenerunt, & conscripserunt, inuenta, & legenda posteris tradiderunt, Logicam, Ethicam, Physicam, & Mathematicam, de forma vitæ, & morum, de dispositione & ordinatione, & causis, & prouentibus rerum omnium, & inualuerunt in parte ista, vt verum apprehenderent, quoniam & hæc veritas per eos ministranda erat, quæ non erat ad vitam, data est illis propter nos quibus consummatio seruabatur, & inchoatio parabatur, vt inuenirent veritatem illam, quam oportuit suscipere filios vitæ ad obsequium summæ veritatis, cuius labor Philosophis appositus est, his verò fructus seruatus.*

Vel tertio, quia licet per vera Philosophorum dicta, non debeant primùm interpretari veritates Sacræ Scripturæ, semel tamen illis perfectè intellectis, talia

lia deinde dicta tanquã vtilia,& declaratoria possunt adduci, vt docet Clemens Papa distinct.37.cap.*Relatum. Quidam*, inquit, *ingeniosi homines sanis doctrinis aduersantur, vt pro eis videtur, non secundum traditiones Patrum, sed secundum suum sensum docere videantur, & ex his quæ legunt in alijs scientijs verisimilitudines capiunt, volentes statim per simile in alijs iudicare. Sed diligenter obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum propriam ingenij virtutem, aut intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi, ad eũ sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit, sed non oportet. Non enim sensum alienum debemus extrinsecus quærere, sed quoquo modo ex scripturis ipsis sensũ capere veritatis oportet, & ideo oportet ab eo scientiam addiscere scripturarum, qui eam à maioribus suis secundum veritatem sibi traditam seruat, vt ipse possit eam quam rectè suscepit competenter asserere. Cum vero ex diuinis Scripturis integram quisquam, & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum nõ erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studijs, quæ forte in pueritia attigit, ad sermonem veri dogmatis conferat. Ita tamen, vt vbi vera didicerit, falsa & simulata declinet.*

Et quia adhuc Philosophorum dicta, vel sententiæ duobus modis sacræ scripturæ, vel doctrinæ explicandæ possunt adhiberi, vno modo veluti voluntariè, & ex affectu hoc desiderante, alio modo, veluti necessario, & ex vtilitate ad hoc compellente. Primus non licet, vel saltem minus perfectus est, quia vanitati & ostentationi obnoxius; secus autem secundus iuxta illud D. Hieron. super epistolam ad Titum, quod refertur distinct.37. citata C. *sed quæritur. Si quandò cogimur litterarum sæculariũ recordari, & aliqua de his dicere, quæ olim omisimus, non est nostræ voluntatis; sed (vt ita dicam) grauissimæ necessitatis.* Sic v. g. in materia Incarnationis, ad probandum,& explicandum Christi humanitatem non fuisse adoptatam à Deo, supponitur necessario vera definitio adoptionis ex principijs Philosophię Moralis, qua semel constituta, adhibetur propositio de fide, nempe in Christo Domino naturam humanam fuisse Verbo Dei substantialiter vnitam, & indè colligitur non fuisse adoptatam. Similiter idem seruatur ad probandum humanitatem in Christo non retinuisse conditionem seruilem, & sic de alijs.

Quare idem Hieronymus de tribus pueris in Daniele, ad præsens institutum necessitatis, & vtilitatis scientiarũ Philosophicarum, acutè ait: *Qui de mensa, & vino regis noluerunt comedere ne polluantur, vtique si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, non acquiescerent discere, quod non licebat.* Vnde super illud Exodi 3. *Postulabit mulier à vicina sua, & hospita sua*, Glossa interlinearis & ordinaria ex eodem D. Hieronymo. *Poëtæ & Philosophi quodammodo sunt nobis vicini*: quia in multis conueniunt. *Vasa argentea & aurea*. Glossa; *Argentum & aurum ab Aegyptijs petimus, vnde tabernaculũ Deo fabricemus, cum Poetas & Philosophos legimus, vt diuinam scripturam sapientius, & facundius legamus &c.* Quod idem docet D. August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 39. & de Ciuitate Dei lib.8.cap.9.de moribus Ecclesiæ cap.21. tom.1.de ordine lib.1. in fine, & lib.2.

Vel quartò dicta Philosophorum sunt vsurpanda, vt veritas sacræ doctrinæ etiam testimonijs aduersariorũ congruere appareat, secundũ quod D. Hieronymus loco statim citato super Epistolam ad Titum subiungit dicens: *Vt probemus ea, quæ à Sanctis Prophetis antè sæcula multa prædicta sunt, tam Græcorũ, quam Latinorum, & aliarum gentium litteris contineri.* Cui attestatur Chrisostomus cum dicit super illud Matth.2. homil.6. *Vidimus stellam eius in oriente. Ad maiorem Dei gloriam pertinebat, si virtus eius, etiam inimicorum testimonio panderetur: & si ipsi quoque gentilitatis magistri consonam proferrent de veri Dei potestate sententiam.* Quintò vt Philoso-

sophorum dictis imbuti facilius ad veritatem fidei vocentur, secundum quod dicit idem Chrisostomus ibidem paulò supra loquendo de vocatione Magorũ per stellam in typum vocationis gentiũ ad fidem. *Per ea,* inquit, *illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, quia enim vnusquisque consuetudinis suæ amicitia ligatur, missi ad totius Orbis salutem magistri de ipsarum cuiuslibet more gentis modos sibi assumunt docendi, sicut Paulus gentibus scribebat in medium testimonium proferens Poetæ, sicut patet in act. 17. Iudæis adhuc sub lege viuentibus de sacrificijs posuit initium doctrinæ.* Sextò denique, vt per vera quæ ex illis assumuntur, falsa ibidem contenta euidentius improbentur, secundum quod D. Augustinus tom. 6. lib. 13. contra Faustum cap. 15. dicit: *Si quid veri de Deo Sibyllæ, vel Orpheus, alijque gentilium vates, aut Philosophi prædicasse perhibentur, valet quidem ad paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad authoritatem complectendam.* Vide inferius dicenda lib. sequenti sect. 7.

CAPVT XI.

De varijs veterum Philosophorum Sectis, & vniuscuiusque tàm veritatibus, quàm erroribus.

SVpposito ex dictis superiori capite, quod ad diuinarum rerum explicationem, aut probationem Philosophorũ sententiæ, & dicta ita sint adhibenda, vt vera tantùm, vel probabilia retineri debeant, falsa autem, & simulata declinari: Operepretium duxi ad completam præsentis materiæ tractationem breuiter in medium adducere plures antiquorum Philosophorum, sectarumque illorum tàm veritates, quàm errores. Plura autem qui volet, quos in huius capitis fine subijciam, authores legere poterit.

Primùm igitur tres vniuersim fuerunt veterum Philosophorum Sectæ, Barbarica, Italica, Græcanica. Barbarica comprehendit Chaldeam cuius princeps fuit Zoroaster, & Aegyptiam cuius princeps fuit Mercurius Trismegistus, vt notat August. Eugubinus lib. 1. de perenni Philosop. cap. 2. Vel melius Barbarica Secta est illa quæ extra Græciam, & Italiam fuit, omnium antiquissima, vt potè cui à primo parente origo. Sethus enim primogenitus Adami eam ad posteros transmisit, & cum audiuissent à parente mundum aqua & igne periturũ, columnas duas constituerunt vnã latericiam, alteram lapideam, vt hæc aquis, illa igni superesset. In ijs Philosophiæ inuenta inscripserunt, quarum vna etiã post Christum natum, in Syria superfuit Iosephi tempore, vt ipsemet testatur libro 1. Iudaicarum Antiquitatum, cap. 4. vbi ait: *Conabor autem de Seth tantummodo narrare. Is namque nutritus, & perueniens ad ætatem, qua iam posset ea, quæ sunt bona, discernere, virtuti studuit. Et cum fuisset vir egregius, imitatores sui filios reliquit. Illi autem omnes cum boni fuissent orti, in eadem terra sine vexatione viuentes, felicissime commorati sunt: nihilque eis vsque ad vitæ terminum crudele prouenit. Disciplinam verò rerum cælestium, & ornatum earum primitus inuenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eis inuenta videbantur, aut antequam ad notitiam venirent, deperirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram verò aquarum vi ac multitudine fore venturam; duas facientes columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, in ambabus quæ inuenerant, cõscripserunt, vt etsi constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere, simul & quia lateralem aliam posuissent, quæ tamen Lapidea permanet hactenus in terra Syriæ.* Hucusque Iosephus Hebreus.

Hinc postea tam ad Chaldæos, quàm ad Aegyptios, cæterasque gentes, Gallos præsertim, qui apud Ortelium, & alios exscriptores vocãtur antiquissima gens, Philosophiæ, rerumque ad illam spectantium notitiam peruenisse credendũ est.

est. Certè Clemens Alexandrinus ait Philosophiam, cum prius apud alias gẽtes viguisset, postremũ ad Grecos peruenisse. Et inter eas gentes D. Augustinus Gallos refert, & Diogenes Laertius in procemio de vitis Philosophorum, licet male id refutet. Primò, quia nomen Philosophia, inquit, significat non à Barbaris inuentam. Secundò, quia tradita per ænigmata. Tertiò, quia Græci sunt gens antiquissima. Ad primum enim, esto, habuerit quæuis natio propria sapientum nomina, vt Chaldæi fuere apud Babylonios, & Assyrios, apud Aegyptios Sacerdotes, apud Persas Magi, apud Indos Bracmanes & Gymnosophistæ, apud Gallos Bardi, Vates, Eubages, Semnothei, Saronidæ, Druidæ, apud Græcos Philosophi, apud Siculos Galeotæ, apud Latinos Sapientes, apud Italos Hetrusci; & sic de cæteris; esto, inquam, res ita se habeat; Philosophia etiam nihil aliud est, nec significat quã Druida, siue Druis. Si enim verbum verbo reddas, Druis antiquissima Celtarum linguà nihil aliud quam fidelis, Sapiens, siue Dei sapientia. Quod vt clarius fiat, notandum est apud Gallos veteres antè Romanorum iugum, triplicẽ fuisse linguam, Celticam, Aquitanicam, Belgicam. Iam linguà Belgicà, veterique Germana, Dru, significat fidelem & sapientem: Ergo Druis fidelis, sapiens, vt rectè obseruauit Goropius Becanus in Gallicis, & Georgius Merula in Gallia. Vel idem est Druis ac Dei sapientia, quandoquidem constat Dru Belgicà vetere significare Deum. Philosophia autem est amor sapientiæ, & potissimum primæ sapientiæ quæ Deus est. Vnde tantùm abest vt Philosophia nõ sit Gallicum nomen, vt etiã sit explicatio Gallici nominis.

Ad secundũ de modo Philosophandi per ænigmata, dicitur hunc etiam modum fuisse in vsu apud Iudęos, & Aegyptios, & tamen sunt antiquiores Gręcis. Vnum autem ex Symbolis, vel ænigmatibus Druidarũ erat Pentalpha, alias vocatum calceamentum Philosophicum, & adhuc apud Germanos, apud quos postremum fuerunt Druidæ, Druthenibus, id est pes Druidarum dicitur.

Ad tertium vnde habet, & probat Laertius Grecos esse Gallis antiquiores; certe vt notauimus supra apud Orteliũ & alios scriptores vocatur antiquissima Gens etiam Gallica, ideoque putant aliqui dictos Gallos ab Hebręo Gala, id est pluuia, vnda, quasi tu dicas inundatos, & ab ipso diluuio statim natos.

Huius iterũ Sectæ Gallicæ sub Barbarica, cum Chaldęa & Aegyptia contentæ suæ fuerunt species. Etsi enim Pithæus rerum Gallicarum Scriptor, varia nomina quæ antiquitas reliquit Sapientum Gallorum, idem significare arbitretur (nomina autem tùm à Græcis, tùm à Latinis hęc recensentur Bardi, Vates, Eubages, Semnothei, Saronidæ, Druidæ). Nihilominus tamen certius est ex Srabone, Clusio, & alijs triplicem fuisse potissimum inter illos sapientum ordinem. Etenim Bardi Philosophiam quę ad orationẽ pertinet colebant, scilicet Poeticam cum Musica, & Oratoriam. Vates qui sunt ijdem, ac Eubages, aut magi, & veteri voce sagi, erant Physiologi, Aruspices, Astrologi & Medici; hæc enim secunda pars erat Philosophiæ. Druidæ ijdem sunt, ac Semnothei, vel Sennothei: vox enim Gallica antiqua hoc sonat: Ij fuerunt Theologi, Ethici, Politici, legum periti & sacrificijs Deorum prępositi; vndè Theologia, Iurisprudentia, & Politica tertia fuit Philosophiæ Gallicæ pars.

Quod pertinet ad modum docendi Druidarum. Primo nihil vnquam scriptis tradebant, is erat mos Pythagoræ, Socratis, Iudæorum, & omnium Cabalistarum: non enim putabant esse fas sua mysteria litteris tradere, ait Iulius Cæsar; vel ne doctrina sic euulgata facilius contemneretur, vel ne discipuli libris potius, quam memoriæ fiderent; Vel denique quia scientię, & doctrinæ litteris consignatæ, sunt veluti pulcherrima pictura, à qua si aliquid petas, non respondet, & in varios potest doctrina sen-

sensus detorqueri. Secundò, docebant clàm & in specubus, in abditis locis, in saltibus, & remotis lucis, locisque subterraneis; sic enim omnium gentium sacra docebantur. Tertiò, docebant Philosophiam 20. annis nobilissimos tantū gentis: nam summa erat auctoritas vitæ necisque, belli pacisque apud Druidas. Ne igitur litteræ in viles animas sparsæ vilescerent, nobilissimos tantùm admiserunt, quemadmodum Rex Persarum nemo esset populi, qui non antea Magorum hoc est apud ipsos sapientum doctrinam recepisset; etiam Aristoteles 20. annos auditor fuit Platonis. Quartò, omnem Philosophiam aliquot millibus versuum docebant; quia enim versus est oratio, ait Aristoteles, finita, ideò facilius memoria retinetur.

Inter veritates ab ipsis edoctas prima fuit colendum esse Deum; turpiter tamen in hoc errauerunt, quod docuerint illum esse placandum victima humana, siue reorum, siue hostium captiuorum, & illis deficientibus, innocentum. Docuerunt immortales esse animas; ob quam causam, vt veteres Galli mori nunquam timebant, vel pro patria, vel pro sapientia, ita summa erat inter illos liberalitas, & iustitia, namque exactio crediti deferebatur ad inferos: & vetus mos Gallorum fuit, vt mutuas darent pecunias alijs, ea tamen conditione vt in altera vita redderentur vt est apud Valerium Maximum, qua etiam in re turpiter aberrauerunt, sicut & in asserenda animarum metempsycosi vt de illis tradit Iulius Cæsar; indeque fortasse Ianus Cęcilius Frey in opusculo de Philosophia Druidarū, ex authoribus fide dignis refert & Pythagoram, & Numam Pompilium Druidarum fuisse discipulos: ideoque Philosophiam Pythagoricam, inter cuius dogmata animarum metempsycosis recensetur, à Druidibus esse repetendam. Quantum ad Druidarum Politicam, Philosophiamque moralem. Druidibus præerat vnus, qui summam inter eos habebat authoritatem, quo mortuo, si plures essent pares dignitate, suffragijs eligebatur alius, hic vocabatur Archegus *Iereum*, id est, Princeps Sacerdotum, & sine illo nihil licebat Regibus Gallorum antiquissimis facere aut consulere. Ita vt sapientia gubernaret Regem, Rex verò auctoritate, & fortitudine cæteros. Refert quoque Strabo Druidas potissimum de moribus disputasse, cùmque de eorum iustitia summa apud omnes esset opinio, ideò etiam omnia publica priuataque iudicia fuisse ipsis commissa. Itaque apud Diogenem Laertium docent Druidæ nihil penitus faciendum mali, si quod bonum facinus à quibuscumque tandē perpetratum fuisset, præmia statuebant, & si quod malum, pœnas. Apud Athenæum Bardi comitabantur Duces, & milites, vt egregia ipsorum facta, præmij loco recenserent. Pœna autem grauissima erat sacrificijs interdicere, & quibus sic erat interdictum, hi impij habebantur, eosque omnes velut contagione infectos fugiebant. Præterea vt est apud Stobæum, grauius animaduerterunt in eum, qui peregrinum, quàm qui ciuem occidisset; huic enim exilium, illi verò mors pœna erat. Temperantiam, & modestiam summè coluerunt: ita vt docerent abstinendum esse vino, vt est apud Ausonium. Circa puerorum educationem, recens natos liberos, vt Aristoteles refert, & alij, nudos flumini immerserunt: cuius ratio hæc est, quod statim à pueritia frigori assuescere plurimum ad sanitatem, & ad res bellicas vtile sit. Sic Aristoteles: secunda est apud Galenum, quemadmodum ferrum candens in frigidam immersum aquam induratur: ita de naturæ vigore periculum faciebant: simulque corpus ipsum roborabant. Liberos non admiserunt in conspectum, nisi doctrina iam imbutos aliqua, aut militię aptos. Quæ omnia certè ratione naturali, eiusque lumini videntur esse valdè consentanea. Vltimò tandem loco notauerim ex Rouillardo in Parth. ceu historia Ecclesi. Carnoten. cap.4. quod Druides in partibus Carnotensium degentes centum & eo amplius annis

annis ante B. Virginis Natiuitatem, ei consectarunt Imaginem, & Aram quæ adhuc hodie extant, titulum ponentes Virgini pariturę, de quibus vide præfatum authorem.

Græcanica Philosophia diuiditur in sectas tres, Poeticam, Eleaticam,& Ionicam ex Lipsio in introductione ad Stoicam Philosophiam lib. 1. disput. 7. quamuis ab alijs Eleatica sub Italica annumeretur. Poeticæ Princeps fuit Orphæus, qui de Deo cecinit, vt habetur apud Iustinum in exhortat. ad gentes; *Vnus per se genitus,ab eo cuncta progenita sunt*. Hunc sequitur Hesiodus; *Omnia*, dixit, *vna ab radice creari*; Post hunc Homerus Odyss. 1. *Pater ille hominumque, Deumque*. Ionicæ Princeps fuit Thales Milesius, cui postea successerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, & Archelaus, qui primus Philosophiam ex Ionia Athenas transtulit. Inter veritates ab illis omnibus edoctas prima fuit Dei existentia. *Deum*, inquit Tullius lib. 1. de natura Deorum loquendo de Thalete; *mentem dixit,quæ ex aqua cuncta fingeret*; consonè ad veritatem, quę habetur Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Anaximander quoque principium efficiens rerum omnium dixit esse, *non vnum ex his,quæ videntur, sed aliquid aliud infinitum*. Quod idem de Anaximene eius discipulo tradit Laertius in eius vita. Et Anaxagoras in principio sui operis, *Mens*, inquit, *author vna est omniũ, quæ cernimus*. Porrò Thales Melesius, vt fuit vnus ex septem Græcię sapientibus, cui socij dantur, Solon, Chilon, Periander, Cleobulus, Bias, & Pittacus, multa etiam præclara tradidit Philosophiæ moralis documenta; apud eumdem Tullium lib. 2. de legibus dicebat, homines existimare oportere, omnia quæ cernerent Deorum esse plena: fore enim castiores velutique in fanis essent, maximè religiosos. Interrogatus; quid esset omnium difficillimum; seipsum noscere, respondit. Item, laterent ne Deos, male agentes, nec cogitantes quidem dixit. Denique, eos honestissimè viuere, qui quæ in alijs reprehenderent, ipsi nõ facerent. Verũ inter tot insignia sectæ Ionicę documenta, sui etiã non defuerunt errores; vide Tulliũ lib. 1. de natura Deorũ, vbi de Anaximandro, & Anaximene.

Post Ionicæ sectæ translationem Athenas primùm ab Archelao factam, mirum in modum florere cæpit sub eius discipulo Socrate patria etiam Atheniẽsi, adeò vt ab eius nomine Socratica diceretur. Hic enim relicta Physica, quam minus vtilem esse animaduertebat, ita se totum Ethicę, Philosophiæque morali tradidit, vt eius author existimatus fuerit. Socrates, inquit Tullius, Philosophiam deuocauit è cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quęrere. Quare è Statuario, morum euasit magister, & Socraticæ disciplinæ author. Vnde damnare solebat homines, quod curarent lapides similes hominũ reddere & ne ipsi lapides essent non curare. Sũmum hominis bonum in vna virtute cõsistere putauit, & voluptatem nullo loco numerauit. Mortis iniusta causa, fuit vnius Dei contra Deorum multitudinem confessio. Moritur in carcere, cicutę venenó extinctus: eum tamen prius multa de animarum immortalitate disseruisset. Vxori dicenti iniustè moreris: at tu, inquit, iustè velles? Quamuis alij putent ipsum à genio suo, id est spiritu familiari deceptum fuisse, quem Deum Socratis appellari sustinuit, à quo adeò dementatus est, vt nihil nisi eius iussu perageret, vide Chrysost. Iauellum Philosoph. Christianæ 1. par. cap. 4.

Hæc & similia ex Ionica institutione primi docuisse reperiuntur, quæ in plures postea deriuata est, in Academicam, Paripateticam, Stoicam, Epicuream, Cyrenaicam, Cynicam, Ephecticam, vel Scepticam; quæ omnes appellationes desumuntur, vel à persona quæ sectam instituit, vt Epicurea: Vel à patria, vt Cyrenaica, à Cyrene Lybiæ oppido Aristippi patria: Vel à loco in quo docebatur

batur vt Academica, Stoica, & Lycæa. Academia enim fuit locus propè Athenas nemorosus, & paluster, & idcirco minus saluber, vbi Plato primùm docere cæpit. Lyceum fuit alius locus Athenis, quem Aristoteles relicto Platone magistro sibi ad docendum elegit. Stoa denique, Latinè porticus, in eadem vrbe fuit, Pœcile etiam cognominata, Latinè, varia, & variegata, à varietate picturæ Marathoniam pugnam referentis, gratuito à Polignoto factæ: quo in loco Zeno propterea etiam Stoicus dictus, cum ab academia defecit, docere cæpit: Vel ab actione, quæ in docendo adhibebatur, vt Peripatetica, à deambulando: vel à genere vitæ, vt Cynica, quasi Canina, quod qui eam profitebantur Antesthenes, Diogenes Cynicus, Hercules, & alij, more Canino, & nimia acerbitate, licentiaque sermonis quamdam caninam rabiem præ se ferent: Vel ab electione, & libero arbitrio in Philosophando; vt Ephectica, & Sceptica; ad quam referri debet ea secta, quæ Electrix fuit appellata; quę ex omni alia, quid sibi probabile videbatur, eligebat, cuius Princeps fuit Alexandrinus Potamon. Etiam Philosophi, & eorum sectæ nomen sumpserunt ab ea Philosophiæ parte, quam potissimum coluère: hinc alij Physici, vt ferè omnes, qui Socratem antecessere: alij Ethici, vt Socratici omnes; alij Dialectici, vt Megarenses, à quibus etiam secta Megarica fuit dicta.

Rursus Academicam sectam mortuo Platone in plures veluti riuulos fuisse diuisam reperimus; cùm enim Platonis scripta, siue dialogi, in duo sint distincta genera: in quorum vno, more Socratico, potius confutando & refellendo, quam aliquid tanquam certum statuendo disputatur, in altero aliquid certi statuitur, atque præcipitur, qui dogmatici vocantur, vt illi elengetici, quod in illis aliquid statueretur, in his verò, solum redargueretur; hinc Academicorum alij dogmatici, qui aliquid certi differendo statuebant, vndè secta dogmatici; alij Aporetici, *qui nihil definiebant*; sic dicti, quod de *omnibus disputarent*, vnde Secta *Aporetica*; ad quam reduci debet Pyrrhonia, *sic à Pyrrhone* Cliense dicta, qui eadem *ætate* floruit cùm Academicis, & nihil *comprehendi* posse affirmauit, nec aliquid *aut honestum*, aut turpe esse, & in *summa*, nihil potius hoc, quàm illud. Cui *doctrinę* consentaneus fuit viuendi modus, cum omnia pro eodem haberet, & nihil declinaret, sed cuncta ęquè sustinebat. Quare more Aporetico, nullum dogma statuit nec definiuit: & nihil per naturam esse tale, sed quale videretur, existimauit: ac proindè dicere solebat, *Nihil magis*, hoc est, non magis hoc, quam illud. Sectæ dogmaticæ principalis promotor fuit Zeno Citticus, Aporeticæ vero Arcesilas Pritaneus, quæ etiam dicta fuit Zetetica, à continua veritatis inquisitione, sicut & Sceptica, vel Ephectica à perpetua rerum consideratione, absque vlla definitione: Cum enim ex Eusebio lib. 14. de pręparat. Euang. c. 2. in Palemone, vel secundum Laertium in Crantore, vel Crate vt aliqui scribũt, prima Platonis academia terminum habuisset, postea successerunt Zeno Citticus, & Arcesilas Pritaneus. Hic itaque Zeno non ille Eleates, quem in Parmenide disputantem facit Plato, academia omissa, in Stoa docere cœpit, Cinicorum dogmata sequutus, quæ tamen nuditate, & obscænitate abiecta, ad humanitatem, & honestatem deflexit. Arcesilas vero, cum Zeno sic ab academia defecisset, & alia quędam dogmata amplexus fuisset, vt ei se se opponeret, nihil sciri, & comprehendi posse docuit, Zenone aliter sentiente. Et vt suam opinionem magis plausibilem redderet, dicebat se non esse huius doctrinæ inuentorem; sed instauratorem, & non solum Platonis & Socratis; sed etiam Empedoclis, Anaxagoræ, & Parmedinis, doctrinam iam sopitam in lucem reuocare. Huius igitur quatuor in summa fuere decreta: Nihil posse comprehendi: sapientem nulli vnquam rei assensurum:

omnia

omnia esse ęqualiter incerta, obscura & improbabilia: & denique sapientem nihil probaturum, & opinaturum.

Verum Carneades eiusdem Scholæ sectator, cum aliqua parte, ab Arcesila dissentiret, & ex illis quatuor eius decretis, duo tantùm priora admitteret, in posterioribus discreparet; etenim inter omnino incertum & comprehensum, medium quiddam ponebat, probabile & verisimile, & hoc probare, ac sequi debere sapientem, tùm in disserendo, tum in vita agenda; ita tamen, vt non se scire, sed opinari, non verum comprehendere, sed verisimilitudinem sequi intelligat; cum inquam Carneades ita sentiret, Arcesileaque decreta tẽperaret, tertiæ Academiæ veluti intermediæ principium dedit. Carneadi Cyrenæo successit Clitomachus librorum multitudine clarus ex Tullio lib. 2. Academ. quęst. Clitomachum audiuit Philo, de quo etiã meminit Tullius loco citato, & lib. 1. de nat. Deorum. Hunc Eusebius quartæ Academiæ authorem facit: quippe qui hoc priuatum habuit dogma, Dogmaticam Academiam ab Aporetica nihil differre, & ita pro nouis Academicis duos libros conscripsit. Philonis auditor, & quintæ Academiæ auctor fuit Antiochus, qui contra præceptorem suum, & Academicos librũ, qui Sorus inscriptus erat, foras dedit, & ab Aporetica disciplina discedens ad veterẽ rediit, Stoicis adstipulatus, & ita vetus Academia innouata est; ex Tullio locis citatis. Sexta Academicorum Secta, fuit appellata Platonica, quod purum profiterentur Platonismum, vt testatum reliquit D. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. 12. In qua Plotinum, Iamblicum & Porphyrium reponit. Et vt illæ priores fuerunt appellatæ Atticæ, quod earum principes Athenis fint professi; ita hęc Peregrina, quod eius Sectatores extra Athenas docuerint. Hanc Platonicam Academiam aliqui in tres alias distinguunt: in Alexandrinam, siue Aegyptiacam, quæ ab Ammonio Saca Alexandrino Plotini & Origenis præceptore, quo tempore Syrianus Atheniensi Scholæ præfuit, habuit originem: in Romanam siue Italam à Plotino institutam; & in Lyciam ex Proclo, qui sub Anastasio Imperatore floruit, natam.

Vt autem quid istæ Scholæ inter se differrẽt, breuiter explicetur, notandum est Platonicos in suo magistro quamdã saltem apparentem contradictionem siue antologiam inuenisse, quod aliquando humanum corpus soma, sima, id est sepulchrum appellauerit; cum sit veluti animæ sepultura; alibi verò contrarium docuerit, dicendo, animam habere & viuere, & bene viuere à corpore, & cum eodem quamdam harmoniam conficere: qui vt hæc loca conciliarent, in eam communem iniere sententiã vt putauerint, animam humanam esse aptam ad effundendam vitam in duo corpora: in vnum diuinum, & immortale, in alterũ caducum & corruptibile. Illud vocant animæ vehiculum, ad quod maximam habet propensionem, ac proinde cum eo libentissimè coniungitur: hoc vero quasi animæ sepulchrum, aut ergastulum. Dum anima in priore corpore existit, est pellucida, tenuis, & cælestis quædam substantia, nec à superiorum contemplatione recedit, & simul etiam inferiora cognoscit, ob quam causam duplicem ei tribuunt faciem. At verò dum amore generationis capta ad corpus mortale descendit, solùm sensibilia intuetur, & rerum intellectibilium aspectu priuatur; vndè fit vt vnam tantùm retineat faciem. Quod si dum in hoc corporis ergastulo inclusa manet, rerum sublimium, ac cælestium amore rapiatur, hoc extraneum vehiculum deponere potest, & cum æthereo vtramque faciem rursus acquirere. Hunc animæ reciprocum in hæc duo corpora motum, ob mundi æternitatem, quam omnes ferè Platonici Philosophi tenent, infinitum faciunt. Quoniam posita semel mundi æternitate, & animorum immortalitate, sequeretur dari infinitum in actu; vt hoc inconueniens vitaretur, vetus Academia & Aegyptiaca ab Ammo-

monio fundata, animarum transmigrationem, metempsichosim Græci vocant, admisit, contra quam acutè & eleganter disputat Tertullianus lib. de anima, quamuis ipse de tota animæ natura non omnino rectè senserit. Fuit ergò Aegyptiacæ Academiæ hęc nota, vt Platonem & Aristotelem in omnibus conuenire doceret: cùm tamen vetus, in his præcipuè, quæ ad finem bonorum & malorum pertinent, eos consentire censuerit.

At Romana & Lycia Academia in animarum descensu, non modo transmigrationem, sed etiam metemsomatosim, id est, vt ita dicam, transcorporationē, & in corpus ferinum migrationem posuit; & hoc est commune earum decretum: quæ tamen differunt. Primò quia Proclus, cum quo Syrianus, & Hermias sentiunt, dicit animam humanam & ferinam se coniungere, & comites fieri: Plotinus vero cum quo Numenius cōcordat, docuit animam miscere se ferino fætui, & eius bestiæ subire corpus, cuius se moribus similem pręstitit. Sunt qui quartam addant Sectam ex quadam Porphyrij doctrina sumptam: qui existimauit circulum illum animarum non posse esse infinitum: quia anima aliquando à sordibus & erroribus purgata, penes Patrem constituta, & consubstantialis paternæ menti facta, non patietur amplius huius mundi mala. Et hęc breuiter dicta sufficiant de Gręcanicæ Philosophiæ, sectarumque illius ortu, & progressu; Quod pertinet modo ad illarum dogmata, sequentibus capitibus de illis agemus tractando in particulari de Platonica, Aristotelica, Stoica & Epicurea Philosophia. Solum hic aduerto stultissimam ac vanissimam esse Aporeticam illam, & adiaphoram Philosophandi rationem, quam vt vidimus aliqui post Arcesilam illius authorem tenuerunt Academici; hanc enim qui sequuntur, hos verè euanescere in cogitationibus suis, & in omnes errores sub fucata libertatis specie prolabi necesse est; vt nostris temporibus hęreticis nonnullis contingit. Quare Ioannes Bagotius Societatis Iesu Theologus in Apologetico fidei de vera religione acturus totum primum librum consumit in asserendâ contra Pyrrhonios, Academicos Arcesileos, & Manichęos pręcipuos Atheorum, & hęreticorum fautores, cognitionis fideique humanæ certitudine. Quod prius fecerat D. Augustinus; is enim, vt in libro retract. cap. 1. & lib. 3. contra Academ. cap. vltimo refert, suas elucubrationes Theologicas, deque religione vera disceptationes exorsus est à suis contra Academicos libris, *vt argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inueniendi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omninò aliquid tanquàm manifestum certumque sit approbare sapientem, ab animo suo, quia ipsum mouebant, quantis posset rationibus amoueret.*

Aliqui tamen putant, quod hic ad extremum addere placuit, vt quid de totius Academiæ consilio, atque progressione sentiendum sit facilius intelligatur; aliqui, inquam, putant nullum Academicorum vnquam tàm ex veteribus, quam ex nouis fuisse, qui certam in aliquibus negauerit scientiā; sed tantum, cum Zeno ab academia defecisset, & falsas quasdam opiniones inuexisset, vt quod animæ sint corporatæ, mortales, nihil inueniri quod mole careat, & similia de quibus infra; hęc animaduertens Arcesilas, & acutè prouidens turbam ad falsas opiniones capescendas esse pronam, propterea potius dedocere, quàm docere instituit, negando interim aliquid sciri posse, si omnia essent corporea, & singularia: & ita veram Academiæ doctrinam occultari voluit, quā postea Carneades, cùm videret Stoicos iam esse fractos, reserare cœpit, verisimilia concedendo. At verò cum Philo quartæ Academiæ caput Stoicos plenè profligatos videret, dogmaticam & nouam academiam nihil inter se differre docuit, & qui ei successit, adhuc apertius idem fecit Antiochus, palàm docendo veritatem comprehendi posse, cum iam sublatam videret illam perniciosā Stoicorum

corum

eorum doctrinam, quod nihil esset nisi corporeum, ad quam tollendam academia ad incomprehensibilitatem, quasi ad quoddam amuletum confugerat. Sed quidquid Academici senserint, eis omissis, de quibus vide authores inferius citandos & D.August. lib. 2. de Academ. ad tertiam Philosophię Sectam accedamus.

Tertia igitur Philosophiæ Secta fuit Italica, cui principium dedit Pherecides Syrus, vel potius Pythagoras Samius eius discipulus, propterea quod regnante Tarquinio Superbo, primus eam fundauit in Italia, maximè verò Crotone, magna frequentia, & nobilitate discipulorum; vndè ab illo aliquando Pythagorica; aliquando à loco vbi primum docuit, Italica Secta, vel Philosophia nuncupari solet. Multa per sæcula sic viguit eius fama, vt nulli alij docti quã Pythagorei viderentur; cuius etiam sapientiæ præiudicata opinio tantùm valuit apud eius auditores, vt cùm quid affirmarent, si quæreretur ex ipsis cur ita esset? nihil aliud responderent, quàm ipse dixit; ipse autem erat Pythagoras. Nec mirum, de Pherecyde enim Syro eius præceptore dicitur, quod fuerit primus Philosophorum, quòd litteris extet, qui dixerit animas hominum esse immortales, & non fabulosè more antiquorum (vt Aristoteles testatur 14. Metaph. cap. 6.) sed grauiter, & serio Philosophari cœperit: De Pythagora verò Iosephus contra Appian. hæc habet. *Pythagoras*, inquit, *inter veteres sapientia, & erga Deum pietate censendus est omnes, qui vnquam philosophati sunt excedere*. Hic apud Iustinum in exhortat. ad gentes: *Deus*, inquit, *omnium pater, mens & animatio cunctarum rerum*, & apud eumdem libro de Monarchia, *mundus*, inquit *à Deo factus est*. Quod ad alia doctrinę illius monumenta attinet, multa extant apud scriptores symbola, hoc est, sapienter dicta, metaphoris inuoluta, vt hæc, Hirundines domo pellito, id est, adulatores. Ignem gladio ne fodito, id est, potentium iram ne commoueas. Noli gustare ea, quorum cauda est nigra, hoc est, voluptates. Conuerso ad Solem vultu non esse mingendum, id est, contra veritatem non standum. Extant insuper quædam carmina sapientiæ, & eruditionis plena, quæ eidem tribuuntur. Quamuis etiam in doctrina ab illo tradita sui non desint næui; præterquam quod enim posuit animarum migrationem ex corpore in corpus tàm brutum quàm humanum, nesciens aliud allegare præmiũ pro bona ac rectè acta vita, & pœnam ex mala vita. De cultu etiam diuino pessima sensit. Nam in his, qui dicuntur aurei versus Pythagoræ, eo quod censentur totius humanę vitæ regula, instituit Deos venerandos atque colendos, vt lege dispositi sunt.

Plura videri possunt apud D. Thomam varijs in locis operum illius, vbi data occasione de Pythagora eiusque doctrina agit. Metaphys. 3. lect. 1. in fine docet Aristotelem incepisse, & processisse à facilioribus, & sensibilibus ad separata, sed Platonem, & Pythagoram è conuerso. Ethic. 6. lect. 6. refert, quod Pythagoras, cum nobilis ac diues esset, reliquerit patrimonium, & dederit se speculationi naturalium, dicens cælum esse patriam suam. Opusculo 20. Metaphys. lect. 3. & 10. asserit Pythagoram fuisse post septem Sapientes, & ante Platonem, & Aristotelem, siquidẽ Plato ex studiosa veritatis inquisitione, cum vbique terrarum Philosophos quęreret, vt eorum dogmata sciret, venit Tarentum in Italiam, audire Architam discipulum Pythagoræ. ex 22. quæst. 182. art. 2. ad 1. Pythagoras voluit profiteri, se esse sapientem, seu amatorem sapientiæ. Ex 3. p. quæst. 42. art. 4. Pythagoras & Socrates, nihil scripserunt, quia fuerunt excellentissimi doctores. ex 2. de cælo lect. 20. Psal. 23. Pythagorici dixerunt ignem esse in medio totius mundi. In secundũ sentent. distinct. 1. q. 1. artic. 1. lib. 2. contra gentes cap. 41. & 3. cap. 9. de potentia quæst. 3. artic. 6. de Malo quæst. 1. art. 1. ad 1. Ethic. 1. lect. 7. Metaph. lect. 8. Pythagoras posuit duas coor-

coordinationes, scilicet, primam decem bonorum, id est, quia posuit ibi, finitum, impar, vnum, dextrum, masculum, quiescens, rectum, lumen, bonum, triangulum æquilaterum. Et secundam decem malorum, quia posuit ibi infinitum, par, multitudinem, sinistrum, fæminam, motum, obliquum, tenebras, malum, & altera parte longius. Libro 2. contra Gentes cap. 44. & 73. Anima non transit in aliud corpus secundum fabulam Pythagoræ Opusc. 20. lib. 4. cap. 22. Pythagoras in sua politia tradidit magis ordinata ad regimen animæ, quam corporis, qua regulata, corporalia facilius disponuntur; ibidem à cap. 14. ad 24. politias Lacedemoniorũ; Cretensium, Calcedonensium, & Pythagoræ comparat ad inuicem, & reprobat. Ibidem cap. 21. secundum Hieronymum filiam habuit tantæ pudicitiæ, vt virginitatẽ seruans, choro simul virginum iam præesset, easque castitatis instruxit doctrina: ibidem Pythagoras moritur Methaponti, cuius domus fit templum, & pro Deo colitur. Tandem Metaph. lect. 7. duo asserit fuisse genera Philosophorum, scilicet, Ionicorum in Græcia, & Italicorum in magna Grçcia, id est, in Apulia, & Calabria, quorum Princeps fuit Pythagoras de Samnio Calabriæ.

Quod pertinet modo ad huius sectę progressum, Philosophięque Pythagoricæ sectatores, ad Pythagoram Lucanios, Picentes, Mesapios, & Romanos disciplinæ causa se contulisse legimus; cui mortuo successit Thelanges filius, ei Xenophantes, huic Parmenides, Parmenidi Zeno Eleates, Zenoni Leucippus, ei Democritus; quem audiuit Mausiphanes Epicuri præceptor; vel secundum alios, qui ad Scholam Pythagoream reuocant Eleaticam, sic nuncupatam ab Elea ciuitate Lucaniæ, vbi culta fuit, primi Pythagoræ sectatores hi perhibentur, Theano vxor, Thelanges, filius Empedocles Epicharmus, Architas Tarentinus, Alcmæo Crotoniates, Hippasus Metapontinus, & Philolaus. Eleaticæ verò Scholæ, hi, Xenophãtes, Parmenides, Melissus, Zeno Eleates, Leucippus, & Democritus: quo etiam tempore Hippocrates medicorum princeps, & Heraclitus floruere. Quod autem in huius Philosophi discipulis ponitur à nonnullis Numa Pompilius Secundus Romanorum Rex, est omnino falsum; cum is centũ annis fuerit vetustior Pythagora. Et hæc de tribus veterum Philosophorum sectis sufficiant, quorum qui exactiorem voluerit sibi comparare notitiam, poterit consulere sequentes authores Diogenem Laertium, de vitis Philosophorum, Plutarchum in opusc. Ciceronem in omnibus ferè libris de Philosophia, & speciatim in Academicis, & de finibus; Sextum Empiricum lib. 1. Hypot. vbi septemdecim Pyrrhoniorum Philosophorum argumenta, pro aporetica, & adiaphora philosophandi ratione fusissimè explicat; Suidam, Eusebium Cæsariensem in lib. de præparat. Euangelica, Clementem Alexandrinum in libris Stromatum, Cyrillum pariter Alexandrinum contra Iulianum Augustum; Theodoretum de curandis Græcanicis affectionibus, Augustinum lib. 8. de ciuitate Dei, Ioannem Franciscum Picum in lib. de vanitate doctrinæ gentium, Eunapium, Franciscum Georgiũ in suis canticis, Benedictum Pererium Physicorum lib. 4. Ludouicum Carbonem introductionis in vniuersam Philosophiam lib. 3. Ioannem Bagotium in Apologetico fidei lib. 1. Augustinum Eugubinum in libris de perenni Philosophia; Ludouicum Viues in libris de corruptione artium; Ioannem Baptistam Crispum Gallipolitanum de Ethnicis Philosophis cautè legendis. Burghesium de humilitate contra Stoicos, & eorum paradoxa, aliosque plures.



CA-

CAPVT XII.

De Platonis, Philosophiaque Platonica authoritate.

CVm ex tanta post Socratem exortarum, & cultarum Philosophicarum disciplinarum, vel sectarum multitudine, vt superiori capite vidimus, quatuor magis illustres, quarum adhuc monumenta, quamuis non omnia, nec omnino integra ad nos peruenerũt, fuerint Platonica, Aristotelica, Stoica, & Epicurea; placuit etiam de vniuscuiusque illarum authoritate magis in particulari agere, in ordine ad conuenientiam, vel disconuenientiam quam habent cum supernaturalibus fidei nostræ, doctrinæque cęlitus reuelatæ mysterijs, ac veritatibus.

Incipiendo igitur à Platonica, illi principium dedit Plato, sic nominatus, cum ei nomen esset Aristocles, à laterum frontisue latitudine, vel vt alij volunt, à copia dicendi, qua orationem copiosè dilatabat: fuit natione Gręcus, Patria Atheniensis, natus ex Aristone Patre, & Potona Matre, quo autem præcisè mundi anno, tot sunt variæ sententiæ, quot in annis ab ortu mundi cõputandis, diuersa quoque repetiuntur Chronologorum placita, quæ huius loci non est fusius examinare, sed alia forsan dabit opportunior occasio de illis agendi, in decursu huius operis, pręsertim lib. 3. sect. 1. cap. 63. vbi de sacræ Scripturæ veteris Testamenti Chronotaxi. Plura hic circa eius viuendi modum adduci possent, sed illis omissis, vt potè extra præsens institutũ. Quod pertinet ad eius doctrinam, pręclara illius monumenta triginta septem libris contenta reliquit, quæ claritatis gratia ad quinque pręcipua reduci possunt capita. *Primum* complectitur libros Theologicos, qui ad religionem pertinent; cuiusmodi sunt, Eutyphron, vel de sancto: Socratis apologia: Crito, id est, de eo quod agendum est, vel de eo, quod is egerit in carcere cum Socrate: Phędo, vel de animi immortalitate; horum enim librorum lectione animus religione poterit informari, & ad philosophiã percipiendam idonee parari.

Secundum continet illos, qui de vera & falsa philosophia disputant, Theages, vel de sapientia: Amatores, vel de philosophia: Theætetus, vel de scientia, quibus libris aduersantur Euthydemus, vel litigiosus; Sophista, vel de ente; Hippias minor, vel de mendacio, & Protagoras, vel de moribus sapientiæ professorum. Quibus in libris malos, ineptos garrientesque philosophos insectatur, & veram philosophandi rationem ostendit. *Tertium* comprehendit libros ad sermonem, hoc est ad Dialecticam, Rethoricam, & Poeticam pertinentes, vt Cratylus, vel de recta nominum ratione, siue de interpretatione: Gorgias, vel de Rethorica: Io, vel de Iliade, siue de Poetico furore, characterēue, aut de recta exponendorum poetarum ratione. *Quartum* Ethicos, & Politicos, qui rursus in tres distribuuntur classes; in prima continentur libri ad communem de moribus doctrinam spectantes; vt Philebus, vel de voluptate, siue de summo bono: Menon, vel de virtute: Alcibiades primus, vel de natura hominis. In secunda ponuntur illi dialogi, in quibus explicatur peculiaris morum doctrina, vt Alcibiades secundus, vel de voto & precatione: Charmides, vel de temperantia: Syxtis, vel de amicitia: Hipparchus, vel de lucri cupiditate. In tertia classe reponuntur omnes libri Politici. Menexenus, vel de Attica antiquitate, seu oratio funebris, & hortatio ad amandam, tuendamque patriam: Politicus, siue Ciuilis, vel de regno, definitione politicæ: Minos, vel de lege, introductio ad libros politicos: de republ. libri decem, vel de iusto; legum, siue de legibus, legumue latione libri duodecim: Epinomis, id est, legum appendix, & summa, vel Philosophus. *Quintum* denique complectitur libros, qui ad Phy-

ſicam, & Metaphyſicam pertinent; Timęus, vel de natura, ſiue de vniuerſitate, hoc eſt, de mundi anima, & natura: Critias, vel Atlanticus, appendix Timęi, de priſci mundi hiſtoria: Parmenides, vel de vno omnium principio, & de Idæis: Sympoſion, hoc eſt, conuiuium, ſiue de amore: Phædrus ſiue de pulchro: Hippias maior, id eſt, de pulchro, ſiue honeſto.

Poſtremò loco poſſunt reponi libri exiſtimati ſpurij, vt duodecim epiſtolæ, & quidam alij dialogi, Axiochus, vel de morte; de iuſto, vel de iuſtitia; de virtute an doceri poſſit; Demodocus, vel de conſultando; Siſyphus, vel de deliberando, Erixias, vel de diuitijs, Clitopho, vel hortatorius, quem tamen Laertius inter ſpurios non reponit, & tandem liber, qui inſcribitur definitiones. Extant inſuper inter opera Platonis duo libelli, in quibus continetur doctrina ex Platone collecta, vnus Speuſippi de definitionibus Platonis, alter Alcinoi Philoſophi Platonici de doctrina Platonis.

Modo circa doctrinam in Platonicis libris contentam, inter duas extremas ſententias, quarum vna exiſtimat illam eſſe omni ex parte abſolutam, ſummaque proindè cum admiratione diuinam appellat; altera verò adeò parum bene de illa ſentit, vt eius authoritatem non pluris faciat, quam boni oratoris, vel poëtæ, & in numero bonorum Philoſophorum non ponat, atque Philoſophiæ perdiſcendæ cauſa legendum non putet; inter has, inquam, duas extremas ſententias, media ac regia via incedendum puto, nimirum Platonem præſtantiſſimi fuiſſe ingenij, pluraque ſcripſiſſe valdè vtilia, & cum Chriſtiana religione conſentanea; attamen non eſſe adeò integram eius doctrinam, vt nihil macularum habeat. Prima pars probatur, & vt omittam Ethnicorum Philoſophorum teſtimonia, quorum aliqui nimia vt dicebam cum admiratione Platonem diuinum, alij, vt Cicero lib. 2. de nat. Deor. Philoſophorum Deum appellare auſi ſunt; primum occurrit authoritas Diui Auguſtini lib. 3. de Academicis cap. 17. vbi vocat Platonem ſapientiſſimum, & eruditiſſimum temporum ſuorum; capite verò 18. aſſerit os illius in Philoſophia purgatiſſimum eſſe, & lucidiſſimū, ſed quod magis eſt Epiſt. 56. ad Dioſcorum non dubitat dicere, quod Platonici Philoſophi paucis mutatis, quæ Chriſtiana improbat religio, inuictiſſimo Regi Chriſto ceruices ſubmittere, Chriſtianoſque fieri nō recuſaſſent, & cap. 3. de vera religione, quod ſi Plato tempore Chriſti vixiſſet, illum Deum fuiſſe dixiſſet, adeò Platonica doctrina eiuſq; principia, quod certè non parum ad eius commendationem facit, in multis cum Chriſtianæ diſciplinæ veritatibus conſentiunt. Huc facit, ſi tamen verum eſt, quod Nicetas vetus Gregorij Nazianzeni Scholiaſtes, litteris commendauit in orat. 2. in Paſſ. Platonem cuidam Chriſtiano eum maledicenti noctu apparuiſſe, eique dixiſſe ſe vna cum antiquis patribus è limbo fuiſſe ereptum, & in cælum traductum. Et ſanè Iuſtinus Martyr orat. ad Anton. cum ibi omnes, qui Chriſtum anteceſſerunt, qui tamen honeſtè vixere, Chriſtianos nominandos eſſe doceat, inter illos Platonem reponere videtur. Diuus quoque Thomas opuſcul. 20. lib. 4. cap. 14. Platonem ſapientiſſimum omnium vocat, & 22. quæſt. 152. art. 2. ad tertium, docet ſolum Platonem amore veritatis contemplandæ, abſtinuiſſe ab omni delectatione venerea.

Et ita rem ſe habere tàm in ſpeculatiuis, quam moralibus patebit legenti tàm eius libros, quàm authores inferius citandos, qui de Platonica Philoſophia ſcripſere: inter quos præſertim, ſi quis ea cognoſcere volet, quæ Plato de moribus docuit, legi debet Chriſoſtomus Iauellus, qui primùm omnia quæ ad Ethicam, hoc eſt moralem Platonis Philoſophiam pertinent, ſeptem tractatibus collegit; in quorum primò tribus capitibus agitur de cognoſcendo Deo, vt enim homo rectè, ac virtuosè viuat opor-

oportet ex doctrina Platonis, vt de Deo glorioso, tria firmissimè sentiat; primò quod in rerum natura Deus est; secundò quod vniuersa humana, & magna, & parua curat, nihilque subterfugit eius sapientissimam prouidentiam & sollicitudinem; tertiò quod non flagitiosorum hominum, ac malorum votis, & precationibus & sacris flectitur, nec placatur. In secundo tractatu agitur per quinque capita de cognitione sui ipsius; quoniam, vt inquit, Plato in 1. lib. Alcibiad. nunquam sciemus, qua arte & disciplina meliores effici possumus, quamdiu nos ignorauerimus, & hac de causa addit in Delphico Apollinis oraculo inscriptum fuisse, nosce te ipsũ, vt scilicet te ipsum curare valeas. In tractatu tertio per septem capita agitur de recta, & obliqua sui dilectione, quam reputat Plato tertium totius humanæ moralitatis fundamentum. In tractatu quarto agitur per quinque capita de diuino cultu, siue de colendo Deo. In quinto per quatuor capita de cultu animi nostri, & proprij corporis. In sexto de humano conuictu per sex capita, siue qualiter futurus bonus moralis erga alios se gerere debeat in humano conuictu, sermone, & opere; primo erga parentes suos, ac progenitores; secundò erga vxorem, cum eam habuerit; tertiò erga filios, tam quo ad eorum educationem, quàm eruditionem; quartò erga cognatos, amicos, ciues & peregrinos; quintò erga seruos; sextò tandem erga omnem hominem cuiuscumque status, ac conditionis existat; pro quo plura seruanda præscribit, vt sit verax nulli mentiens; non adulator, non inuidus, non iniurians, non vindicator; sit mitis & misericors; sit boni nominis custos; sit iustus ad omnes; sit omnes decorè, ac honestè diligens; sit constans, ac patiens in aduersis. In septimo tandem tractatu per tria capita agitur ad mentem Platonis de summo hominis bono; Vbi etiam declaratur in quibus conuenit Plato cum Aristotele, & in quibus, vt sibi Aristoteles imponit, dissentire videtur, non solum in positione summi boni, sed & in alijs moralibus.

Post moralis Philosophiæ, ad mentẽ Platonis dispositionem, idem author totidem tractatibus Politica, hoc est ciuilem eiusdem Platonis Philosophiam compilauit. In primo agitur de ciuitate à qua ciuilis denominatur Philosophia, per quinque capita; primum est de origine, & causis ab initio condendi ciuitates, secundum de ciuitatis materia; tertium de illius forma & situ, & principalium habitationum dispositione, & muris ciuitatem circumdantibus; quartum de ciuitatis, & regionis quantitate, quintum de fine, ad quem optima est instituenda ciuitas. In secundo tractatu agitur de ciue per duo capita, primo quisnam sit verè ciuis, secundo de ciuium optimis qualitatibus. In tertio tractatu agitur de legibus in vniuersali per tria capita; primo quidnam sit lex, & de eius stabilitate; secundo de varijs legum generibus; tertio de legum necessitate. In quarto agitur de legum conditore in vniuersali per quinque capita, primo referuntur quæ Aristoteles in hoc proposito pertractauit in Politicis, secundo declaratur ad mentem Platonis, qualis debeat esse legis conditor, & quas in se excellentias continere; tertio cuius virtute & authoritate debeat leges instituere, quarto quales, & de quibus rebus condendæ sint leges; quinto quod debeat esse præcipuum legislatoris propositum, & quis legum finis, & à quibus sumere debeat leges. In quinto agitur de politia, siue republica per octo capita, primo referuntur quæ Aristoteles in Politicis docuit de illa; Secundò declaratur ad mentem Platonis quid sit politia, & vnde prima eius origo; tertiò quotuplex sit, & quæ bona, & quæ mala; quartò quot obseruanda in institutione rectæ politiæ; quintò secundum quam politiæ speciem expedit ciuitatẽ gubernare; sexto quomodo & quibus causis corrumpitur, ac transmutatur vna politia in aliam; septimò propter quas causas conseruantur rectę politię; octauo qua-

quales debeant esse dominantes in politia recta: In sexto, ordine alphabetico adducuntur leges in specie, quas Plato sparsim pro vt materia varia tractabatur, scriptis mandauit. Tandem in tractatu octauo agitur de Platonis defensione contra ea quæ sibi Aristoteles in Politicis imponere non veritus est. Quæ omnia si optimis, rectæque rationi consentaneis documentis sunt referta, nemini sanè mirum videri debebit, qui considerauerit Platonem Mosaica volumina perlegisse, atque indè quæ bona, vel diuina in suis operibus habet furatum esse; vt fusius dicetur infra in hac eadem sectione agendo de vijs, aut fontibus, quibus ad Philosophos gentiles aliquorum fidei nostræ mysteriorum notitia peruenire potuit.

Verum vt huius Philosophi doctrina non est adeo commaculata, vt non habeat multa integra, & bona; ita certè non est adeo pura, vt nihil macularum habeat. Etsi enim sit verum multa ab Aristotele, eiusque sequacibus fuisse illi imposita, multa etiam in illo notari, quæ aliquo pacto excusari possunt; nonnulla tamen sunt, quæ ab errore excusari nequeunt. Quod plane indicauit D. Augustinus, qui nonnulla retractauit, quæ ex Platone didicerat; cuius etiam doctrina se deceptum fuisse, aliquandò cõfessus est. Quo fit, vt illud epithetum, Diuini, quo fuit ab aliquibus insignitus, non omni ex parte in eum quadret, qui doctrinam nonnullis maculis aspersam, & non omni ex parte absolutam tradidit. Tales autem errores in speculatiuis sunt; *primò* quod posuerit tres esse Deos inæquales, & principales, vt refert, & refutat D. Thomas de Trinitate c. 12. *Secundò* posuit formas exemplares per se subsistentes extra intellectum diuinum, & neque ipsas, neque materiam à Deo esse habere, prout idem D. Thomas refert, & refutat in 2. distinct. 1. q. 1. 1. p. quæst. 65. *Tertiò* posuit non omnia esse à Deo creata immediatè, sed vnum tantum primum, à quo postmodum essent omnia alia, taliter quod vna intelligentia causetur ab alia, & anima mediante intelligentia, & corporalis natura mediante Spirituali; quem etiam errorem refert, & refutat D. Thomas in 2. distinct. 1. quæst. 1. & in epistolam ad Colossenses lect. 4. in medio. *Quartò* posuit animam rationalem vniri corpori secundum tactum virtutis, vt motorem, non autem vt formam; quod ab eodem Diuo Thoma pluribus in locis reijcitur potissimum in 2. distinct. 1. quæst. 2. artic. 4. ad 3. in 3. dist. 2. quæst. 1. artic. 2. distinct. 5. q. 3. art. 2. in 4. distinct. 44. quęst. 1. art. 1. de Potentia quęst. 3. artic. 10. *Quintò* posuit eamdem animam habuisse à principio omnes scientias; quẽ pariter errorem refutat D. Thomas 1. p. quęst. 84. 22. quęst. 172. de Veritate quæst. 10. art. 6. lib. 3. de anima lect. 9. *Sextò* posuit æternitatem mundi, quodque res mouerentur ab æterno motu inordinato, quæ tamen à Deo postea reductæ sunt in ordinem; quod etiam dogma reijcit D. Thomas in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 5. *Septimò* tribuitur etiam Platoni impium dogma de animarum transmigratione: Octauò, quod res omnes huius vniuersitatis animentur, nec quauis anima, sed etiam humana, ignem, aquam, resque alias agi, mouerique ad agendum, de quo vide Ioannem Bagotium tom. 1. Apologetici fidei lib. 5. disput. 3.

Iam quod attinet ad Philosophiam moralem, Plato in lib. 10. de legibus; quod primum impietatis sacrilegæ caput est, errorque in religione perniciosissimus, idololatriam probat, nulloque de cultu præcepta dat, aut ius vllius agnoscit, nisi aduersus Deos, qui secundum leges sunt, quos leges credere nos & venerari iubent. *Qui Deos*, inquit, *esse putat secundum leges, nec facit vnquã sponte impium quidquam, nec loquitur*. *Secundò* posuit impios æternis haud affici pœnis, sed per multorum corporum circuitus, transmigrando de vno corpore in aliud, tandem purgari à suis sceleribus. *Tertiò* Plato apud Tertullianum lib. de anima cap. 54. in supernis mansioni-

sionibus collocat animas à corpore separatas non quorumlibet Philosophorum, sed eorum qui Philosophiam puerorum amore exornauerint; S. quoque Gregorius Nazianzenus orat. 3. atque ibi Elias Cretensis notat, quæ de amore Pulchri, à Platone adeo sæpe inculcantur, eum de obscena illa libidine intellexisse, quã honestiore vocabulo inumbratam insinuare, & suadere volebat. *Quartò* tribuitur Platoni quod impuram de coniugum communione doctrinam tradiderit, & in rempublicam suam inducere voluerit. At hoc dogma non solùm fræna libidini laxabat, sed incæstuosa matrimonia filiam inter & Patrē authoritate sua probari iubebat, de quo lege Lactantium lib. 3. institut. cap. 20. & 21. Nihilominus tamen Diuus Thomas opusculo 20. de regimine principum lib.4. cap.4. Platonem ab hoc errore, tanquam ab aliquo illi ab Aristotele in Politicis imposito vendicat; dicitque Platonem locurum fuisse de cōmunitate vxorum, non quo ad coitum, sed quo ad amorem; vide etiam Henricum Gandauensem quodlib. 4. libro 2. quęst.1. cap.2.

Cum igitur tam dictis, quam aliquibus alijs similibus erroribus aspersa reperiatur Platonis doctrina ac Philosophia, non est mirum quod plures etiam è nostris, aut qui ex illius secta, institutioneque transierunt ad Christi professionem, vel vtcumque doctrina ipsius afflati, instructique sunt, ita in multis fuerint hallucinati, vt superiores ferè omnes hæreses à Platonicis inuectas, excultasque fuisse legamus. Certè priscarum omnium hæresum, quæ primis tribus sæculis exortæ sunt, historia ipsa testatur; Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichęos, ac cæteros, non aliundè, quam ex commentis Platonis subornatos esse ad illa fabricanda monstra, & dedecora Christiani nominis, quæ cùm apud oppugnatores eorum Sanctos Patres leguntur, ingenti horrore legentium animos percellunt. Quod etiam disertè asserit Tertullianus lib. de anima cap. 23. *Doleo*, inquit ille, *bona fide Platonem hæreticorum omnium condimentarium esse factum*. Nec solùm hæretici, quique extra controuersiam se se ab Ecclesiæ gremio separauerunt ex supradictis Philosophiæ Platonicæ commentis suas hęreses cuderunt; sed plures etiam Patres, qui perpetuò Catholici fuerunt, & ante Arriana tempora in Christiana professione floruerunt: de sanctissima Trinitate Platonico pænè more sensisse, aut saltem loquendi genere ipso nonnihil ad eum implicatos fuisse pluribus demonstrat Petauius tomo 2. dogmatum Theologic. lib. 1. de Trinitate cap.3. & 4. adducendo aliqua eorū loca, præsertim Iustini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili, Irenęi Clementis Romani, Clementis Alexandrini, Origenis, Dionysij Alexandrini, Gregorij Thaumaturgi, Methodij, Luciani martyris; Origenem autem de Trinitate præsertim haud rectè sensisse testatur ipsemet D.Thomas dum 1. parte quęst.34. art.1. ad 1. dicit illum fuisse Arianorum fontem.

Quare qui sine vllo penitus errandi periculo tam Platonis, quàm aliorum Philosophorum libros euoluere, illorũque authoritate vti voluerit, primùm perspectos habere debet errores ab illis commissos, quorum forsan præcipuos referemus infra lib.4. Ad quod necessariò requiritur lima Theologica, cum enim sine reuelatæ veritatis lumine, & diuinæ sapientiæ condimento, humana sapientia, quam Deus stultam fecit, in tot errores inciderit, certè ad illos discernendos, & corrigendos, diuinum est adhibendum lumen; maximè vbi agitur de rebus diuinis, aut ad religionem pertinentibus; nam vt rectè scripsit Diadocus, nihil est egentius ea mente, quę de Deo extra Deum philosophatur; vt faceret ea, quę Deum non sequeretur, quę cum Deo non esset coniuncta; siue quod idem est, quæ non prius aliqua saltem ex parte in rebus diuinis erudita, sed solius philosophię præsidio munita, diuina tractare religionisque mysteria

steria attingere tentaret. Ex huius admonitionis neglectu, sicut & ex nimia erga Philosophos, eorumque authoritatem propensione, multi in graues inciderunt, ac in dies incidunt errores; dum Sacræ Scripturæ voces contra earum communem ac litteralem sensum, receptum maximè vnanimiter ab antiquioribus Patribus, ad vocum Aristotelicarum acceptionē interpretari non verentur, impropriosque, nedum repugnantes sensus illis tribuere, eo quod Philosophicis aduersentur effatis, vel nō conformentur, siue minus consentiant; dum ad ea, quæ plerumque fidei principijs, bonisque moribus repugnant, corroboranda nouas excogitant rationes; cum potius si quæ è Philosophorum libris, ac doctrina desumantur argumenta cōtra fidei nostræ dogmata, soluenda sint; ostendendumque nullius penitus efficaciæ, ac roboris esse aduersus illa: sed de his satis, nunc veniamus ad authores, qui in elucidando Platone eiusque Philosophia elaborarunt, quorumque præsidio ad rectam illius intelligentiam potest vti Theologus.

Primùm igitur Platonis vitam descripsit Eunapius, Synesius, Maximus Tyrius, L. Apuleius, Georgius Gemistus, Psellius, Marsilius Ficinus, Pererius in Physica, Ludouicus Carbo lib. 3. introduct. in Philosophiam: Inter eos autem qui vel aliqua parte Platonis doctrinam explicarunt, vel Platonicè aliquid scripserunt, primum locum tenent ex eius discipulis Speusippus, Alcinous, Xenocrates, Chalcidius, Syrianus, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Iamblicus. E Sanctis Patribus præter S. Dionysiū, Iustinum, Basilium, Nazianzenum, Cyrillum, & alios Græcos, fuit inter Latinos Platonicæ addictus Philosophiæ S. Augustinus. E modernis etiam Doctoribus, multi plura ad Platonicæ Philosophiæ intelligentiam conducentia scripserunt: Tres Cardinales Bessarion, Cusanus, & Alliacensis, Chrisostomus Iauellus, Marsilius Ficinus, Franciscus Patritius, Georgius Trapezuntius, Ioannes Baptista Bernardus, Bernardinus Donatus, Sebastianus Foxius, quem in Platone vertendo multi præferunt Marsilio Ficino, Gabriel Burabellus, Iacobus Masonius, Felix Accorambonus, Iacobus Carpentarius, Ioannes Picus, Franciscus Vicomercatus, Symphorianus Camperius, Franciscus Diacesius, Augustinus Steuchus Eugubinus, Ioannes Baptista Crispus, Antonius Posseuinus in Apparat. ad Phil. tract. 2. Robertus Folieta de nonnullis in quibus Plato ab Aristotele reprehenditur, Hieronymus Bardus Genuensis.

CAPVT XIII.

De Aristotelis, Philosophiæque Aristotelicæ auctoritate.

VT Platonicæ Plato, ita Aristotelicæ Philosophiæ principium & nomen dedit Aristoteles genere Macedo, patria Stagirites, Nicomachi medici peritissimi, Phæstiadisque filius; Hunc aliqui natum faciunt anno à mūdi creatione 4735. at, cum vnum fere certum sit, illum videlicet, Platone fuisse minorem natu paulo amplius quadraginta annis, erat enim annorum decem & septem, quando ad Platonem iam sexagenarium audiendum accessit, apud quem annos circiter viginti commoratus est, nihil tamen definiri potest, quo mundi anno, tam ipse, quam Plato, vt iam supra notauimus, alijque etiam Philosophi nati fuerint, vel floruerint, donec alibi statuatur eius Chronologia. Omissis pariter omnibus illis, quæ de illius vita, ac moribus dici possent, deueniendo ad eius libros: Diogenes Laertius in eius vita, ad quadringentos enumerat: quorum tamen multi nunc non extant, nec etiam illi quos recenset, ijs quos residuos habemus omni ex parte respondent, qui centum & viginti summā non excedunt, & in sex classes distribui solent. In prima ponuntur libri Philologici, siue Sermocinales in quibus de sermone agitur, Rethoricorū tres, Poeticæ vnus. In secunda libri Logici, siue orga-

organici numero quindecim, quamuis etiã inter sermocinales annumerari possent: vnus Categoriarum: vnus, vel vt Latini interpretes distribuunt, duo de interpretatione: vnus, vel duo priores Analytici: duo posterioris Analysis: octo Topici; vnus, vel duo Elenchici vel redargutionum. In tertia ponuntur Physiologici, siue naturales, octo de naturali auscultatione: quatuor de cælo: duo de generatione & corruptione: quatuor meteorologici, vel sublimes: vnus de mundo: tres de anima; vnus de sensu, & sensilibus: de memoria, & reminiscentia vnus: de somno, & vigilia vnus: de insomnijs vnus: de diuinatione per somnium vnus: de motu animalium vnus: de longitudine & breuitate vitæ vnus: de iuuentute & senectute, morte, & vita vnus: de respiratione vnus; de animalium ingressu vnus: de spiritu vnus: de animalium generatione vnus: quatuor de partibus animalium; de eorumdem historia decem; de coloribus vnus: de Physionomicis vnus, & de plantis vndecim. In quarta classe continentur Metaphysici libri 12. hoc est, post naturales, quod ordine inuentionis, post naturales inuenti sunt: vel supranaturales, quod in eis de rebus supernaturalibus agatur. In quinta mathematici duo, vnus mechanicorum, alter de lineis insecabilibus. In sexta Ethici, & Politici; ciuiles octo: morales ad Nicomachum decem: Magnorum moralium duo: Eudemiorum septem: Oeconomici duo, & de virtutibus vnus. Reliqui extra ordinem ponuntur, Problematum, de admirabilibus auscultationibus, de Xenophane, de Gorgia, & de Nilo. An verò omnes citati libri sint Aristotelis, cum non sit nostrum hoc loco expendere, possunt videri interpretes, alijque authores inferius citandi de hac materia; sicut & de illa celebri librorum Aristotelis diuisione in Acromaticos, & Exotericos; nec non etiam de modo quo ad posteros peruenerint.

Iam quod attinet ad doctrinam in præfatis libris contentam; eodem penitus modo circa illam discurrendum puto, quo superiori capite de Platonica; videlicet inter duas extremas sentẽtias, quarum vna doctrinam, & authoritatem Aristotelis contemneret, altera verò ad cælum vsque extolleret; adeò vt Aristotelicam doctrinam auderet aliquando diuinis præferre effatis; vel quidquid Aristoteles censuerit de rebus naturalibus, tanquàm verum putaret, aut vt verum propugnare conaretur; vel etiam existimaret sacram Theologiam inniti Philosophiæ Aristotelicæ; ita quod si ex academijs Catholicis relegaretur, Theologiam simul cum illa repelli, ac perire sequeretur; inter has, inquam, duas extremas ac vitiosas sententias, fatendum quidem est, Aristotelem præstantissimi fuisse ingenij, meritoque in Philosophia pro magistro haberi, ac prælegi; non tamen eo vsque vt Deus veritatis Philosophicæ existimari debeat, omniaque illius dicta irrefragabilis esse authoritatis; aut quod si fideles Aristotelicæ Philosophiæ operam non darent, doctrina Catholica in aliquod propterea periculum adduceretur.

Ad probandam primam huius nostrĩ dicti partem, primùm occurrit Platonis ipsius iudicium qui nunc mentem, nunc veritatis Philosophum appellabat Aristotelem; cum enim aliquandò Scholam ingressus, eum abesse vidisset, succlamando dixit, Mens abest: alias, abest veritatis Philosophus. Secundò quod Philippus Macedonum rex ei Alexandrum filium instituendum dederit: & vt ex regijs litteris constat, Dijs gratias egerit, quod eo tempore ei filius esset natus, quo ab Aristotele institui posset. Tertiò accedit doctissimorum in vnoquoque sæculo virorum sententiæ, & suffragia, præsertim à quinque circiter sæculis; etsi enim, vt dicemus infra agẽdo de progressu doctrinæ Aristotelicæ, iam anno 4041. à mundo condito, & ab Vrbe condita anno 671. hoc est octoginta circiter annis ante Christum natum, Andronicus cæperit Aristotelem scholijs illustrare; & sub Seuero Impe-

ratore, qui ex Baronio imperare cœpit anno Christi 195. Alexander Aphrodisæus; attamen cum prius Catholici doctores magis Platonicorum ac Stoicorum placitis adhærerent, tantùm circa annum Domini circiter 1150. mirum in modum Aristotelica cœpit florere doctrina; eo fere tempore quo Petrus Lõbardus in ordinem redegit sententias Patrum, dictaque Theologorum; vnde sicut ob illam faciliorem docendi Methodum per antonomasiam postea dictus fuit magister Sententiarum, cœpitque publicè illius textus legi; ita etiam credibile est ob eamdem causam ordinis, quem habet Aristoteles in tradendis disciplinis, qui certe in illo est valde suspiciendus, vt statim dicemus, fuisse etiam in academijs pro Philosophiæ magistro receptum, Philosophumque per antonomasiam appellatum.

Igitur cum ex bellis frequentibus, & acerrimis maximè, diutius intermissum fuisset scientiarum studium, illudque renouandum nominatim Reges Galliæ Parisijs præsertim contenderent; tunc primùm in academijs ab illis institutis circa annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum Aristotelis libri inter Catholicos prælegi cœperũt, tanquàm omnium in Philosophicis magistri. Ex vnius autem academiæ celebrioris, ac primariæ more idem mos in alias deriuauit Academias. Cum enim postea doctores ex illis insignes prodijssent, ac nominatim ex Parisiensi Academia omnes Theologorũ principes, quique Scholarum antesignani Theologicarum fuerunt, Aristotelica informati doctrina eamdem asseclis suis tradiderunt; & sic deinceps hic mos adoleuit, modoque etiam viget in omnibus Academijs, & in omnibus etiam Theologorum scholis. Nec desunt plures efficacissimæ rationes, propter quas tunc, & in subsequentibus etiam doctioribus sæculis, cæteris Aristotelica Philosophia fuerit prælata, & licet Platonis, aliorumque Philosophorum à Græcis ad nos fuerint delati libri, adhuc tamen Aristotelis loco haud alius è Philosophis repositus in academijs, scholisque inueniatur; & præ cæteris etiam non tantum doctrina, sed etiam sanctitate præstantissimi viri illum in Philosophicis tanquam ducem sequuti fuerint, S. Bonauentura, S. Thomas, Albertus Magnus, Ioannes Duns Scotus, alijque similes viri è Mendicantiũ maximè ordinibus.

Nam *primò* nullius Philosophia est adeò methodica, sicuti Aristotelica, in qua quæ apud Ethnicos Philosophos sparsa erant, magnâ curâ collecta, distincta, suo loco posita, & rationum trutina ponderata reperiuntur. *Secundò* nulla agit de tam multis; vndè si laudatur Homerus, vt bonus, vel ex omnibus Græcis, vt optimus Poëta: Hippocrates ob sua sapienter tradita de re medica decreta, inter Medicos dominatur: Socrates vt vir bonus, modestus & in Ethicis versatus suam habet laudem: Plato ob variam eruditionem & dicendi maiestatem suo dignus est honore: certe vnus Aristoteles, vt *is* qui omnia, quæ alij norunt, in Rhetoricis, in Poëticis, in Logicis, in Physicis, in Mathematicis, in Metaphysicis aut Theologicis, & multo plura nouit, & quod sapientis signum est, ea absolutè, quod de nullo alio legitur, alijs tradidit, omnibus præferri, ac pro magistro retineri debebat. *Tertiò* cùm nulla agat de tam multis vt Aristotelica Philosophia, nulla tamen tam breuis, & sine verborum lenocinio plurima cõprehendens reperitur. *Quartò* nulla afferre videtur rationes meliores, responsionesque solidiores; quod totum elegantissimo Plinij secundi testimonio lib. 7. Histor. placet confirmare; *Legenti opera eius*, inquit, *attentè & diligenter, exoritur ingens admiratio: quàm ab vltimis principijs deducit abditissima & profundissima rerũ omnium? quàm acutè refellit aliena? quàm fortiter communit, & corroborat sua? quo ordine digerat singula? quod est in tradendis artibus perutile: quanta frugalitate verborum? nihil est in eo vacaus, aut inane; omnia solida, & plena; nusquam*

finit

finit lectorem oscitari, aut aliud agere, &c. quæ apud citatū authorem sequuntur.

Quintò nulla est magis clara suumque apertius explicans sensum quàm Aristotelica Philosophia: Etsi enim in illa versari volenti, persuasum esse debeat, eam non esse omnino peruiam, imo potius multis in locis valdè obscuram; ac proinde eius lectionem non esse accommodatam ijs, qui vix Grammaticam attigere, aut nondum ad aliquam ingenij maturitatem litterarum studijs peruenere, sed potius vt ait præfatus author, volunt Aristotelis opera lectorem ingenij nō acuti tantùm, sed etiam profundi, solidi, sani, circumspecti; volunt attentum, diligentem, imbutum lectione variorum authorum, & cognitione rerum multarum; adeò vt si desint hęc, nihil Aristotelicis libris existimabitur asperius, insuauius, inamænius, quemadmodum nonnulli de eo iudicant, vel propter ignorantiam, vel propter teneritudinem ingeniorum, pondus non ferentes tantæ doctrinæ; quemadmodum infirmis oculis lux Solis, & diei molesta est; qua nihil est sanis & valētibus oculis iucundius. Etsi, inquam res ita se habeat iuxta præfati authoris sententiā, dignissimam certe, quæ ab omnibus, qui in Aristotele versari volunt, quam diligentissime obseruetur; nihilominus tamen comparatiuè ad alios Philosophos, qui nefas esse putantes arcana Philosophiæ in vulgus palam proferre, vel ænigmatibus vt Musæus, Orpheus, Pythagoras, & Plato, vel dictionis genere, vt Heraclitus illa occultare conabantur; idem fecit Aristoteles clariori, meliorique ratione. Nam fabularum, & ænigmatum, siue metaphorarum integumentis reiectis, quod facile in errorem inducant, id quod Philosopho cauendum est, tanta dexteritate verbis alioqui proprijs, atque communi stylo Philosophorum tradidit, vt quod faciendū erat præstiterit, hoc est rudia ingenia à suis scriptis reiecerit, & ab industrijs tandem intelligi potuerit. Nec aliam ob causam puto Aristotelem fuisse sepiam appellatum à Tertulliano, Cypriano, & Epiphanio, nisi quod sicut sepia est piscis genus, quod dum se capiendum videt, vt piscantis spem eludat, atramentum in aquas euomit, quibus infectis, eius manus elabitur; ita Aristoteles ad occultanda Philosophiæ arcana, quibusdam in locis minus clarè scribere voluit; vndè rectè in epistola, quà cum Alexandro de acromaticorum sermonum editione conquerente, se purgauit, dixit scito igitur eos esse editos, & non esse editos, cum ab ijs solùm cognosci possint, qui nos audiunt.

Sextò denique nulla est Philosophia perfectior, aut sublimior Aristotelica; etsi enim ab aliquibus plures enumerentur illius errores; quindecim potissimū notat Aegidius Cardinalis Columna; octo Cardinales Bessarion, & Alliacensis, Cornelius à Lapide in Encomio sacræ scripturæ, num. 15. Sex verò præcipuos Melchior Canus lib. 10. de Locis Theologicis cap. 5. Nihilominus tamen melius dicunt alij Aristotelem cōtra fidem nihil apertè scripsisse, saltemque probabilem tribui posse expositionem textibus illis, qui communiter repugnare fidei dogmatibus dicūtur; quod de alijs Philosophis dici non potest. Primū enim Stoici malè de diuinis senserunt, cùm Deum fecerint corporeum; vnde quamplurimi dimanant errores. Omnia fato, hoc est necessitate quadam fieri & gubernari dicunt, vnde Manichæorum, & recentium hæreticorum turpissimus error. At Aristoteles Deum ab omni concretione materiæ seiungit, & contingentiam admittit; quam veritatem totius penè Philosophiæ fundamētum apertissime demōstrauit. Stoici animos mortales faciebant: Aristoteles verò nullibi hoc docuit, sed potius ex cōmuni Peripateticorum sententia, contrarium affirmauit. Nec solùm in Phisicis ac Theologicis plura peccarunt Stoici, quàm Aristoteles, sed etiam in moralibus. Voluerunt enim virtutes esse scientias: affectus omnes esse malos, quod nunc nonnulli etiam docent hæretici: vitia

vitia esse paria: libertatem sustulerunt: cum tamen tàm de his, quàm de cæteris rebus ad mores pertinentibus rectè senserit Aristoteles, vt satis patet ex preclaris D. Thomæ commentarijs in eius opera moralia, & Chrisostomi Iauelli, aliorumq; multorū; nec non ex eo quod idem D. Thomas nominatim in 12. & 22. tam multa desumpsit ex libris Ethicorum Aristotelis. De beatitudine pariter, licet ex D. Thoma 3. contra Gentes cap. 48. Aristoteles aliquam circa illam passus fuerit angustiam, à qua nos liberamur per fidem, minus tamen bene Stoici senserunt, quam ille; qui non solum in virtute, sed etiam in speculatione eam posuit, nec solùm vniuersè, sed etiam practicè eam considerauit, ac proindè ad eius vsum fortunæ & corporis bona, vt instrumenta quædam ad multas virtutes exercendas requisiuit; vnde etiam Theologi corporis bona ad plenam beatitudinem post hanc vitam requirunt; vt non solum mens, sed totus homo, qui animo & corpore constat sit beatus.

Quod si Aristotelica doctrina cum Platonica conferatur; primò de diuinis, si quæ varijs in locis suorum operum scripsit Aristoteles, spectemus, meliora nobis tradidit, quam Plato, quamuis hic fortasse plura. At præstat, vt ipse aliquando dixit in Theeto, pauca benè, quàm multa male definire. Quod enim pertinet ad Dei existentiam nullus rectiorem de illa attulit demonstrationē quam Aristoteles ex illo axiomate quidquid mouetur ab alio mouetur; quo ad vnitatem 12. Metaphysicæ vnum esse Deum docuit; & ex infinita eius immaterialitate demonstrauit. Accusant aliqui quod Atistoteles Deum nec coluerit, nec curauerit, sed errant, nam primo Topicorum ait; si quis disputare vellet Deum non esse colendū, aut honorandum eum verberibus esse castigādum: Item 1. Moral. Deum ait non esse laudandum, quia nimis hoc parum sit, sed esse tanquàm primum principium honorandum; ibidem ait Deum esse auctorem felicitatis. Dicunt. Aristoteles docuit Deum esse animal; sed errant imperitia linguæ Græcæ non enim scripsit Aristoteles Deum esse Zoon, id est animal, sed græcè Zon, id est viuens; deinde in Metaphysica eos irridet, qui Deum humana forma repræsentant, & 8. Physicorum Deum docet esse indiuisibilem; vltra quod animal aliquando sumitur pro viuente, quo sensu Deus vocari potest animal, cum verissimum sit in Deo esse vitam, & Deum viuere. Irrident Aristotelem quod Deū superficiei cælorum alligauerit, atque adeo de eius immensitate minus benè senserit; sed hoc est falsum; etsi enim fortasse accusandus sit Aristoteles, quod crediderit Deum per se proximè mouere primum orbem, & quod nullas posuerit substantias abstractas, aut separatas vltra cælorum numerum; non propterea tamen Dei immensitatem negauit, sicut nos, cum dicimus Pater noster qui es in cælis, non diffitemur Deum esse alibi: Deinde Aristoteles ait in libro de cælo, esse beatissimam mentem extra & supra cælum, quo sane nihil potest magis dici accommodum Theologiæ Christianæ affetenti intimam Dei in omnibus rebus præsentiam. Dicunt insuper Aristotelem impietatem docuisse, dum Deum pati & necessitatis legibus subditum esse asseruit; sed facile etiam excusatur ab hac calumnia, si dicatur nihil aliud ex interpretum mente illum docuisse, quam immutabilitatem Dei & non reuocabile verbū, id enim quod semel fecit Deus, factum est; non quod non aliter disponere potuisset, sed quod semel decreuit inuiolabile est. Tandem asserunt Aristotelem Deo denegasse rerum nostrarum & prēsertim despectarum, aut paruarum curam; sed ab hoc etiam errore facile purgatur; si dicatur, quod doceat tantùm Deum principaliorem creaturarum intellectualium curam gerere, vt ait lib. 10. Ethic. cap. 8. Qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optimè afficit, is esse Dei carissimus videtur. Nam, si aliquam humanarum

narum

narum rerum curam Dij habent, ficut videtur; consentaneum est ipsos re illa quæ optima est, atque ipsis maximè cognata delectari, qui est intellectus, eosque qui eam maximè amant,& honorant remunerari: vt potè qui eorum quæ ipsis sunt amica, curam habeant,rectèque & honestè agant. Non tamen indè sequitur Deum cætera quantumuis parua despicere; nam ipsemet Aristoteles ait Deum esse largitum non tantum mentē, sed & manū, & 1. de partibus animaliū nos debere admirari in vilissimis animalculis vt in formicis, in araneis ingenium Dei. Alibi docet Deum vniuersa compleuisse; & certè si ex eodem terra, vt grauior, debuisset omnino aquis contegi, & tamen ad animalium terrestrium & aereorum commoditatem bona eius pars apparet; quis neget eum diuinam in hoc agnouisse prouidentiam,qua prętor naturę ordinem factum est, vt terra, aliqua parte, fit mari superior. Quod diuinæ prouidentię beneficium mirificè Psalmo 103. regius prædicat Propheta. Ex quibus satis apparet, quàm vanè Patritius lib.1.discuss.Peripatet.& Gassendus exercit. 3. contra Aristotel. asseruerint impiam, & falsam esse omnem de Deo doctrinam ab Aristotele traditam.

Deinde in Physicis circa mundi ortum minus malè sensit Aristoteles, quàm Plato, qui posita elementorum ęternitate, de nouo factum esse putauit; vltra quod Aristoteles non intendit demonstrare æternitatem mundi, sed disputatiuè tantum procedere, vt docet D. Th. 1.par.quæst.46.art.1.in 2.dist.1.quæst.1. art.5.de potentia quæst.3. art.17.de cælo lect. 1. Et quamuis existiment aliqui Aristotelem non ita dilucidè, vt Plato fecit, de immortalitate animorum esse locutum; tamen ille animam conformiter ad fidei nostræ principia veram corporis formam fecit, hic non item, & certe, in doctrina de anima, plura extant Platonis, quàm Aristotelis errata. Cum etiam ipse disertissimè animæ humanæ indeficientiam seu immortalitatem asseruerit pro vt Chrisostomus Iauellus in egregio de hac materia opusculo tomo 2. suorum operum demonstrat, defendendo Aristotelem contra Herueum, Scotum, Caietanum, & Petrum Pomponatium Mantuanum; quorum primus quodlibeto 1.quęst.11.asserit Aristotelem hac in re fuisse semper dubium, magis tamen declinasse ad partem negatiuam, scilicet, quod anima non remaneat post corpus; Secundus in 4.sent.dist.43. quæst.2. primò dicit, dubium esse quid in hoc de animæ immortalitate senserit Aristoteles; Secundò, non omnia assertiuè dicta, & pro certo existimata à Philosophis, fuisse ab eis probata per necessariam, & inuincibilem rationem naturalem, sed frequenter non habuisse, nisi probabiles persuasiones, vel famosas præcedentium Philosophorum opiniones. Tertius quoad hoc propositum declinans à via D.Thomæ, non solùm tenet Aristotelem fuisse dubium; sed pro certo sensisse animę mortalitatem. Quartus duobus editis de hac materia libris, in primo conatur omni via ostendere Aristotelem tenuisse animæ nostræ deficientiam; in secundo autem, quem composuit contra Augustinum Nisum Suessanum tenentem oppositum adeò multiplicat rationes ad astruendam mortalitatem animæ, quod videtur non solum hoc tenere de mente Aristotelis, sed simpliciter, licet verbo aliter sentire apud homines suaderet, vt Christianam legem professus. Ab hac eadem iniuria doctè, & eleganter Aristotelem vendicat Cardin. Augustinus Oregius in libello, quem de hac materia conscripsit Romę anno 1632. Vnde non est quod amplius in hac re immoremur.

Quod spectat ad alias materias Philosophicas, scio plures Aristotelem impugnasse: Petrus Ramus categorias Aristotelis falsas, ineptas & inutiles esse voluit lib.4. Scholarum Dialect. Campanella cælum & elementa sentire & esse animalia docuit in lib. de sensu rerum contra Aristotelem; Gassendus pro falso habet quod docuerit Aristoteles, accidens

cidens tantùm prædicari secundum nomen, non verò secundum rationem; Subalterna esse opposita; priuationem esse principium; ex nihilo nihil fieri; contraria non fieri ex contrarijs; non esse numerum quo non sit maior, sed esse magnitudinem quo non sit maior, v.g. magnitudinem mundi: Petrus Pomponatius lib. de causis admirandorum, & iterum Campanella lib. 4. de sensu rerum & vniuersi cap. 18. refellunt Aristotelem docentem non dari actionem in distans, dum asserunt verbis inesse vim magicã in absentes. Idem Campanella in prodromo nouæ suę Philosophię reijcit definitionem loci ab Aristotele traditam; docet contra illum formas non latere in materiæ sinu, sed omnes esse portiones causarum agentium; Betnardinus Telesius, & Franciscus Patritius asserũt aquã esse calidam, humidam, non frigidam vt voluit Aristoteles. Franciscus de Verulamio Anglus in historia vitæ & mortis, titulo de longæuitate vitæ, contraria Aristoteli docet de longæuitate, & breuitate vitæ hominum; dum ait primo regionibus frigidioribus, & hyperboreis diutius homines viuere, quam calidioribus; secundo citiùs, aut serius caluescere, esse rem indifferentem, aut etiam fallacem ad longæuitatem vitæ, aut breuitatem astruendam; tertio pro analogia corporis, caput minutius longæuitatem vitæ prænuntiare; quarto palmam manus minus lineis exaratam esse signũ longæuitatis; quinto qui liberè viuunt, vt edaces, & Epulones, & qui liberaliore mensa vtuntur esse longæuiores; sexto vitam Philosophicam magis contemplationibus occupatam non obesse vitæ longæuitati. Iam citatus Telesius, & Villonius contra eumdem Aristotelem volunt ignem esse humidissimum, & terram leuiorem aqua; Patritius, Gassendus, & Campanella de infinito, de vacuo, de ideis, de lineis, de Galaxia sententiam Atistotelis, tanquam ineptissimam reijciunt; similiter quod docuerit fœmininum non esse sperma; à rebus obiectis emitti species, seu imagines in oculos; in aliqua linea, v.g. in baculo, nec esse primam nec vltimam partem; Ramus, Ludius, Patritius, Gassendus asserunt nec Aristotelem, nec vllum peripateticórum vsum dialectices nouisse. Quorum omnium, & aliorum similium à præfatis authoribus Aristoteli obiectorum, vel contra eum assertorum cùm multa sint absurdissima, & improbabilia, vt satis demonstrat Ianus Cæcilius Frey in opusculo, quod inscripsit, Cribrum Philosophorum qui Aristotelem oppugnaruut; non est cur inde Aristotelis doctrinam in Philosophicis tanquam minus veram, aut saltem alijs minus probabilem reijcere, aut à Scholis exulare debeamus.

Quæ omnia etsi vera sint, non tamen propterea sequitur, (quod est altera nostri dicti pars) non sequitur, inquam, tantum esse Aristoteli, eiusque Philosophiæ tribuendum, quantùm ab aliquibus tribuitur; quasi præscripserit sibi Deus in formando, & perficiendo Aristotele omnes suæ potentiæ vires, ita vt rerum omnium naturalium perfectam cognitionem illi tribuerit, plusquam forsan etiam Salomoni, vel protoparenti Adamo; quasi consequenter de omni natura id solum sentiendum sit, quod ab eo scriptum fuit, ita vt nihil certius afferri possit, & nihil euidenter impugnari, quod ille sanciuerit. Cum ipsemet Aristoteles sapienter dixerit, quod ab omnibns, qui ad Philosophiam se conferunt, perpetua memoria conseruari deberet, humanæ mentis aciem ad ea quæ sunt naturæ manifestissima, non secus se habere, atque noctuæ oculos ad lumen Solis, & alibi lib. 2. Polit. difficile esse rectè præstare omnia. Deindè quot in locis, seipsum hominem agnoscens, ait se disputare verisimiliter, Logicè, & de quibusdam dubitanter, & nihil temere esse asserendum, & in omnibus non esse requirendas rationes mathematicas: Igitur, vt alia plura omittam quæ possent ad præsens institutum adduci, concludendum est maiores nostros iure optimo in humana Philosophia, cum melior non ha-

habeatur, cum in ea nihil fit apertè contrarium supernaturalibus fidei nostræ mysterijs, quodque benignè in bonum sensum explicari non possit, Aristotelem pro magistro elegisse, & alijs prætulisse, sed non omnino vt plenum, atque perfectum naturæ miraculum; maximè cùm Aristotelis scripta multifariam fuisse viciata doceant authores inferius citandi.

Circa doctrinæ Aristotelicæ progressum, notandum est discipulorum, & interpretum Aristotelis alios fuisse Græcos, alios Arabes, alios Latinos. Igitur ex Græcis defuncto Aristoteli proximè successit Theophrastus, tanta auditorum multitudine nobilitatus, vt duo millia discipulorum scholā eius frequentarent, vixit ad octoginta quinque annos. Post Theophrastum insignes fuerunt Strato Lampsacenus cognomento Physicus, & Demetrius Phalereus; ille magister fuit Ptolomei Philadelphi Secundi post Alexandrum Magnum, Aegypti Regis, à quo talentis octoginta donatus est, cæpit autem præesse Scholæ Olympiade centesima vigesima tertia, quam annis decem & octo tenuit. Demetrius autem Phalereus ob preclara eius in rempublicam Athenienfem merita, decennali vrbis præfectura, & trecentis sexaginta æreis statuis honoratus est, sed quas mox Athenienses confregerunt, nondum elapso anno hunc dictum numerum excedente, vt ait Plinius lib. 34. Historiæ cap. 6. Hic Demetrius, Bibliothecam Alexandrinam, cui augendę ac locupletandæ à rege præfectus fuerat, quingentis circiter librorum millibus ornauit, eiusque suasu Rex Philadelphus, duobus & septuaginta viris, sapientia, & linguę Græcæ, ac Hebræę peritia apud Iudęos præstantissimis, ab Eleazaro tunc Pontifice ad ipsum missis, mandauit vt Sacram Scripturam ex Hebræo in Græcū sermonem, quàm fidelissimè verterent, quę postea septuaginta translatio appellata est. Demetrij propè ęqualis fuit Hieronymus Peripateticus, sæpè à Cicerone nominatus, Multi deindè diuersis temporibus in secta Peripatetica excelluerunt; prę sertim circa Olympiadem centesimam quinquagesimam primam, paulò antè Machabæorum principatum Clarus fuit Aristobulus Iudęus cognomento dictus Peripateticus, cuius initio Secundi libri Machabæorum fit mentio. De hoc quoque Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. & Eusebius in libris de præparatione Euangelica referunt scripsisse commentaria in libros Moysis ad Regem Aegypti Ptolemęum Philomitera, in quibus docet, scripta Moysis ante Alexandrum, & Persarum imperium in Græcam linguam, licet non bene, fuisse traducta, eaque à Pythagora, Platone, alijsque Philosophis esse lecta, vt mirum videri non debeat, si multa tùm in disciplina Pythagorica, tùm verò in Platonis libris, eorum quæ leguntur in sacris litteris, simillima reperiantur: sed de hoc infra redibit sermo.

Cicerone iam sene, princeps Peripateticorum illius temporis, fuit Crarippus, quo magistro, filius Ciceronis Philosophiæ operam dedit; Boethus Peripateticus, æqualis fuit Strabonis Geographi, qui libro 13. ait se cum Boetho Aristotelica dogmata fuisse Philosophatum; vixisse autem Strabonem imperante Tiberio Cęsare, ipsemet testatur ibidem. Postea circa annum ab ortu Domini ducentesimum imperante Septimio Seuero floruit Alexander Aphrodisæus qui omnes penè libros Aristotelis diligenter, & accuratè interpretatus est; qua in re tantum nomen, tantamque authoritatem comparauit, vt nemo olim Aristotelæus haberetur, qui non esset Alexandræus. Paulo post aliqui inter Aristotelis discipulos reponunt Porphyrium, quamuis alij magis Platonis, quam Aristotelis studiosum fuisse probent, vt satis declarant eius scripta; sed alij melius ne Philosophum quidem appellandum volunt, hominem vsque adeò impijs superstitionibus, & magis fallacijs deditum. Fuit certè Christianæ religionis nequissimus Apostata, & hostis acerrimus: Themistius Philosophus, qui para-

paraphrastica, eaque perspicua, & elegãti multorum librorum Aristotelis explanatione, magnam laudem inuenit, tempore Valentis Imperatoris floruit, vt demonstrat Ecclesiastica historia Socratis lib.4. cap.27. idemque confirmat Nicephorus Calistus lib. 18. cap. 50. Nec ab his differt Suidas scribens eum vixisse sub Imperio Iouiniani; cum Iouinianus octo dumtaxat mensibus imperauerit; post quem proximè Valentinianus, & Valens Imperium acceperunt. D. Augustinus in eo libro quem de Cathegorijs Aristotelis scripsit, Themistium eximiũ Philosophum appellat, eumque & suæ ætatis & magistrum suum fuisse significat. Simplicius in exponendis Aristotelis scriptis nulli secundus, Iustiniano Imperatore vixit, vt Suidas inquit, vbi de Damascio Philosopho verba facit; quo ferè tempore claruit Seuerinus Boethius, vir genere, dignitate, poeseos, Philosophiæ, ac Theologiæ præstantia nobilissimus. Ioannem autem Philoponum, haud ignobilem Philosophum, nec obscurum Aristotelis interpretem, sub Phoca Imperatore vixisse, significare videtur Nicephorus lib. 18. cap. 46. Verùm cum Simplicius non raro eum acerbè mordeat, & conuicijs laceret, eiusque sententias decretis Aristotelicis contrarias reprobet, magno argumento est eum fuisse antiquiorem, aut saltem eiusdem Simplicij ęqualem.

Inter Arabes Philosophiæ Aristotelicæ Sectatores, celebriores fuerunt Auempace, Alpharabius, Auerroes, & Auicenna Hispalensis Medicus insignis, sed religione infamis, Mahometanus enim erat. Et quamuis aliqui potius Auicennam, quam Auerroem legendum putent, quod eius scripta omni memoria à grauissimis hominibus probata sint, & quod vnus inter omnes Arabes proximè ad verum Philosophiæ Christianæ decus, & laudem accessisse videatur; nihilominus tamen, quandò Aristotelis Philosophia inducta est in Academias Catholicas recẽs institutas, simul quoque Auerrois interpretatio fuit admissa, adeoque eò ignorantiæ sæculo laudata, vt commentatoris nomen illi delatum fuerit; qua certè laude dignus non videtur. Etsi enim negari non possit quin habeat aliqua firma, plura tamen aliundè accepta, multisque erroribus aspersa sunt; prætērquam quod à multis existimatus fuit homo impius, Atheusque, & Christianæ Religionis, quæ suo tempore (floruit enim à Natiuitate Christi anno circiter 1150.) valdè dilatata erat, ipsique cognita, infensissimus. Sed de hoc commentatore, quantique sit faciendus, qui plura scire voluerit, legat non minus veram quàm grauem censuram à viro docto Ludouico Viues in eum latam lib.5. de corrupt. art. tom. 1. vbi merito eos dementes vocat, qui Auerroem Aristoteli parem, & Sancto Thoma superiorem facere ausi sunt.

Tandem ex Latinis antiquioribus, hi celebriores haberi debent Philosophiæ Aristotelicæ Sectatores, Boethius, Albertus Magnus, Diuus Thomas, Aegidius Romanus, & Scotus: qui etiam omnibus alijs tàm Græcis, quàm Arabibus expositoribus sunt pręferendi. Etsi enim Gręci, vniuersè loquendo, in exponendo aliqua parte Latinos superent, quia cum linguam callerent, accuratius propriam verborum significationem explicare potuerunt; Superantur tamen, quia Latini, quod præcipuum est, diligentius obscuritatem illam Aristotelis, textum, vt loquuntur, distinguendo remouent, ac etiam subtilius, quæ dicuntur perpendunt, & examinant. Adde quod illi interdum solent esse verbosiores, hi vero paucioribus sunt contenti; vt sanè esse debent, qui philosophicè scribunt, quia vt nimis concisa explicatio rem non illustrat, ita nimis dilatata eamdem dissipat. Expositores autem Arabes Gręcis, & Latinis expositoribus postponendi iudicantur. Quoniam illi, vt plurimum, vsi sunt codicibus minus puris, quam hi: & quasdam magis leues opiniones sectari solent, vt is facilè cognosceret, qui eorum in vniuersa Philosophia errores animaduerteret:

ret: vt omittam, quod omnes fuerunt mahometismo, vel alia falsa religione infecti, atque vt magis impij, minus veritatis lucem videre potuerunt.

Sed vt Latini Græcis, & Arabibus simpliciter & absolutè sunt anteponendi; ita inter Latinos D. Thomam alijs præferendum esse non solum grauissimorum virorum authoritate comprobatur, sed etiam ex præclaris commentarijs, quibus primus inter Latinos omnes fere Aristotelis libros illustrauit, Logicos, Physicos, Metaphysicos, Morales, & Politicos; & quosdam vt melius exponeret, viros Græcè eruditos adhibuit. Qua in re iudicium ferens Hieronymus Vieln. lib. 2. de doctrina D. Thomæ ait: Diuus Thomas in explicando Aristotele totus eo incumbit, vt verba diligenter consideret, eorumque sententiam fideliter magis, quam eleganter exprimat, & Sepiam illam (vt prisci Aristotelem nuncupabant) atramentum effundentem, sensimque fugientem, Lynceus ipse & prudens, tanquam Delius quidam natator insequitur, apprehendit, detinet. Quamobrem hiulca explet, complicata aperit, confusa distinguit, mutila farcit, contextum ipsum partitur, distribuit, connectit; discussisque ambiguitatum nebulis, quæ interdum emergere circa ipsum solent, obscura quæque breuissimè quidem, sed attamen, ita illustrat, vt Expositoris nomen, nemine penitus dissentiente obtinuerit. Augustinus quoque Nifus, vt innumeros alios prætercam, de eodem D. Thoma tale testimonium tulit: Hunc habemus, non modo in his physicis cōmentationibus, sed in libris alijs fidum ducem, cui etiam non sine causa, nomen expositoris tributum est. Illo enim (pace Græcorum expositorum dixerim) curiosior, aut vberior, aut, quod rarum est, clarior inuentus est nemo. Vnde, meo quidem iudicio, omnis Latij, omnisque Philosophiæ decus semper habendus est. Sed de hoc nunquam satis laudato Philosopho, & omnium Theologorum principe, Angelicoque doctore redibit sermo infra libro 5. huius operis agendo de principibus Scholarum Theologicarum eorumque methodis in tradenda sacra doctrina obseruatis.

Circa anthores, qui de rebus ad Aristotelem, eiusque doctrinam pertinentibus aliquid scripsere, præter superius citatos, videri possunt insuper omnes fere illi, qui in libros, vel vniuersos, vel priuatos Aristotelis scripserunt, in suis præfationibus, & prolegomenis; Andreæ Cæsalpini Aretini peripateticarum quęstionum libri quinque; Bernardi Copij Idea, siue partitio totius Philosophiæ ex Platone, & Aristotele; Chrisostomi Iauelli quæstiones, & epitomes in vniuersam Aristotelis Philosophiam; Augustini Valerij de recta ratione Philosophandi libri duo, eiusdem præfationes in varias partes Philosophiæ, qua ratione in Aristotele versandum sit; Georgius Gemistus de Platonis, & Aristotelis Philosophiæ differentia; Iacobi Carpentarij comparatio Platonis cùm Aristotele; Ludouicus Carbo libro tertio introductionis in vniuersam Philosophiam, Fortunij Lyceti libellus de pietate Aristotelis, & tandem plures alij inferius citandi lib. 3. sect. 7. qui vel in omnes vel in singulas Philosophiæ partes aliquid scripsere. Ioānis Iacobi Breureri proœmium peripateticum; Sebastianus Foxius de natura Philosophiæ, seu de Platonis, & Aristotelis consensione.

CAPVT XIV.

De Stoicorum, Philosophiaque Stoicæ authoritate.

Philosophiæ Stoicæ principium dedit Zeno, nomen vero *Stoa*, latine *porticus*, in qua primum doceri cæpit, quæ *Pisianactæa* olim dicta, postea picturis variè à Polygnoto decorata, nomen illud *Poicbilis*, siue *varia* accepit. Zeno igitur ille, quem primum Philosophiæ Stoicæ auctorem facimus, fuit Zeno Citticus, præter illum enim fuerunt

runt alij Zenones, & speciatim duo, de quibus interdũ apud Scriptores fit mentio: alter Eleates Parmedinis auditor, quem Dialecticæ inuentorem faciunt, & in perferendis cruciatibus patientissimum: alter Epicureus, Ciceroni æqualis, de quo lib. 1. de nat. Deor. meminit: quem Philo coryphæum Epicureorum appellare solebat. Porro Zeno ille, de quo hic sermo habetur, dictus fuit Citticus, quia è Cittio Cypri oppidulo ad mare ortus; Strabo lib. 14. *Cittium, habet portum qui claudi potest, illinc ortus Zeno, Stoicæ sectæ dux & princeps*: Diogenes: *Zeno Citticus, e Cypri oppidulo Græcanico, sed quod Phœnicas incolas habuit*. Suidas hoc ipsum: *Pœnus cognomine dictus est Zeno, quoniam Pœni* (Græce *Phœnices*) *incolæ oppiduli fuerunt*. Cicero 4. de finib. huc spectat, aut qui apud eum Zenoni illudunt: *Tuus ille pœnulus* (*scis enim Citticos, clientes tuos, è Phœnicia profectos*) *verba versare cœpit*: & 5. Tuscul. *Zeno Citticus, aduena quidam, & ignobilis*.

Is cum prius mercaturam faceret, audito naufragio, dixit, quàm benè fortuna facit, quæ nos ad Philosophiam impellit. Athenas itaque profectus, annos triginta natus, Cratis Thebani Philosophi Cynici auditor fuit: Postea in porticu docere cœpit: ex quo loco eius discipuli qui prius Zenonij dicebantur, Philosophi Stoici nuncupati sunt, vt iam supra notauimus. Floruit circa Olympiadem centesimam decimam octauam: annos quinquaginta & octo scholæ præfuit: ætatis verò suæ anno nonagesimo octauo nullo conflictatus morbo, è vita discessit; publiceque sepultus fuit, ex decreto Atheniensium in *Ceramico*: cui Pausanias nõ repugnat, dum *monumentum Zenonis, & Chrysippi Solensis*, extra vrbem ponit, propè Academiam: quia duplex scilicet *Ceramicus*, & in vrbe via, & extra vrbem ager, vbi sepeliri solebãt de republica bello, vel aliter benè meriti.

Plurimi clarissimique viri post Zenonis obitum huius Sectæ Stoicæ studiosissimi fuerunt, inter quos primus fuit Cleanthes, qui *Freantles* ioco dictus, à labore quem noctibus sumebat, *puteos exhauriendi*; vt diem studijs, & alimenta sibi daret, ex Diogene, & Seneca epist. 44. Patria *Assus* fuit, vrbs Aeolidis: quod & Strabo sic testatur lib. 14. *Natura & arte munita est Assus, à mari & portu arduum & difficilem ascensum præbens. Cleanthes Stoicus Philosophus, qui Zenoni Cittico successit in Schola, & eam Chrysippo Solensi reliquit, hinc natus est*. Simplicius comment. vltimo in Epict. *Statuam Cleanthis admirabilem vidisse se testatur, in ipsa Asso, magnificentiæ Romani Senatus specimen, viri eius honori dedicatam*. A Cicerone lib. 3. de nat. Deorum *Pater Stoicorum* dicitur: & lib. 4. Academ. quæst. *Maiorum gentium Stoicus*. Meruit hæc & plura elogia, ipse quoque vita ac scripris egregius; & multa horũ versu Iambico complexus. Fragmenta docent. Longeuus item, & Zenonis annos dicitur æquasse. ex Diogene Laertio, & Luciano in Longæuis. Item inter Zenonis *Gnorimos*, id est discipulos, philosophantium lingua recensentur simul cum Cleanthe Persæus & ipse Citticus, Erillus, siue potius Herillus, qui omnia ad scientiam reuocauit, & eam vnum bonum esse: Aristo *Chius* item à patria, & Athenodorus Solensis.

Cleanthi postea successerunt duo eius discipuli, Sphærus cui patria *Bosphorus*, vndè Bosphoranus, & Chrysippus, cui *Soli* vrbs Ciliciæ, postea *Pompeiopolis* dicta: quod prædones ibi Pompeius locasset. Diogenes Laertius ambigit an non *Tarsensis* fuerit: Strabo lib. 14. definit, *Chrysippum Solensem, patrem verò Tarsensem: sed huc commigrasse*. Mirifice hunc laudant; & doctrina sanè multa, lectione, atque scriptione fuit: adeo vt volumina reliquerit ad septingenta & quinque. Quo circa non insulsè ab aliquibus Coriphæus Stoicorum, eorumque porticum humeris suis fulcire, ac sustentare dictus est; dignusque habitus cui statua ab Athenien-

nienfibus poneretur, in Ceramico interiori. Vixit annos LXXIII.

Chryſippum exceperunt Diogenes, cognomento *Babylonius*, non quia verè ibi natus,ſed à vicino & notiore loco ſic dictus. Et Zeno Sidonius; ambo Chryſippi diſcipuli, quamuis firmiter non ſciatur quis eorum in Schola Chryſippo ſucceſſerit. Diogenis poſtea diſcipuli fuerunt Antipater Sydonius, & Zenodotus ex Laertio. Hunc Antipatrum Seneca epiſt. 92. inter magnos Sectæ Stoicæ authores reponit: nominat & Epictetus lib. 3. diſſert. 21. velut inter Triumuiros. Reperitur & Antipater Tyrius, item Stoicus: qui Catoni Vticenſi ex Plutarcho in eius vita, in adoleſcentia doctor, atque adeò in contubernio Romæ fuit: eſtque ille de quo Cicero lib. 2. de offic. *Antipater Tyrius Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus*. Verius autem hunc diuerſum à priore eſſe: ſicut & *Antipatrum Tarſenſem*, quem inter illuſtres Stoicos Strabo lib. 14. nominauit; & Lipſius lib. 1. manuduct. ad Stoicam Philoſophiã ſuſpicatur ex Clemente Alexandrino, fuiſſe Cleanthis diſcipulum.

Antipatri Sidonio, Panætius, ille inclytus,& inter apices; Panætio, Poſidonius, Aſclepiodotus, & Apollonius diſcipuli fuerunt: ex Cicerone lib. 1. de diuin. *Poſidonij doctor, diſcipulus Antipatri, Panætius*; quem etiam in ſcribendis officijs ſequutus eſt. Ex Romanis quoque proceribus Philoſophiæ Stoicæ amatoribus eminent Cato Vticenſis, & qui Cæſarem occidit Brutus. Tandem Nerone imperante, duo præſtantiſſimi Stoici fuerunt, vnus Seneca, alter Epictetus. Et quod pertinet ad Senecam, etſi aliqui, inter quos Iuſtus Lipſius libro 1. manuduct. ad Stoic. Philoſophiã, mirum in modum illum attollant, eoque potiſſimum, quod Tertullianus ſæpe *noſtrum*, Auguſtinus *Apoſtolis familiarem*, Hieronymus pænè è Sanctorum numeris fuiſſe dicant: non deſunt tamen plures qui exiſtiment, quod ſicut plura ſui ingenij monimenta, ita & plura & inſigniora impietatis ſuæ argumenta reliquerit, quæ omnia breuiter ad quatuor capita reuocant. In primo de Dei prouidentia dubitat lib. 2. epiſt. 16. *Dicet aliquis. Quid mihi prodeſt Philoſophia, ſi fatum? quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? quid prodeſt, ſi caſus imperat?* Subijcitque. *Quidquid eſt ex his Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt &c.* Alterum caput eſt omnis timoris Dei,& ſupplicum ad Deum precum abolitio libro 4. epiſt. 29. & lib. 15. epiſt. 96. poſt medium omnia externa religionis officia damnat, eaque de Deo dicit quæ omnem eius cultum & metum euertant. Et ſi libro 1. epiſtola 10. vult Deum ab homine rogari; docet ita rogari debere, vt non tam ab eius bonitate, & miſericordia ſperetur quod poſcitur, quàm pro iure & debito ſuperbè exigatur. *Votorum*, inquir, *tuorum veterum licet Dijs gratiam facias alia de integro ſuſcipe, roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu iſta vota ſæpe facias? Audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus*. Quo orandi ritu quid inſolentius, quid intolerabilius fingi poteſt? eodem ſpectat dictum illud, quo ſuæ philoſophiæ ſummam complectitur epiſtola 20. *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, vt contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis*. Eſtque hoc tertium impietatis Senecæ caput, quo ſuum ſapientem Deo exæquat, adeoque liberum facit, vt nec Deum ipſum placatum curet nec offenſum timeat epiſtola 8. 9. 41. 73. aliàs 74. 90. aliàs 91. Quartum denique caput eſt viuere ſecundum naturam epiſtola 5. de quibus vide Ioannem Bagotium in Apologetico fidei lib. 5. diſp. 3. cap. 3. ſectione 4. Nunc ad Epictetum veniamus.

Clarum igitur aliud Philoſophiæ Stoicæ ſidus ſe oſtendit Epictetus: æuo, non merito, poſterior Seneca: & Scriptorum pondere, ſi non numero, comparandus, vita præponendus, ex Lipſio. Ille vir totus à ſe & à Deo, nihil à fortuna

tuna fuit. Origine vilis,& inter seruos; corpore claudus ac debilis; mente nobilissimus, & inter omnis æui lumina refulsit. Natum Hierapoli Phrygiæ oppido tradunt: Romam traductum seruisse seruitutem Epaphrodito Neronis, qui fuit à custodia corporis illi principi: claudum autem, e distillatione in eam partem corporis illapsa. Hæc ferè Suidas: Agellius etiam, qui virum admiratus est, refert lib. 15. cap. 11. pulsum fuisse Roma edicto illo barbarico Domitiani, quo Philosophos omnes ab vrbe relegauit: & in Epiri Nicopoli diē vltimum obijsse. Aiunt ad Marci Antonini Imperatoris tempora durasse; vndè, cum à Neronis morte, ad initia Marci Antonini, sint anni admodum nonaginta quatuor, rectè colligit Lipsius, nonnisi puerum sub Nerone vixisse. Scripta eius pauca exstant: *Enchiridion* sane egregium, & Stoicæ moralis Philosophiæ velut anima, in quod Simplicius Philosophus eruditos edidit cōmentarios. Item *dissertationes*, quas obiter in via, domo, schola habuit, ab Arriano collectæ & digestæ. Neque omnes etiam exstant: sed in Agellio & Stobæo reperies, quæ hic requiras.

Marcus quoque Antoninus post Epicteti tempora Apollonij, Sexti, Iunij, Rustici aliorumque Stoicorum disciplina excultus, illius studiosissimus fuit, eaque sapientia (quam præferunt quoque illius libri) fortuna etiam in bellis celeberrimus, ac probitate fuit, vt aurea Saturni sæcula retulisse censeretur, nemoque cum funus illi duceretur, plāgendum putaverit, certis omnibus (sic habet Capitolinus), quod à Dijs commodatus ad Deos redijsset.

Quid plura, vt inter Sanctos Patres, Catholicosque doctores fuerunt quàm plurimi Platonicæ, & Aristotelicæ Philosophiæ addicti, ita etiam inter illos non defuerunt, qui Stoicam amplexi sint Philosophiam, illamque ex professo docuerint. Primus occurrit S. Pantænus, cuius dies festus in Martyrologio Romano reponitur 7. Iulij, is enim ob præcipuam eruditionis, & sanctitatis gloriam in Indiam missus, vt Christū apud Indos, illiusque gentis Philosophos prędicaret, cum Alexandriam reuersus fuisset, ibi plurium spatio annorum nobili præfuit scholæ, in qua Stoicam profitebatur doctrinam; cui postea successit S. Clemēs Alexandrinus: de quibus vide Eusebium lib. 5. cap. 10. & Cardinalem Baronium tomo 2. Annal. Ecclesiast. ad ann. 185. in notis ad Martyrolog. 7. Iulij.

Nostris tandem temporibus Stoicæ Philosophiæ, rerumque ad illam pertinentium studiosissimi fuerunt duo egregij viri Iustus Lipsius, & Gaspar Scioppius: quorum primus conscripsit manuductionis ad Stoicam Philosophiam libros tres; & alios tres Physiologiæ Stoicorum: Secundus verò elementa Philosophiæ Stoicæ moralis; cuius duæ potissimum fuerunt partes, decretorum videlicet & præceptorum, illam Græci *Dogmaticam* appellant, hanc *Paraeneticam* nos reddere *decretoriam*, & *præceptoriam* possumus. Apta diuisio, nam sicut Philosophiam totam bipertitam fecerunt omnes antiqui, *Contemplatiuam*, & *Actiuam*: vtrique ecce parti ductorem suum dederunt Stoici, & (Senecæ verbis epistola 94.) *contemplationem institutio tradit, actionem admonitio*. Institutio, id est, *decreta*. neque enim vlla ars sine ijs est: quæ alij *Axiomata*, *Enuntiata*, aut *effata* appellant: Stoici *Dogmata*, quæ nobis vel decreta licet appellare, vel scita, vel placita. Apuleius etiam *consulta* vertit: Nihilque aliud sunt, quam generalia quædam capita, & velut leges, ad quæ reliqua omnia Doctrinæ vel examinentur, vel referantur: sicut præcepta sunt specialia. *Quid enim*, inquit Seneca epist. 94. *interest inter decreta philosophiæ, & præcepta, nisi quod illa generalia præcepta sunt, hæc specialia?*

Quod pertinet modo ad Stoicorum doctrinam, siue Philosophiæ Stoicæ dignitatem, vt omittam innumera Scriptorum Ethnicorum testimonia, vnicū

Diui-

Diui Hieronymi ad illam commendandam sufficiat; qui in cap. 1. Isaiæ affirmat *Stoicos Christiano dogmati in plerisque conuenire*: pro vt citatus Gaspar Scioppius probare conatur cap. 134. & 135. Elementorum Phil. Stoic. clareque patebit consideranti finem Stoicæ disciplinæ, qui fuit virtutibus, illisque eximijs hominum animos exornare, vitijs prius relegatis, animi motibus temperatis, siue ad moderationem reuocatis. Sic de Sancto Carolo Borromeo legimus, sępè fassum esse, se Epicteti libris impulsum fuisse ad humanarum rerum contemptum Diuinarumque amorem; quod & sibi euenisse testatur Lipsius libro 1. manuduct. ad Stoic. Philosoph. dissertat. 17. & dissertat. 19. *Ego*, inquit, *Senecionem illum nunquam lego, nisi cum interno animi motu: & quod Homero proprium, pluris facio cum relego, semper vt nouum, & cum repetiui repetendum*.

Attamen vt Platonicæ & Aristotelicæ, sic etiam Stoicæ Philosophiæ sua non defuerunt crimina, quorum etsi aliqua facilè possint explicari, & ad bonũ sensum reuocari, secus tamen omnia; verùm cùm de his abundè iam pręfati doctores Iustus Lipsius, & Gaspar Scioppius, qui facile consuli possunt, egerint, non est quod in longiori illorum disquisitione diutius immoremur; superest tantùm breuiter explicare, nùm Philosophi Cynici originem Stoicis dederc, fueritque vna & eadem priùs Cynicorum, postea Stoicorum secta; cum ex hoc potissimum capite Stoicorum nomen & doctrina apud aliquos malè audire posset; de Cynicis enim Cicero lib. 1. de officijs nobis inclamat: *Cynicorum natio tota eijcienda est. Est enim inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest nihil honestum*. Vndè etiam aliqui putant *à canis impudentia* sic fuisse dictos; quia naturæ in publico obsequuntur, ingerendo, egerendo, atque etiam inserendo, animalis illius exemplo: & à quibusdam Scriptoribus tribuitur illis opinio de summo voluptatis bono.

Communis est ergò sententia, Stoicos suam à Cynicis originem traxisse, essèque vnam & eamdem pęnè Cynicorum & Stoicorum sectam; vndè & ortum *Stoica*, sunt qui Antistheni Socratis auditori adscribant, *Cynica* eidem conditori. Diogenes apertè in Antisth. *Videtur & virilis illius Stoica secta princeps auctorque fuisse*. Quidni videatur? dogmata consentiunt, solumque in vita & cultu aliquid mutant. Itaque poëta rectè.

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat

A Cynicis tunicà distantia:

Siue quia verecundia tegebant Stoici, quæ illi in aperto audebant; siue, quod verisimilius existimo ob statim dicenda, quia veste & habitu differebant. Sanè, vt idem Diogenes ait in Menedemo, *communio & societas quadam est his duabus Sectis; vndè & Cynicismum dixerunt breuem ad virtutẽ viã*. Qui dixerunt? ipsi Stoici. Atque adeo Zeno definiuit, apud Diogenem in eius vita, *Sapientem Cynicum debere esse: atque Cynicismum, compendiariam ad virtutem viam*.

Ex hac tamen Stoicæ cum Cynica philosophiæ communione, & societate, nihil in illius sequitur pręiudicium; nã quod in ludibrium & probrum dicunt à canis impudentia sic fuisse Cynicos appellatos, rectè Empiricus abnuit lib. 1. Pyrrhon. cap. 14. qui vbi canem laudauit à sagacitate aut prudentia, *quod commoda appeteret, incommoda vitaret; mala agnosceret, & mitigaret; sed & iustum, memorem, gratum esse, animosum, & malis infestum*: addit, *indè factum videri, vt Philosophi quidam* (Cinici) *se huius animalis cognomine commendarint*. Bene, quid enim tàm proprium Cynicis, quàm bonos tueri & fauere, malos inuadere & allatrare? Laertius & aliam causam suggerit: *Docebat*, inquit, *Antisthenes in Cynosarge gymnasio, haud procul à portis: vndè & Cynicam sectam dictam sunt qui opinentur. Ipse quidem appellabatur* Aplocuon *simplex & ingenuus canis*.

nis. In nomine hoc est.

Quod spectat ad dogmata, si videātur recto animi oculo, multa etiam in illis sunt admiratione digna, vt, *Virtutem sufficere ad Beatam vitam. Eam in rebus factisque esse, non verbis. Sapientem sibi satis esse: eius enim omnia. Nihil ei nouum videri: Regem esse: non ad legem, sed virtutem viuere. Sola bona pulchra, mala turpia*. Denique, *finem homini, secundum virtutem viuere*. Quorum omnium locupletissimum testem habemus Epictetum, nemo enim melius, veriusque legitimum Cynicum descripsit, quam ille in dissertatione huic rei propria, quam *de Secta Cynica*, indigetauit, lib. 3. dissert. 22. *Cynicus*, inquit, *explorator quidem est, & velut Legatus à Ioue ad visendas res humanas. Diogenes ille, inter capita eius secta, post Cheronensem cladem ad Philippum regem perductus fuit, vt speculator. Statim fassus est. & sum* Hercules, *inquit, sed tua ambitionis, sæuitiæ, & luxus. Itaque monet, & inclamat liberè, quæ bona, quæ mala sint demonstrat: appetenda, fugienda; & elata manu, velut tragicà scenà conscensà, homines miseriarum suarum, & vitiorum admonet, ab iisque ad meliora (quantum in ipso est) compellit*.

Et lib. 4. dissert. 8. *Idem est Publicus Doctor & Pædagogus generis humani, instruit simul ac castigat. Idem Medicus & velut Aesculapius quidam: qui statim demonstrare possit, & illos, si curatione sua vtantur sanos fore, & suam valetudinem in argumentum proferre. Conuenite omnes, inquit, qui è pedibus, e capite, qui febri laboratis, conuenite cæci, amentes; ac videte me ab omni malo expertem & saluum. Denique Dominus & Rex est, sceptro & diademate à Deo ornatus: qui tales facere pollicetur, sibi audientes. Vt sciatis, ò mortales, nos felicitatem & tranquillitatem, vbi non est, quærere: ecce ego exemplum à Deo vobis sum missus. Non rem habeo, agros, domum, non vxorem, liberos, familiam; imo nec stragulum, aut tunicam, aut aliud vasum. Videtis tamen quam sanus sim? facite mei periculum. Nihil habeo, nihil egeo, ne cupio quidem: non hominem, non locum, non oblectatiunculam, sicut pueri vindemiæ dies aut ferias*.

Iterum lib. 3. dissert. 22. *Ecquid mihi deest? nonne sine metu sum? nonne liber? quandò quisquam me in vouendo frustratum vidit? quando in vitando? quando Deum vel hominem aliquē incusaui? quomodo autem alacer, & erectus incedo? quomodo eos tracto, & conuenio, quos vos timetis? nonne vt mancipia? quis me conspecto, se Regem & Dominum suum videre non putat? Hæc ago, hæc curo: sicut eum oportet*, ex Homero,

Qui populos moderetur, & ampla negotia curet.

Atque hæc liberè omnia, sine trepidatione aut respectu; quippe qui sole puriorem mentem conor circumferre. Non habeo satellites, gladios, pompam siue terriculamenta ista externa: eorum loco bona conscientia dat fiduciam mihi & potestatem. Non ipse reprehendendus, in alios incurro; verecundia vbique ornatus, & honesti amore, illud sine lege, aut pœna colo. Cæteri parietibus, iannis, velis teguntur: ego sub dio, in propatulo ago, omnium oculis & inquisitioni expositus, Deo me probo. Atque hæc cum facio, euenit vt malè audiam, imò vapulem: quid mirum à pueris aut fatuis, & qui tangi vlcera sua nolunt? Ego verò affectum aut curam non muto, aut mitto: dum vapulo eos ipsos qui verberant diligo, tanquam pater omnium, tanquam frater. Neque animo solùm ita firmus & constans sum, sed corpus sufficie, & illo ipso doceo, tenuem & frugalem victum vires augere, adeò non lædere sanitatem. Quid calorem, frigus, incommoda? nihil. Ecce circumfero corpus meum, vt Diogenes, nitidus, pinguis, bene habitus: credite oculis sensibusque vera dici. Hæc & plura germanus ille Cynicus, quæ licet in summo esse videantur; vndè Seneca signatè scripsit lib. de breuit. vitæ cap. 14. *Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere*; non propterea tamen inutilia sunt iudicanda, cū ad modum deinde ducant. Diogenes apud Laer-

Laertium agnoscebat, & fatebatur. *Imitarise chori magistros: qui tonum leuiter excederent, sed vt reliquos reuocarent ad concentum.* Pulcherrimè, inquit Lipsius, sint magnæ istæ animæ, quæ omnia externa calcent, despuant: & aliquid in rigore fortassis excedant, vt mollitiem nostram vincant.

Ex quibus omnibus satis patet, si à quibusdam Scriptoribus Cynicis Philosophis tribuitur opinio de summo voluptatis bono, pro mendo haberi debere, & pro Cynicis, Cyrenaici legendum esse, cum hi in voluptate summum bonum posuerint, qui Aristippi genere Cyrenaici instituta sunt sequuti, vt dicetur capite sequenti.

CAPVT XV.

De Epicureorum, Philosophiaque Epicureæ authoritate.

EX quatuor magis illustribus post Socratem exortis & cultis Philosophorum disciplinis, tres exposuimus, Platonicorum, Peripateticorum, & Stoicorum; superest quarta, & vltima Epicureorum de quibus testatur S. Lucas in Actis cap. 17. quod Paulus cum ijsdem disputauerit. Huic ergò Philosophiæ principium & nomen dedit Epicurus, patria Atheniensis, primò Grammaticus postea Philosophus, à nemine edoctus, vt ipse de se dicebat: Democriti scriptis & Aristippi libris de voluptate addictus, ex illis errores de natura, ex his verò de moribus corruptam doctrinam hausit. Nascitur (Apollodoro in Chronicis auctore) anno tertio Olympiadis centesimæ nonæ, septem nimirum annis post Platonis obitum; vixit annos septuaginta duos, obijtque anno primo Olympiadis centesimæ vigesimæ septimæ. Vnde Eusebius in Chronicis, insigni Chonographiæ errore, Epicurum florentem facit Olympiade centesima duodecima, quo tempore vix pueritiam exegerat, tredecim dumtaxat annos natus. Multa edidit volumina, si Laertio credimus, qui eius vitam latè describit; habuitque etiam multos suæ doctrinæ Sectatores, & defensores, in quibus omnium iudicio, primas tenuit Lucretius Romanus, qui eleganti Poemate totam Epicuri disciplinam, quæ ad Physicam pertinet diligẽter exposuit, natus Olympiade centesima septuagesima prima; annos vixit tres & quadraginta; vt impius erat, dignum suis moribus exitum habuit; sua enim se manu confecit. Cuius ætas multas habuit Epicureos, Atticum, Velleium, vtinam nostra plures non habeat. In eadem Secta aliquando fuit Horatius, sed prudenter palinodiam cecinit, & multa pręclarè de virtute dixit, atque hoc vno versiculo lib. 2. Ep. 2. Epicuream Sectam confodit.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Mirum sanè, quàm malè omnes ferè scriptores de Epicuro, eiusque Secta locuti fuerint. Plinius illum vocat otij magistrum, hoc est, malorum omnium seminarium, quæ enim mala vel vitia non parit otium? *Deum*, ex Cicerone lib. 1. de Nat. Deorum, & lib. 2. de finibus fecit corporatum, rerum humanarum ignarum, nihil curantem; ita vt nec habeat, nec exhibeat alicui negotium. Omnem honestatem, & pietatem funditus sustulit: homines ad voluptates perfruẽdas, non secus, ac pecudes, factos esse docuit: eosdem immortalitatis dote priuauit: nullis doctrinis fuit instructus, quas qui tenent, eruditi appellantur: dialecticam, rationemque contempsit, & omne iudicium sensibus tribuit: in omnibus Philosophiæ partibus turpissimè lapsus est: denique in omnes Philosophos extitit maledicus, hæc & similia Cicero.

De his quoque Iosephus lib. 10. Antiquit. cap. 14. in fine scribens, dicit: *Epicureorum error coarguitur, qui prouidentiam è vita eijciunt, & Deo regimen rerum nolunt permittere, nec credunt vniuersitatem à beata illa, & immortali essentia vel conseruari, vel gubernari, sed sine re-*

rectore, & curatore mundum suopte impetu ferri asseuerant, qui si ita, vt illi autumant, careret præside, quemadmodum naues sine gubernatoribus videmus procellis, & fluctibus obrui, currusque aurigis destitutos euerti, ac confringi, ita & ipse perderetur immoderato impetu. Sic ille. E nostris idem docet Sanctus Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 41. qui addit, Epicurum, porcum ab alijs vocari, quod summum bonum in voluptate collocaret: & quamuis scriptis suis honestam voluptatem tradere videretur, turpem tamen sequeretur ille ipse. Lactantius verò ideo illius disciplinam celebtiorem alijs adfirmat, quod homo astutus, omnium se moribus accommodare studebat, & sicut nomen voluptatis populare est, & vnumquemque trahit, sic & vniuscuiusque moribus doctrinam suam accommodat, & maiore discordia secum pugnat, quam vniuersim cæteri omnes.

Quæ omnia si vera sunt, satis intelligitur, Epicureorum Philosophiam nullius prorsus authoritatis esse debere, nec doctrinæ præstantia, nec splendore virtutum, nec vllius rei quæ laudem aliquam mereatur, excellentia, sed sola mortalium ad peiora semper ruentium vanitate quadam & insania factum esse, vt Epicurus in Philosophia clarus, & illustris haberetur, eiusque sectæ princeps & auctor esset, quæ sectatorum multitudine, nobilitate, mutuaque eorum inter se consensione, atque concordia, cæteris omnibus sectis longissimè antecelleret. Dixi, *si vera sunt*, quia nouissimè Petrus Gassendus tàm in octo libris apologiæ de vita & moribus Epicuri, quàm in tripartita eius philosophia rem aliter se habere pluribus demonstrat.

Primum enim Epicurus apud Empiricum Philosophiæ definitionem tradens, dicit illam esse, *exercitationem, qua sermonibus, ac rationibus vitam beatam parat.* Quæ definitio nihil minus sonare videtur, quàm illud, quod Epicuro imponitur. Vbi si nomine *actionis*, non *habitus* vtitur, facere videtur, vt significet esse Philosophiam animatum sapientiæ studium; quomodo Plato quoque ipse in Phædro illam, Meletin, *meditationem*, seu *exercitationem* definiuit; Præterea autem Metrodorum apud eumdem Empiricum dicere Philosophiã esse Empeirian *peritiam*, seu, vt ipse Empiricus interpretatur *Artem*; prorsus quasi nihil sit aliud Philosophia, quàm *vitæ ars.*

Ad ipsam insuper Philosophiæ diuisionem quod attinet, tres illius partes aliorum instar agnouit Epicurus, Logicam, Physicam, & Moralem, siue Ethicam. Discrimen tamen inter Epicurum, & cæteros fuit, quod parum abesse videatur, quin solam Ethicam probarit (sequutus nempè Socratem, Cyrenaicos, & aliquos alios) quoniam agniturus Physicam non fuerit, nisi ad Ethices finem referatur; & quod in vicem Logicæ, Dialecticæue, eam substituerit, quam *Canonicam* appellauit. Seneca proinde Epistola 89. *Epicurei, inquit, duas partes Philosophiæ putauerunt esse, naturalem, atque Moralem; Rationalem remouerunt. Deinde cum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub veri specie latentia coarguere, ipsi quoque locum, quem de iudicio, & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt.* Eodem sensu Empiricus, postquam retulit Epicurum credi ab aliquibus idem sentire cum Archelao, Naturalem, ac Moralem solummodò admittente, quod Logicam expelleret, subdit, *fuere verò alij, qui dicerent, ipsum non vniuersè Logicam sed eam solum, quæ haberetur Stoicorum, auersatum fuisse, adeò vt reliquerit tripartitam adhuc potestate Philosophiam.* Dicit autem Dunamei *potestate*; quia Canonica Epicuri est Logica quædam, & vt loquitur Seneca, *alio nomine idem sonat.* Ex quibus satis patet Epicurum Dialecticam absolutè non contempsisse, sed repudiatis tantum aliquibus superuacaneis, in eius vicem *Canonicam* substituisse, quæ si quid ex Dialectica vtile habetur, retinet. Nunc breuem tam

illius

llius, quam duarum aliarum partium . deam, vel syntagma proponamus.

Prima igitur Philosophiæ Epicureæ pars est *Canonica*, siue de Criterijs, sic appellata, quia in ea veritatis regulas, & criteria, hoc est iudicandi instrumenta Epicurus exposuit, & subiecto mox opere, Physica videlicet, regulas in suo Canone traditas, redegit in praxim.

Sed cum ex Galeno lib. de opt. doctr. organum instrumentumue iudicandi sit duplex aliud naturale, aliud artificiale, non agitur de artificiali, cuiusmodi est circinus, quo explorator rotunditas; ulna, qua longitudo, libra, qua pondus, &c. sed de naturali, quod non paranus ipsi, sed nanciscimur ab ipsa natura, quod cum rursus ex Empirico l. adu. Logic. sit triplex, *à quo*, *per quod*, *secundum quod*; & criterium *à quo* sit ipse homo, quasi à quo feratur iudicium; criterium *per quod* aliqua facultas per quam iudicet; Criterium *secundum quod* functio, seu vsus, & quasi applicatio facultatis ad iudicandum, similiter non intendit agere Epicurus de Criterio *à quo*, quippè cùm homo non tam *Kritirion*, quam *Kritis*, seu iudex, & arbiter sit. Itaque agit solum de Criterio tam *per quod*, quam *secundum quod*, hoc est, tàm de facultate, quam de facultatis functione, qua veritas diiudicatur, assignatque tria eiusmodi criteria, *sensum* videlicet, quo sensibilia; *Anticipationem*, qua opinabilia; *Passionem*, qua ea, quæ in appetitum seu in electionem, fugamque cadunt, diiudicantur.

Pro cuius diuisionis intelligentia notandum est, primò quod cum quæstionum aliæ sint de rebus, aliæ de nudis vocibus, vt ipsemet Epicurus docet, nec voces alio egeant criterio, quàm seipsis clarioribus redditis, deligendo, dum loquimur, voces communes, & perspicuas; ne aut ignoretur quid velimus, aut interpretando tempus frustra teramus, conando verò, dum audimus, vt vim subiectam vocibus teneamus, ne nos, vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant; tria hæc criteria sunt circa res ipsas. Supponendum rursus veritatem in quæstionibus circa res factis expetitam, aut ad nudam ipsarum rerum speculationem pertinere, aut ad actionem vitæ referri. Et speculatio quidem rerum, naturalis est scientiæ; Vitæ verò actio, Moralis: sed rerum in speculationem, seu contemplationem cadentium, aliæ quidem egent sola experientia, quales sunt, quæ sensu noscuntur, seu eæ sint planè manifestæ, seu ad tempus solum occultæ, vt ignis interposita domo; Byzantium, intercepta distantia, atque ita de cæteris, dicunturque Aisthita & Fainomena, *sensibilia*, *& apparentia*; Aliæ verò egent ratiocinatione, cuiusmodi sunt, quæ percipiuntur intelligentia, quæque vel sunt occultæ natura, & ex sensibilibus tamen intelligi possunt; vel eiusmodi sunt, vt cum sensum per se se fugiant, intellectum tamen aliundè percellunt, dicunturque vulgò Adila & Nooumena, *Immanifesta*, *& intelligibilia*. Quare & vulgò distinguuntur tria rerum quasi genera: Sensibilium, Intelligibilium, Moralium; quibus singulis singula assignanda esse Criteria videantur. Denique animaduertendum est, quoduis istorum criteriorum esse posse aut *per quod*, aut *secundum quod*; sed cum Epicurus non neget criterium, *per quod* esse aliquam facultatem, vt puta respectu sensibilium, sensum; respectu Intelligibilium, Intellectum, seu Mentem; respectu Moralium, Appetitum, seu Voluntatem; quia facultates tamen propriè non sunt, ad quas attendentes possimus ferre iudicium, idcircò ab eo vsurpari solum Criterium *secundũ quod*, atque adeò assignari aliquas functiones tàm sensus, quàm intellectus, quàm appetitus. Hinc ergò illi satis fuit ea ostendere, ad quæ homo respicere debeat, vt veritatem diiudicet, circa genera proposita rerum: tales nempè sunt sensus vel sensio respectu sensibilium; Anticipatio respectu intelligibilium, & Passio respectu Moralium.

De sensu, Criterio primario, varijs ra-

rationibus ostendit non falli, ac habitam sensu euidentiam Demonstrationis rerũ ineuidentium fundamentum esse. De Anticipatione, siue Prænotione, Criterio altero, declarat, qui Anticipatio id fiat, quod vniuersale appellant, qui definitio ipsa sit; qui principium omnis ratiocinationis; qui illud, de quo conuenire inter differentes oporteat; vndè & modus traditur omnium sophismatum soluendorum. De opinione comparata cum sensu, probat totam falsitatem, quæ vulgò imputatur sensui, esse opinionis, seu Mentis, de suo addentis, quod res sit, qualis esse apparet; ac simul deducit, quæ sensus euidentia necessaria sit, vt suffragata, non refragata: refragata, non suffragata, opinionem veram, falsamue declaret. De Passione, Criterio postremo, indicat, & ad partem Ethicam, comprobandum remittit Criterium, quo, quid prosequi, fugereue oporteat, diiudicandum sit, ipsas voluptatis, & doloris, seu molestiæ passiones esse. Ex quibus omnibus sequentes postea Canones elicit; videlicet: de Sensu Can. 1. sensus nunquam fallitur, ac proindè est omnis sensio, omnisque Phantasia, seu apparentiæ perceptio, vera. Can. 2. Opinio est consequens sensum, sensionique superaddita, in quam veritas & falsitas cadit. Can. 3. Opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensus euidentia. Can. 4. Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus euidentia. De Anticipatione. Can. 1. Omnis, quæ in mente est, Anticicipatio dependet à sensibus; idque vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione. Can. 2. Anticipatio est ipsa rei notio, & quasi definitio, sine qua quicquam quærere, dubitare, opinari, imò & nominare non licet. Can. 3. Est Anticipatio in omni Ratiocinatione principium, quasi nempe id, ad quod attendentes, inferimus vnum esse idem, aut diuersum; coniunctum, aut disiunctum ab alio. Can. 4. quod ineuidens est, ex rei euidentis Anticipatione demonstrari debet. De Passione. Can. 1. Ea voluptas, quæ nullam habet annexam Molestiam, amplectenda est. Can. 2. Ea molestia, quæ nullam habet voluptatem annexam, fugienda. Can. 3. Ea voluptas, quæ aut maiorem voluptatem impedit, aut grauiorem molestiam parit, fugienda. Can. 4. Ea molestia, quæ aut maiorem auertit molestiam, aut voluptatem vberiorem creat, amplectenda.

Altera Philosophiæ Epicureæ pars est Physica, seu Physiologia, quod sit sermo quidam, & ratiocinatio circa rerum naturam, in qua contemplanda tota occupatur. Cum autem tam multa, ac tàm varia sint, quæ Physiologia continet, claritatis gratia, memoriæque iuuandæ causa ad quatuor principalia capita possunt reduci. *Primum* de vniuerso, seu natura rerum, considerando ea ex quibus vniuersum constat; deinde ex quibus tam multa in vniuerso fiant, tum à quibus fiant, postea quales fiant, denique tum quomodo fiant, tum quomodo etiam intereant. *Secundum* caput est de mundo, considerando, qua forma interius, qua figura exterius sit? Aeternus ne sit, an initium habuerit? Alione authore, quam ipsa natura, fortunaue indiguerit? quales exortus, & totius, & partium eius fuerit? aliquone egeat rectore, an vices per se obeat? An, quomodo, quando sit interiturus? Vnicusue sit, an sint præter ipsum alij innumerabiles. *Tertium* est de rebus humilibus, hoc est, de humo, siue terra, cui ipsi hæremus, deque rebus quæ in ea sunt; considerando in primis ipsum terræ corpus generatim, ac subinde aquam partem massæ insignem, terræque ipsi variè, partim ad superficiem, partim etiam intus commistam; & postea quæ minora sunt, ac passim tota massa visuntur corpora, partim inanima vt sunt mineralia, lapides, ac plantæ; partim animata, quæ & dici animalia, seu animantes moris est. *Quartum* denique caput est de rebus sublimibus, seu quæ supra terram, sursumue ab ipsa visuntur, ac fiunt, huiuscemodi sunt Sol, Luna, alia syde-

sydera, & quæ in ipsis contingunt, vt ortus, occasus, conuersiones, eclipses, & similia: itemque nubes, pluuiæ, venti, fulgura, tonitrua, fulmina, & cætera id genus. Quibus in omnibus, vt aliqua vera, aut saltem probabilia docuit Epicurus, ita etiam multa falsa, & impia, primò non admittendo aliam naturam incorpoream, quam inane, secundò ponendo mundos infinitos, tertiò negando animarum hominum immortalitatē, quartò quod asseruerit non Deum, sed casum esse causam mundi, neque Dei causa, neque hominum, factum fuisse mundum, quintò quod generalem primum prouidentiam negauerit (tum quia existimarit illam cum diuina fælicitate, immortalitateque pugnare, tùm quia ipsi omnia visa sint in mundo, perinde ac si nulla foret prouidentia, contingere, sextò specialem, quæ ad homines spectat, quoniam capere non potuerit, qui posset Deus hominum causa vel ira tangi, vel gratia, qui illos cordi habere, & tot noxias ipsis animantes, aliasque res pati; qui esse bonus, ac iustus, & pati, vt bonis malè, malis bené sit, & sic de alijs pluribus, quæ præfatus author Gassendus refert, & refellit; Verum cum multi etiam ex illis erroribus non sint Soli Epicuro proprij, sed cum alijs Philosophis, Stoicis præsertim, communes, non est cur indè absolutè ab illustrium Philosophorum albo deleatur, sicut nec Stoici delentur; sed ab illis est purgandus, & in ijs dumtaxat, quæ vtiliter docuit, vsurpandus, & sequendus. Putant aliqui opinionem illius de Atomis, pro qua nuper librum satis accuratè conscripsit Ioannes Chrisostomus Megarenus Burgundus Philosophus, putant, inquam, aliqui talem opinionem esse aptissimam ad explicandum in Philosophicis naturam rarefactionis, & condensationis, quorum motuum explicatio celeberrimorum ingenia Philosophorum exercuit semper, ac modo exercet, legatur ad id Arriaga disput. 16. Phys. à num. 19. In Theologicis verò aliqui Theologi ad 2. 2. qu. 24. dicunt se facilè explicare charitatis augmentum, cuius explicatio in Aristotelis sententia vix perceptibilis esse videtur.

Tertia tandem, & vltima Philosophiæ Epicureæ pars, est Ethica, seu de moribus, quàm tanti fecit Epicurus, vt Physicam eatenus solùm esse curandam censuerit, quatenus vtilis quibusdam perturbationibus eximendis, ad ipsam proindè Moralem illiusue finem conducit. Hinc patet ipsum non aliò respectasse, quàm Socratem, dum Physicam ab vsque Thalete vt vidimus supra veluti per manus traditam repudians, legitur Philosophiam deuocasse è cælo, & in vrbibus collocasse, & in domos etiam introduxisse, & coegisse de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quærere, Cicero 5. Tusculan. Ad huius partis diuisionem quod attinet; quæ à Laertio de illa congesta sunt lib. 10. ea referri possunt ad quatuor capita. *Primum* effata quædam proponit, quandam veluti descriptionem sapientis continentia; vt potè ex quibus elicitur, qualis sapiens sit, qualiaue acturus, aut non acturus sit in vita. Nempè cum nomine sapientis Philosophi vulgò intelligant virum intelligentia, & virtute perfectum, qui nihil non rectè faciat, ac sit eorum omnium, quæ prudenter, iustè, decorè, in vita geruntur, quasi regula aut exemplar; attribuunt ipsi proinde varia, pro vt quisque ex suo, sectæque suæ genio, congruum atque decorum fingit. *Secundum* complectitur Epistolam ad Menęceum, ijs verbis, eoque tenore quo fuit ab Epicuro conscripta; in qua post egregiam ad continuo philosophandum adhortationem, edisseritur quænam sit legitima de Deo prænotio; itemque, vt mors nihil ad nos pertineat; vt à futuro pendendum non sit; vt sint cupiditatum agnoscendi termini, vt voluptas sit agendorum finis, & quidpiam sua natura bonum, quemadmodum dolor suapte natura malum; vt frugalitate, simplicique victu nihil sit præstabilius; vt voluptatis nomine intelligendum aliud

aliud nihil sit, quàm non dolere corpore, ac animo non perturbari; vt voluptas, ac virtus res sint inseparabiles, solaque virtus parere germanam voluptatem possit: vt felix sit, qui his est imbutus; vt liberum sit in homine arbitrium; & neque fatum admittendum sit, neque fortuna pro Dea habenda: vt mortali animali simile nihil habeat, qui in immortalium bonorum possessione æuum traducit.

Tertium caput complectitur per modum appendicis capita quædam præcipua, quæ, cum in Epistola visa sint omissa, ex alijs Epicuri operibus à Laertio supplentur; cuiusmodi est illud de diuinatione, quam Epicurus pernegauit; itemque illud de discrimine inter Epicurum, & Cyrenaicos, primùm in eo, quod Epicurus voluptatis nomine illam etiam donauit, quæ in statu est; Cyrenaici verò solam, quæ in motu; deinde in illo, quod Epicurus deteriores habuit animi dolores doloribus corporis; & voluptates etiam animi potiores voluptatibus corporis, Cyrenaici autem secùs. Illud rursus de demonstratione, quod voluptas sit finis; ac præterea illud quod virtutes non propter se, sed voluptatis causa expetantur, ne illud memorem, quo concludit, solam virtutem esse à voluptate inseparabilem; cætera, vt caduca, ab ipsa seiungi. Quartum denique caput continet libellum, cui titulus est, *Ratæ sententiæ*, quod is sit quasi fasciculus sententiarum Moralium, quę sunt Epicuro habitæ præcipuæ. Quorum omnium cùm tàm relatio, quàm legitima explicatio, atq; etiam vbi opus est refutatio habeatur apud præfatum authorem Petrum Gassendum; breuiter hic tantùm adnotabo, quid per voluptatem Epicurus intellexerit, quando in ea summum bonum, vltimumque proindè finem, ac felicitatem constituit; Si quidem istud ipsum est, ex quo varij quidem, sed potissimum Stoici ansam accepere, conflandi maximam aduersus Epicurum inuidiam. Scilicet quasi non de alia, quàm de obscæna voluptate fuisset Epicurus locutus, appositum fuit declamare, quàm indignum facinus foret tueri virtutem non ob seipsam, sed ob voluptatem huiuscemodi esse comparandam. Idcircò Cleanthes primus omnium eam confinxit tabulam, quam Cicero lib. 2. de fin. obijciens Torquato, ait: *Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem, pulcherrimo vestitu, & ornatu regali, in solio sedentem: Præsto esse virtutes, vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi vt voluptati ministrarent, & eam tantùm ad aurem admonerent (si modo id pictura intelligi posset) vt caueret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quicquam, ex quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem virtutes sic natæ sumus, vt tibi seruiremus; aliud negotij nihil habemus.* Describitur etiam eadem tabula apud Diuum Augustinum lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 20. *Solent*, inquit, *Philosophi qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam Philosophis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam per seipsam putant appetendam, istas propter ipsam; Tabulam quamdam verbis pingere, vbi voluptatem in sella regali, quasi delicata quadam regina considea, eique virtutes famulæ subijciantur, obseruantes eius nutum vt faciant quod illa imperauerit. Quæ prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & salua sit. Iustitiæ iubeat, vt præstet beneficia quæ potest ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias: nulli faciat iniuriam ne offensis legibus voluptas secura viuere non possit. Fortitudini iubeat, vt si dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam, id est, voluptatem fortiter in animi cogitatione, vt per pristinarum deliciarum suarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantùm capiat alimentorum; & si quæ delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas, quam etiam in cor-*

corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur.

Nihilominus tamen longè probabilius est, ex illis quæ copiosè præfatus author adducir, Intellectam Epicuro voluptatem non esse corpoream, obscœnamque illam, quàm & Cleanthis tabula, & diuersa alia quorumdam testimonia supponunt; sed esse aliam longè puriorem Corporis nempè indolentiam, & animi Tranquillitatem, ac istam quidem maximè; adeo vt incongruum nihil sit, quærere virtutem ob eiusmodi voluptatem; quippe cùm in ipsa sit felicitas seu beata vita constituta; ac ipse Epicurus proindè aliud nihil velit, quã, quod ipsimet Stoici, dum *virtutem sufficere ad benè beateque viuendum* contendunt. Et certè, vel hoc vnum effatum arguit satis Stoicos quoque, vtcumque variè tergiuetsentur, virtutem ad aliud, hoc est, *ad benè beatèque viuendum* referre; adeo vt beata quidem vita expetatur propter se; at virtus non tàm propter se, quam propter ipsam expetatur. Nam quod Seneca de vita beata cap.4. cum obijci dixit; *sed tu quoque virtutem non ob aliud colis, quam quia aliquam ex illa speras voluptatem*; quod, inquam, respondet Seneca voluptatem accessionem solum esse, seu quippiam quasi ex accidenti virtuti superueniens, eo modo, quo herbula florens internascitur segeti, populare sanè, captiosumque est. Nimirum ipsa quidem virtus comparanda est segeti; at vt seges non propter seipsam, neque ob subnascentem illam herbulam quęritur, sed ob vsum vitæ, qui ex ea percipi speratur; ita virtus non propter se, neque ob quidpiam leuiculum, quod potest interexseri, sed omnino ob beatam vitam, seu expositam illam voluptatem. Vnde &, cum ista illicò subiungit Seneca cap.9. *Erras, cum interrogas, quid sit illud, propter quod virtutem petam; quæris enim aliquid supra summum. Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam. Nihil enim est melius; ipsa pretium sui est*: Perspicuum est certè iuremerito interrogari, neque aliquid quæri supra summum, cùm supra virtutem quidpiam quæritur. Ac verum est quidem ex omnibus medijs, quæ vitam beatam faciunt, tuenturque, ipsam virtutem esse summum, neque esse ex medijs aliquod quærendum superius, aut melius; sed interim tamen ipsa beata vita ex eo habenda superior est, quod virtus ad ipsam vt ad suum finem referatur. Sic Aristoteles 1. Ethic. 10. de fęlicitate loquens, quam, cætera inter, possit virtus parere, ait, *Virtutis præmium, atque finis optimum quidpiam, diuinumque, & beatum esse apparet*: sic distinguit esse quædam, quæ propter se, non propter aliud expetatur, veluti beatitudinem, quędam, quæ propter aliud, non propter se, veluti diuitias; quędam, quæ & propter se, & propter aliud veluti virtutem; qua etiam distinctione expetendorum prius vsi fuerãt Plato 2. de republica & Architas.

CAPVT XVI.

Vtrum reiectis omnibus Philosophorum Gentilium disciplinis, consultius esset in Academijs Catholicis nouam introducere Philosophiam ad vsum sacræ doctrinæ.

Ratio dubitandi inter alias posset desumi non solum ex varijs erroribus, quibus supra vidimus fuisse aspersam Philosophorum Gentilium doctrinam; sed ex innumeris etiam antiquorum Patrum sententijs, quibus eam onerarunt, & à Theologia segregandam putarunt; præsertim verò Aristotelicã, post Arij tempora; cum enim ille, quantus ad impietatem, & Ecclesiæ perniciẽ extiterit, tantùm artificiosis Aristotelicæ Philosophiæ molitionibus præstiterit, vt expresse testantur Sozomenus lib.1. hist. cap.15. & Socrates lib.1. cap.5. lib.2. cap. 35. lib.5. cap.13. hinc factum est, vt apud primos illos defensores fidei male deinceps audire cœperit vniuersa Aristotelis Philosophia, tanquàm Christo inuisa, & inimica, atque ab

ab hoste illius Diabolo profecta. Primum Basilius lib. 1. aduersus Eunomiū pugnans de ingeniti appellatione, cùm hanc iste secundum priuationē dici negaret, quod priuatio posterior sit habitu: sic in eum inuehitur: *Hæc illum*, inquit Basilius, *ex mundi sapientia garrire, à qua in præceps abreptus, hanc sermonis nouitatem ingressus est, non est difficile monstrare. Aristotelis enim sunt, vt qui legerunt testari possent, sermones illi de habitu & priuatione, in libro eius, qui inscribitur Categoriarum: vbi posteriores esse priuationes habitibus docet.*

Sequitur Gregorius Nazianzenus orat. 26. qui *in Ecclesiam irrepsisse dolet captiones Sophisticas, ac prauum artificium Aristotelea artis, & huius generis alia, velut Aegyptiacas quasdam plagas*. Quæ illius querimonia crebrior, ac vehementior est in ijs orationibus, quas contra Eunomianos scripsit; nec non in Carmine Iambico de vita sua p. 10. Gregorius item Nyssenus frequentissimè sophisticam illam astutiam Eunomio exprobrat, & à se negligi, damnarique asserit, vt initio lib. 2. contra Eunom. Nec dissimili mente Cyrillus Alexandrinus lib. 11. thesauri, eosdem deridet hæreticos, *qui nihil aliud quam Aristotelem ructant: & istis potius disciplinis, quàm scripturarum scientia se se venditant.*

Quod etiam ante Arianorum tempora ex Latinis Patribus docuerant Iustinus Martyr, & Tertullianus; quorum primus contra Aristotelem peculiariter scripsit, illiusque errores etiam in Philosophia multos peculiari libello commemorat; secundus verò lib. de præscriptionibus cap. 7. *Inferunt*, inquit loquendo de hæreticis, *Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententijs coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, nequid omnino tractauerit*. Tum citato illo Apostoli ad Colossenses cap. 2. de cauenda Philosophia; *fuerat Athenis*, ait, *& istam sapientiam humanam affectatricem, & interpolatricem veritatis de congressibus nouerat*. Ac demum: *Quid ergo Athenis*, inquit, *& Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de portico Salomonis: qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt*. Illud quoque Faustini veteris Scriptoris aduersus Arianos tom. 4. Bibl. PP. contortum & efficax: *Vbi nunc sunt impia illa vestra sophismata, quæ Aristotelis episcopi vestri magisterio didicistis?* Eodem spectant, quod Ambrosius lib. 1. de fide cap. 3. & in Psalm. 118. Augustinus serm. 87. de tempore; Anselmus lib. de incarnat. cap. 2. alijque plures docent dialecticæ artis cauendas esse præstigias, neque cùm Christiana professione miscendas; nec non quod Philippo Augusto Rege Francorum habitum est Concilium anno Domini 1204. vt scribit Rigordus in lib. de Gestis Philippi; cuius decreto combusti sunt libri Aristotelici.

In diebus, inquit præfatus author, *illis legebantur Parisijs libelli quidam ab Aristotele, vt dicebantur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati nouo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati; qui quoniam non solùm prædictæ hæresi sententijs subtilibus occasionem præbebant, immo & alijs nondū inuentis præbere poterant, iussi sunt omnes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem concilio, ne quis eos de cætero scribere, legere præsumeret, vel quocūque modo habere*. Hæreticus porro, de quo hic loquitur, fuit Almaricus, *qui cum in arte Logica peritus esset, & scholas de arte illa, & de alijs artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam: semper tamen suum per se modum docendi, & discendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quasi sectum, & ab alijs separatum*. Vnde & in varios errores, atque hæreses incurrit: ob quas tum post obitum damnatus, & excommunicatus est, atque ossa illius effossa proiectaque sunt: tum eius sectæ

ctæ complures igne cremati.

Verum cum hęc omnia, aliaque similia Sanctorum Patrum dicta non tàm de Philosophia absolutè, siue Platonica, siue Aristotelica, siue Stoica procedant, quam de illa secundum malum hęreticorum, aut aliorum infidelium vsum, vt satis patet tum ex his quæ sectione prima huius libri diximus, tùm ex his quæ libro sequēti sectione septima dicemus, consultius videtur propter rationes etiā ibidem dictas, nec non supra cap. 10. huius sectionis, nouam non esse philosophiam scribendam, qua vterentur academiæ Catholicæ, sed in illis ad vsum sacræ doctrinæ, Philosophorum antiquorum Philosophiam prælegi debere, resecatis ab illa prius omnibus erroribus, supernaturalibus fidei nostræ mysterijs vtcumque repugnantibus. Nec enim sine diuina prouidentia fortasse factum est, vt plures antiquorum Philosophorum libri, quibus multum Ethnici omnes semper tribuerunt, conseruarentur; tùm vt præter nostræ fidei propria prędidia, etiam Philosophorum authoritate gentium damnarentur errores, & veritas retineretur; tùm etiam vt indè clarius appareret doctrinam fidei ita esse supra naturam, vt tamen non sit contra illam; in qua reiectis dumtaxat erroribus, approbantur indiscriminatim omnia, quæ antiqui vniuscuiusque sectæ Philosophi rectæ rationi consona docuerunt; adeo vt, si natura fundamentum, ac rudimentum est gratiæ, rectè etiam philosophia suis erroribus purgata dici possit adumbratio veræ religionis. Sed de his vide Guillelmum Parisiensem parte 1. de vniuer. cap. 2. Augustinum Valerium libris duobus de recta ratione Philosophandi, & Danielem Hofmanū de vsu Philosophiæ in Theologia, nec non Ludouicum Carbo libro quarto introductionis in Philosophiam, vbi capite tertio tradit aliqua pręcepta pro homine Christiano Philosophiam profitente.

Hoc tamen non impedit, quin esset valde laudabile, si ad vsum sacræ doctrinæ Philosophia è Sanctorum Patrū libris accuratè colligeretur: Etsi enim ex dictis supra suo loco, in rebus purè philosophicis, ac naturalibus, vnanimis etiam Sanctorum Patrum consensus nō sit plus momenti ad probabilitatem, quā ratio, cui innititur; negari tamen non potest quin multi etiam in philosophicis excelluerint, sapientięque humanæ monstra, & ingeniorum portenta fuerint. Qualis enim Philosophus fuit S. Basilius? quale ingenium Augustinus? quantæ sapientiæ Athanasius, vterque Cyrillus, Nazianzenus, Chrisostomus, Ambrosius, Hieronymus, alijque plures: Nonne Seuerinus Boetius vir clarissimus conscripsit libros ad Logicam spectantes quasi triginta, de vnitate, & vno librum vnum, de Arithmetica libros duos, in Geometriam Euclidis libros tres, de Musica libros quinque? Nonne S. Augustinus (cui hactenus quidem nullum ingenium adeò in omnibus disciplinis vniuersale promptumque extitit) scripsit de dialectica, de categorijs, contra Academicos de immortalitate animæ, de quantitate animæ, de natura boni contra Manichęos, de Stoicorum, & Epicureorum sectis, de anima, & eius origine, alijsque similibus, in quibus se summum Philosophum probauit? Nōne S. Ioannes Damascenus inter cęteros de Logica librum vnum, & de Physica conscripsit? Nonne plures alij S. Patres in suis libris, & maximè in elucidatione sacrarum Scripturarum non incidenter, sed ex professo quandoque contra Philosophos argumētantur in rebus quæ ad ipsos spectabant? Cur ergò ex his philosophia vere Christiana colligi non posset publice etiam tradenda, quęque cęteris paribus maius authoritatis pondus habere deberet, quam cuiusuis alterius Philosophi, cùm primò præponderaret Sanctorum Patrum pietas, quæ ad illuminandum intellectum conducit, secundò fidei lumen, quo semel supposito, plures res multo subtilius, & accuratius perpendere, ac de illis iudicare, quam puri Philosophi potuerūt.

Vide

Vide Campanella, de Philosophia Gent. non retinenda.

CAPVT XVII.

Quanam ex Philosophicis antiquorum disciplinis sit magis apta ad vsum sacræ doctrinæ.

PRo Philosophia Platonica affirmatiuam partem tenent aliqui, quibus videtur fauere, quod primis Ecclesiæ seculis omnes ferè Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini non solum Philosophiã Platonicam Aristotelicæ pretulerint, sed etiam istam acriter reprehenderint, ac Aristoteli se summè infensos exhibuerint. Pro Stoica pugnant alij; cum enim recta morum doctrina, & institutio magis ad finem sacræ doctrinæ conducat, quàm naturalis aut contemplans rerum cognitio, preferenda videtur illa philosophia, quæ rectæ morum institutioni potissimum incumbit, qualem fuisse Stoicam superius diximus. Sic D. Hieronymus in cap. 11. Isaiæ affirmat Philosophos Stoicos Christiano dogmati in plerisque concordare; & de Sancto Carolo Borromeo legimus, cum sepius esse fassum, se Epicteti Philosophi Stoici libris impulsum fuisse ad humanarum rerum contemptũ, diuinarumque amorem. Tandem alij solum Aristotelem pro singulari sapientiæ humanæ magistro habentes, vnius etiam Aristotelis doctrinam precipuam auctoritatem in academijs Catholicis obtinere debere existimarunt.

Ad conciliandas omnes istas sententias; quodque odiosum sit, vt benè aduertit Viues in cap. 12. lib. 8. de Ciuitate Dei, de Platonis & Aristotelis comparatione differere; vnamquamque Philosophiam ex supradictis suam mereri laudem dicendum est; fortasseque valdeè re foret, si simul cum Aristotelica legerẽtur omnes aliæ Philosophiæ Platonicorum, Stoicorum, Pitagoreorum, aliorumque insignium Philosophorum, vel etiam, demptis semper illis, quæ veritatibus fidei repugnant, si omnes aliæ eorum doctrinæ illi consonæ in vnum colligerentur; sic Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ait, *Non particularis secta est eligenda, sed quidquid omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici, hoc totum selectam dico Philosophiam*; Sic D. Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 8. cap. 4. ac libro super Genesim ad litteram cap. 18. & 19. probat ex omnibus omnium nationum Philosophis Theologo eligenda esse illa, quæ bene scripserint. Sic denique Diuus Thomas in quatuor libris contra Gentiles ad illustranda fidei nostræ mysteria, non solius Aristotelis, sed aliorum etiam Philosophorum testimonia profert.

Et certè cum quicumque Philosophorum duces, eorumque sectæ habeãt aliquid peculiare, in quo excellant; aut saltem negari non possit, quin multa interdum vera, ac probabilia doceant; an non æquum est, vt ex illis intellectus noster bonum suum, quod est etiam veritas probabilis, hauriat; philosophiaque ipsa tanquam fulgentibus gemmis, astrisue collustretur? Attamen, quia vt vidimus supra vnus Aristoteles, non solum faciliori, ac clariori methodo, sed scriptorum etiam, tàm in Theologicis, quàm in Moralibus & Physicis multitudine, ac prestantia omnes alios superasse videtur; licet Ecclesia haud reprobet ceteras Philosophorum sectas in ijs, quæ non sentiunt contra fidem; ex eius tamen vsu, tacitaque approbatione rectè factum est, vt iam sola Aristotelis Philosophia in Scholis Catholicorum, & academijs prelegatur. Videatur ad id Epistola Francisci Patritij ad Summum Pontificem Gregorium XIV. Piccolominus cap. 1. introduct. ad scient. de natur. vbi ad presens institutum ita loquitur: *Insuper quoniam Plato & Aristoteles humanæ sapientiæ sunt vberrimi fontes, & consensu maiorum nostrorum ceteris præstant, ideo tenentur sapientiæ studiosi ambos magnifacere, neminem despicere, ita tamen vt nobis suadeamus, scientiarum*

tiarum gradus, & ordines ex Aristotele esse hauriendos; mox verò e Platone eliciendos spiritus, & ornamenta quædam, per quæ contracti scientiarum habitus, viuidiores, splendidioresque reddantur. Præclarè etiam Iustus Lipsius in man. ad Stoicam Philosophiam lib. 1. dissert. 4. scribit, in Theologicis, in Ethicis, in ipsis physicis, quam multa preclara, & rara Pythagoreos, aut Stoicos dixisse, vt vidimus supra.

CAPVT XVIII.

Aperiuntur fontes, ex quibus antiqui Philosophi Gentiles aliqualem supernaturalium fidei nostræ mysteriorum cognitionem haurire potuerint.

Cum supernaturalia fidei nostræ mysteria sint lumini naturali omnino imperuia; & tamen non obscurè iterdum de illis mentio fieri videatur, à Philosophorum Gentilium libris, qui lumine fidei destituti fuerunt, hic breuiter examinandum duxi, quibus vijs, aut fontibus talis mysteriorum fidei cognitio ad illos peruenire, aut deriuari potuerit. Primò ex Oraculis ipsis Gentium. Secundò ex libris Sibyllarum. Tertiò ex consuetudine cum Hebreis. Quartò ex diuinatum scripturarum lectione.

Igitur quod pertinet ad primum; in Oraculis, & Simulacris Gentium, qui loquebantur demones fuisse colligitur ex sacra Scriptura in Psalm. 95. *Omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Vnde, sicut viuente Domino, multi dæmones coacti fatebantur ipsum esse Dei filium Matth. cap. 8. v. 29. Sic interdum qui in Simulacris illis lapideis, ligneis, aureis & argenteis respondebant, multa etiam de religionis nostræ mysterijs, longè ante predicere potuerunt, vel ex ipsis Prophetarum oraculis à dæmonibus non ignoratis; vel etiã ipsis Sanctis Angelis, quod prius ab omnipotente Deo immediatè didicerant, eiusdem iussu, sibi reuelantibus, reuelataque fateri cogentibus; vt docet D. Augustinus de Genes. ad litteram, & libro de diuinatione Dæmonum cap. 6. vbi rectè notat non esse indignanter accipiendum, *Quod aliqua etiam talia dæmones audiant & prædicant, quasi aliquid indignum sit, vt quod ideo dicitur vt hominibus innotescat, hoc non solum boni, verum etiam mali non taceant: cum in ipsis hominibus, etiam vita bona præcepta videamus pariter à iustis peruersisque cantari. Nec obesse aliquid, imo etiam prodesse ad maiorem notitiam, famamque veritatis, cùm de illa etiam hi quicquid nouerunt dicunt, qui ei peruersis moribus cõtradicunt.*

Sed aliqua huius rei proferamus exempla. De Christi dignitate, diuinaque natura oraculum habemus Apollinis Delphici, quod refert Nicephorus lib. 1. cap. 17. Suidas in Augusto, & Baronius in apparatu ad Annales Ecclesiasticos. Cum enim Augustus, Apollinis studiosissimus, Delphum se contulisset illum consulendi gratia, eique sacrificasset Hecatombem; hoc tandem accepit responsum

Me puer Hebræus, Diuos, Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Quamobrem, reuersus Romam Augustus, aram extruxit in Capitolio cum hac inscriptione Ara Primogeniti Dei: qui putatur esse locus in Capitolio, vbi nobilissimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini: eo vero prostrato successit Basilica à Constantino magno vt dicunt erecta in honorem Dei Genitricis Mariæ, & ob allatam rationem vocata Ara-Cœli; vel quod alij aiunt, Dei Genitricem Mariam infantem in vlnis habentem, sublimem in aëre ab eodem Augusto illic esse conspectam.

Refert quoque Cedrenus, & ex ipso Thomas Bosius lib. 9. de signis Ecclesię cap. 6. ab Argonautis ædificatum fuisse tem-

templum omnium nobilissimum, quod Plinius lib. 36. cap. 1. describit veluti maximè admirandum; consultumque ab illis oraculum, cui consecrari deberet, carmina hęc fudisse

Assidua virtute decus sublime parate.
Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat
Cælesti residens solio, colite, atque timete
Illius æternum atque ante omnia sæcula verbum
Nescia virgo viri nostras emittet in auras.
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet diuino munere mundum.
Huius, cui Mariæ nomen, Sanctissima mater
Agnoscet templum proprium sibi rite dicatum.

Quod Oraculi responsum tanti fecerunt antiquæ gentes, vt illud æreis litteris in marmore impressis consignatum æternæ memoriæ commendarint, ac supra ianuæ frontem cunctis legendum proposuerint. Sed populi sinceræ veritatis ignari, à Dęmone seducti fabulosæ Deorum matri Rhææ illud dicarunt tēplum, quod deinde Imperante Zenone ad cultum Beatissimæ Virginis Mariæ est traductum. Rursus Iason Argonautarum princeps, cum templum primum in Arce Athenis ædificasset, Apollinemque Delphicum consuluisset, cuius futura esset ædes illa, & cui dedicanda in posterum. Tunc ille Deo volente & cogente sic respondit: *Quæcumque ad honestatem, virtutemque vos incitant, facite. Ego autem tres cupio, Deum vnum regnantem apud superos, cuius verbum ab interitu alienum, conceptū in simplici virgine, quod tanquàm ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum Patri. Huius erit hæc ædes. Maria autem erit nomen eius*, hęc oraculum respondit, vt Procopius Martyr Diocletiano imperante pro Christi cultu interfectus recitat ad confundendos Gentiles, apud Simeonem Metaphrastem tomo 4. Surij Iulij 8. De fidei propagatione, refert etiam Lampridius in Alexandro, cognitam fuisse ex oraculis; Deorum templa deserenda, Romanos omnes, & Imperatores, Christianos futuros. Plura alia vide tomo 1. Biblioth. SS. Patr. impress. Colon.

De Trinitate duo etiam inter alia habemus insignia oracula: alterum Serapidis; Apollinis alterum. Serapis consulenti Tullo, qui Troiano bello regnabat in Aegypto, quis se beatior esset, his duobus carminibus respondit

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus istis
Additur: æquæua hæc sunt, & tendentia in vnum.

Habetur apud Ludouicum Viues in lib. 11. de ciuitate Dei.

Apollo similiter interrogatus de vet religione sequens dedit responsum, p vt refertur ab Augustino Steucho Eugubino lib. 2. de perenni Philosophia. cap. vltimo.

Ne me vtinam supremum infelix ips Sacerdos
Sciscitaris de Sancto ac Diuino Genitore
Et sobole chara, rebus magni indupe-rantis,
Et flatu, qui mundum astrictum continet omnem,
Montes, tellurem, fluuios, mare, tartara, & ignem
Aëraque; heu templis hic me discedere ab istis
Cogit: linquetur quo edebam Oracula, limen.

Quare cùm hęc interdum, aliaque similia, sic disponente Deo, loquerentur oracula; Philosophi Gentiles, qui eis fidem habebant, primùm indè habere potuerunt aliqualem mysteriorum fidei nostræ cognitionem, quamuis illam postea multis erroribus admiscuerint.

Secundò haurire potuerunt Philosophi Gentiles hanc cognitionem ex libris Sibyllarum, in quibus vt capite subsequenti videbimus, exactissima omnium

nium ferè mysteriorũ nostræ fidei mentio habetur. Legisse enim veteres Philosophos scripta Sibyllarum, quæ vulgatissima erant, quis dubitet? Certè Aristoteles sect.30. Problematum, quærit, vnde habere potuerint vim diuinandi; cognitionem igitur habuit Sibyllarum, quodque diuino afflatæ spiritu loquerentur. Plato quoque, authore S.Iustino in adhortatione ad Gentes, miratus est carmina Sibyllæ Cumeæ, eiusque mentionem fecit in Phędone.

Tertiò veteres Philosophi hanc eãdem mysteriorum fidei notitiam comparare potuerunt verbo, & traditione ab Hebręis, quibus eos familiariter vsos fuisse, satis ostendunt tùm locus vbi hęc didicerunt, tùm etiã præceptores à quibus didicerunt. Locus enim vbi pro maiori parte didicerunt fuit Aegyptus, vt testatur Theodoretus lib.1. & 2. de curandis Gręcorum affectionibus, vbi sic loquitur *Pherecydem Syrum, Samium Pithagoram, Thaletem Milesium, Platonem denique ipsum non piguit veritatis causa Aegyptum, Thebasque Aegyptias collustrare.* Orphęum quoque, qui longè antè omnes istos fuit; floruit enim ex communi sententia tempore Iudicum; & à quo, vt testatur Proclus super Timæum, omnis Pythagoricorum & Platonicorum Theologia duxit originem; idem Proclus est author didicisse, quæ deinde cęteros docuit de Deo, ab Aegyptijs; & in Aegypto diu versatum esse scribit Iustinus in Apologetico; sed quid alienis indigemus testibus dum ipse de seipso in Argonautica sic testatur; *Aegyptique sacra omni sum regione vagatus*

Illustrem Memphim, sacrasque accessimus vrbes.

At in Aegypto frequentes Hebræos fuisse nemini dubium esse potest, tum quia Iudęi non multum distabant ab illa, tum quia Hebręorũ Patriarchæ ibidem vixerant. Ibi enim fuerat Abraham peregrinus: ibi Ioseph, quem *constituit Pharao Principem domus suæ, vt erudiret principes eius sicut seipsum, & senes eius prudentiam doceret*: Ibi Iacob cum filijs, & cęteri Patriarchæ plenissimi Deo: ibi denique Hebręi omnes, per annos ferme quadringentos commorati sunt: à quibus didicerũt Aegyptij de vero Deo, quę deinde Philosophi Gentibus impertirent; vndè iam citatus Theodoretus, vt alios omittam, postquam attulisset Porphyrij testimonium asserentis, quidquid veri de Deo cognoscitur, id omne deberi non Græcis, sed Barbaris, quod multo prius Plato docuerat in Epinomide, subdit eodem lib.1. *Aegyptios, Phœnices, & Chaldæos, si quid veritatis didicerunt, ab Hebræis præceptoribus didicisse.*

Quod insuper plures ex antiquis Philosophis aliquos pro magistris Hebręos habuerint, non est dubitandi locus. Nam Iosephus in lib. contra Appionem, & Alexand. in lib. de Symbolis Pythagoricis scribunt Pythagoram discipulum fuisse cuiusdam Nasarei. Immo S. Ambrosius vult fuisse Hebręum. Clemens Alexandrinus in lib. Stromatum, & Theodoretus libro illo 1. de curandis Gręcor. affectionibus, asserunt fuisse circumcisum. Et ipsemet Plato Pythagoram nunc Syrum, nunc Phenicem appellat. De Platone quoque, cum varias scripturæ veteris sentẽtias in suis scriptis vsurpet, probabile putat D.Augustinus lib.8. de ciuitate Dei cap. 11. aut Hebręorũ litteras didicisse, aut certe vsum præceptore, & interprete Hebræo, eo forte tempore quo eruditionis causa se contulit in Aegyptum, vbi tredecim annos Heliopoli cum Sacerdotibus fuit. Etsi autem de Aristotele non legatur, in Aegypto fuisse, eum tamen etiam vsum fuisse Hebræis præceptoribus docet Clearchus nobilis Peripateticus ex Iosepho lib.1. contra Appionẽ, & Eusebio lib. 9. de pręparat. Euangel. cap.3. Inducit ergò Clearchus lib.1. de somno Aristotelem narrantem, se cum Iudęo quodam viro sapiente collocutũ, multoque plura tam de Deo, quàm de naturalibus rebus in eo sermone didicisse, quam docuisse.

Quarto denique, Philosophos Gentiles diuinas Scripturas legisse, & ex earum fontibus mysteriorum fidei cognitionem, aliarumque rerum hausisse docent communiter Patres. De Platone asserit D. Thomas 1. p. q. 66. artic. 1. ad 5. quęst. 74. artic. 3. ad 4. in 1. sentent. distinct. 3. quęst. 1. artic. 4. ad 1. de Potentia q. 4. artic. 1. ad 2. illum vidisse librum Genesis, & exposuisse aliquid eius. Quod si quis dicat, nec illius, nec aliorum antiquiorum Philosophorum ætate nondum à septuaginta duobus interpretibus vetus testamentũ in Gręcam linguam fuisse translatum, vt potuerit ab ipso, & cęteris legi. Respondeo primò facile per interpretem instrui potuisse, quid in nostris Scripturis contineretur; nondum illis in Gręcam linguam translatis. Secundò respondeo valde probabile esse libros Moysis etiam longe ante tempora Ptolomæi Philadelphi in Gręcam linguam fuisse conuersos, vt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. & Eusebius in libris de pręparatione Euangelica 11. & 13. contestantur, vbi authorem laudant Aristobulum Iudęum cognomento dictum Peripateticum, ex libro quem scripsit ad Ptolemeum Philomiterа, cuius verba hęc sunt: *Apertissimum est leges & disciplinam nostrã diligenter fuisse Platonem secutum. Non enim latet, si quis attentius eum legat, perlectam ab eo, & quidem diligenter scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrij Phalerei tempora; imo verò ante Alexandrum & Persarum Imperium quinque Moysis libros in Græcam linguam, quamuis non commodè traductos fuisse. Tota verò scriptura nostra Demetrij Phalerei opera, & Philadelphi Regis tui progenitoris iussu.* Sed de his redibit sermo sequenti libro agendo de varijs sacrorum librorum translationibus. Vt autem Philosophi veteres multa acceperunt à Moyse, & Prophetis, ita recentiores ab Apostolis, & Euangelistis. Huiusmodi sine dubio fuit is, cuius meminit S. Augustinus lib. 7. confess. cap. 9. & lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 29. qui totum fere caput primum Euangelij S. Ioannis in suos transtulit libros. Hunc fuisse Amelium Plotini discipulum, testatur S. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum; & certe rem ita se habere facile cognoscet, qui verba leget ipsius Amelij, quæ refert Eugubinus lib. 1. cap. 31. de perenni Philosophia, & Viues in locum illum citatum D. Augustini de ciuitate Dei; sic enim habet: *Atque hoc erat Verbum, per quod semper existens, ea, quæ sunt, facta fuerunt, sicut Heraclitus censet, & per Iouem; quod verbum Barbarus ille* (sic B. Ioannem appellat) *existimat in ordine, & confusione principium stans apud Deum fuisse, & Deum esse, per quem in vniuersum cuncta sunt facta, in quo quod factum sit, fuerit viuens, & vita, & ens; tum in corpora lapsum, carnemque indutum, hominem apparuisse, ostendens etiam tunc naturæ suæ magnitudinem.* Hæc Amelius.

CAPVT XIX.

De Sibyllis, librorumque Sibyllinorum authoritate.

CVm Sibyllas eum locum habere voluerit Deus apud Gentiles, inquit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, quem Prophetæ habuerũt apud Iudæos; quare D. Paulus Gentiles exhortabatur ad lectionem Sibyllarum, vt refert idem Clemens eodem loco, non quidem in epistolis, sed in concionibus ad populos habitis, vt bene notauit Cardinalis Baronius in suo apparatu ad annales Ecclesiasticos; cùm, inquam, res ita se habeat, quodque omnes fere antiqui Patres Sibyllarum authoritate, & testimonijs vsi sint aduersus Gentiles ad probanda supernaturalia fidei nostræ mysteria; adeò vt ex Origene lib. 5. contra Celsum, Christiani passim Sibyllistæ nuncuparentur; post locum Theologicum ab authoritate Philosophorum antiquorum desumptam, opere pretium duxi aliqua breuiter de Sibyllis, earumque

que libris attingere, ad completam locorum Theologicorum notitiam, ex quibus vtcumque probari, confirmari, vel illustrari possunt augustissima Sanctissimæ fidei nostrę mysteria & arcana, pro vt ipsamet Ecclesia illis vtitur, dum alludens ad Sibyllam Erythræam quæ de aduentu Christi ad iudicium carmine mirabili vaticinata est, ait: *Dies iræ, dies illa; Soluet seclum in fauilla; Teste Dauid cum Sibylla*, vbi si non ęquari, saltem coniungi Dauid Vati, Sibyllæ videtur oraculum.

Primum igitur, aliquas fœminas Sibyllas dictas extitisse, librosque magna olim in veneratione habitos composuisse, patet ex innumeris omnium penè antiquorum, Scriptorum testimonijs, ac monumentis Varronis in lib. rerum diuinarum ad Cæsarem, Chrysippi lib. de diuinatione, Plinij lib. 7. cap. 35. Solini, Aeliani, Gellij, Dionysij Halicarnassei lib. 4. Histor. Roman. Taciti lib. 5. Annalium, Suetonij in Octauiano Augusto, & aliorum plurium, quorum meminit Onuphrius in lib. fastor. Ex veteribus autem, ac Sanctis Ecclesiæ Patribus specialem Sibyllarum mentionem faciunt Clemẽs Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Arnobius in libris contra Gentiles, Lactantius Firmianus passim in suis operibus, Theophylus Antiochenus ad Autolicum lib. 2. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Sanctus Augustinus passim in libris de ciuitate Dei presertim 10. & 18. & in oratione contra Iudæos, & Paganos, D. Thomas opusc. 29. & lib. 2. de regim. principum. Putant aliqui fuisse sic appellatas à voce Hebraica *Kibal* recepit, acceptauit, vnde *Kabala* significat doctrinam cælitus traditam: melius tamen alij cum D. Hieronymo loco citato contra Iouinianum existimant fuisse dictas Sibyllas, quasi *Sioboulas* ab enuntiandis Deorum consilijs Aeolicè enim *Sios* vocatur Deus, & *Bouli* consilium.

Circa numerum, earumque nomina, quando, & vbi fuerint, omissis varijs sententijs quas collegit Ludouicus Viues in cap. 23. lib. 18. Augustini de Ciuitate Dei, communior est opinio Varronis in lib. rerum diuinarum, Lactantij lib. 1. de falsa religione cap. 6. Suidæ verbo Sibyllæ, & aliorum, fuisse decem, videlicet *Persicam*, ab alijs Chaldæam, ab alijs Hebræam nuncupatam, cui proprium nomen Sambetha, Pater Berossus, mater Erymantha, locus verò natiuitatis Noë quæ vrbs est prope mare rubrum. *Lybicam*; *Delphicam*, quod Delphis nata, alias Tenim, & Daphnen Tiresiæ filiam; *Cumæam*, alias Italicam & Cimeriam, ex Cimerio Campaniæ vicino Cumis oppido; *Erythræam*, *Samiam*, cuius proprium nomen fuisse dicunt Pytho. *Cumanam* nomine Amaltheam, quæ alijs Herophile, vel Demophile nominatur; narrantq; de illa nouem libros, vel secũdum alios tres tantùm attulisse ad Regem Tarquinium Priscum secundũ aliquos, vel secundum alios ad Regem Tarquinium Superbum, ac pro eis trecentos Philippæos postulasse, regeque aspernante pretij magnitudinem in conspectu eius tres libros exussisse, & pro reliquis idem pretiũ postulasse; cumque à rege veluti delira multo magis irrideretur, tres præterea alios combusisse, nihiloque minus pretij pro tribus petijsse, regemque mulieris constantia commotum tres illos libros Philippeis trecentis comparasse, iussisseque in Capitolio religiosissimè asseruari, & de rebus dubijs à Quindecim viris velut oraculum consuli. *Hellesponticam* in agro Troiano natam vico Marmisso circa oppidum Gergetium; *Phrygiam*, quod Ancyræ vaticinata sit, & tandem *Tiburtinam*, nomine Albuneam, quæ olim Tiburi culta est vt Dea, iuxta ripas amnis Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inuentum esse dicitur, tenens in manu librum.

Quod pertinet modo ad Sibyllarum, librorumque Sibyllinorum authoritatẽ, maximam olim fuisse satis patet ex hoc, quod non solum pro grauioribus reipublicæ negotijs consulerentur, vt è quibus prodigiorum & euentuum significatio-

tiones, ac velut Dei voluntas exuebatur; sed etiam quod hoc munus consulendi libros illos Sacros pertinceret ad Duumuiros Sacros, quibus post eiectionem Regum, ciuitas ex illustrissimis delectis custodiendos tradiderat, adempta omnibus potestate sine ipsis eos videndi, aut consulendi, vt refert Dionysius Halicarnassæus lib.4. Historiæ. Cui muneri pro Duumuiris Decemuiri postea præfecti sunt: isque numerus vsque ad tempora Sillæ permansit, qui in sua dictatura Quindecimuiros constituit sacris faciũdis, vt notat Onuphrius in lib.Fast.

Ad horum quoque librorum dignitatem, & authoritatem commendandam valdè conducit, quod cùm tempore Tarquinij Superbi Romæ concremato capitolio, Olympiade 153. vt narrat Dionysius Halicarnass. lib. 4. Historiæ Romanæ, etiam huiusmodi libri concremati fuissent, restituto deinde Capitolio, post septem annos ab Erythris publica legatione conquisiti, & reportati fuerunt, ac præuio diligentissimo examine, reiectis spurijs, probati, recogniti, atque purgati, tutiori loco reconditi. Quod idem, quo ad examen contigisse refert Suetonius tempore Octauiani Augusti, à quo tradit S. Lucas Euangelista in cap. 2. *Exijsse Edictum vt describeretur vniuersus orbis*. Cum enim ex libris ad Romanam Religionem pertinentibus, qui nullis vel parum idoneis authoribus vulgò ferebantur, supra duo millia vndique contracta cremauisset, solos Sibyllarum libros ab incendio reseruauit, ex his quoque delectu habito; & ijs, qui nothi videbantur, exustis, residuos condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Idque non fine speciali Diuinæ prouidentiæ dispositione factum fuisse putat Cardinalis Baronius in apparatu ad Annales; tùm vt quæ aduersus Gentiles Christiani adducere possent in testimonium haberẽt: tùm etiam vt ea citantes, & ex libris ipsorum, & ab illis correctis testimonium petentes, nulla imposturæ suspicione moueri iure possent; licet neque adeò illis parcerent: vndè in eos Lactantius lib. 4. cap. 15. *His*, inquit, *testimonijs quidam reuicti, solent eo confugere, vt dicant, non illa esse Carmina Sibyllina, sed à nostris ficta, atque composita: quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legere, aliosque veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasque commemorant, ex quarum libris ista exempla proferimus, qui auctores obierunt, antequam Christus secundum carnem nasceretur*. Hæc Lactantius.

Verum non tam ista, quam alia præclarissima Sanctorum Patrum suffragia ad Sibyllarum, librorumque Sibyllinorum commendationem faciunt. Primum enim Clemens Alexandrinus lib.1. Stromatum eas Gentilium Prophetissas appellauit; immò apud eumdem ibidem tantum eis tribuit Heraclitus, vt non humanitus, sed diuinitus apparuisse putarit; quo enim vtriusque populi, Iudæi atque Gentilis consensu reciperetur Christus Dominus, consilium Dei fuit, vt longè antea rei tantæ Sacramentum Iudæis innotesceret per figurarum adũbrationes, & prophetarum prędictiones; Gentilibus autem per suos ipsorum vates, quales præcipuè fuerunt Sibyllæ; quas etsi probabile sit, legisse libros propheticos, indeque aliqualem mysteriorum fidei nostræ cognitionem haurire potuisse, vt de Philosophis superiori capite diximus; nihilominus tamen plures Sancti Patres existimarunt, illis insuper fuisse diuinitus communicatam prophetiæ gratiam, Hieronymus enim lib. 1. contra Iouinianum omnes virgines fuisse dicit, illisque ob virginitatis insigne meritum diuinationem fuisse concessam; idem quo ad diuinum afflatum, prophetandique gratiam docet Lactantius lib.1. diuinarum Institutionũ cap.6. D.Augustinus lib. 13. contra Faustum cap.15 & lib.18. de Ciuitate Dei cap.23. & 24. D. quoque Thomas pluribus in locis 2.2.q.2.art.7. ad 3.q.72. art.6.ad 1. in 3.sent.dist.23. q.2. art.2. de veritate q.14.art.11. ad 4. asserit multis Gentilibus, Sibyllis præsertim reuelationes de Chri-

Christo factas fuisse, pluraque tam de illo, quam de mysterijs ad fidem Christianam pertinentibus expresse prophetasse. Immò nonnulla multo clarius prędixisse, quam vllum prophetarum, notat Cardinalis Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 11. Quod autem Deus ad prophetandum viros tantum inter Iudæos delegerit, fæminas autem inter Gentiles, non solum ita vtrumque sexum honorare, & munere prophetandi ęquiparare voluit, sed insuper, vt carnis infirmitas in Christo ab infirmiore sexu prædiceretur, nec non à Virginibus Christus Virgo & eius mater item Virgo Virgineam & nouam vitam in mundum introducturi, tum etiam quia viri eum suaptè natura sint sapientiores fęminis, congruum erat eas potissimum inter Gentiles ad vaticinandum assumi, vt maiori essent in admiratione.

Quam ob caussam primis Ecclesiæ sæculis, ita frequenter Sancti Patres, tam ad conuincendos errores Gentilium quam ad facilius illis persuadēdam fidei Christianæ veritatem, Sibyllarum authoritatibus ac testimonijs vtebantur; queriturque Iustinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, malorum Dęmonum arte factum fuisse, vt pœna mortis earum lectio prohiberetur, quod metuerent certè ne qui eas legerent, notitiam inde verę pietatis, ac fidei perciperent. Illæ enim de Christo, & Deipara, de Virgineo Deiparæ partu, de Christi miraculis, Passione, morte, resurrectione, de extremo iudicij magni die, alijsque multis ad præcipua Christianę fidei mysteria spectantibus mira vaticinia ediderunt. Quorum nonnulla reperiuntur citata, apud veteres ac Sanctos Patres, aliosque grauissimos Scriptores; ex quibus placuit hic insigniora describere. Primum igitur de Christi aduentu, felicissimaque illius ætate vaticinatam fuisse Sibyllam Cumęam liquet ex illo carmine Virgilij,

Iam noua progenies cælo demittitur alto

Et iterum.

Vltima Cumai venit iam carminis ætas

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Et alia huiusmodi quæ nihil aliud videntur esse, quam quędam versuum Sibyllinorum interpretatio vt docet Diuus Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 27. & epist. 155. ad Martianum; & licet Virgilius, aut quod ignoraret mysteria quæ de Christo nascituro in illis continebantur, aut ex magna adulatione, eos Salonio, vel Salonino Asinij Pollionis filio tribuerit; nihilominus tamē Constantinus Magnus apud Eusebium Cæsariensem in oratione habita ad cætum Sanctorum Virgilij versus de Christo intellexit; Tiberij, inquit, tempore Saluatoris aduentus mundo eluxit, & Sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, & noua secuta est populi propagatio: de qua arbitror Poëtam ita cecinisse

Iam noua progenies cælo demittitur alto &c.

Reliqua item carmina de Christi aduentu exponit. Imo putat optimus imperator, Maronem Poëtam Christi aduentum cognouisse, videlicet ex Sibyllinis versibus. Diuus etiam Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 27. carmina illa eiusdem Virgilij

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri

Irrita, perpetua soluent formidine terras.

Christo assignat, & Sibyllæ dictum censet continere. De Christo, inquit, etiam Poëta nobilissimus, Poëticè quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad Christum referas, dixit,

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri

Irrita, perpetua soluent formidine terras.

Hoc non à seipso dixisse in illo versu indicat,

Vltima Cumæi iam venit Carminis ætas

Vnde

Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet, ait S. Augustinus.

Apud eumdem Eusebium in citata oratione Constantini, quæ habetur post eius vitam, & apud D. Augustinum lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. Erythrææ Sibyllę Poëma habetur, in quo de Christo, & eius passione, atque extremo iudicio altissimè, & manifestissimè vaticinata fuit: licet nonnulli Cumanæ illud adscribant. Cuius etiam Poëmatis capitales litteræ ordine collectæ hanc sententiam reddunt Græcè, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ, hoc est, Iesus Christus Dei Filius, Seruator, Crux. Hoc genus Poëmatis apud Græcos dicitur ἀκροστιχὶς, Latinè acrosticum dici potest, & vsitatum est apud Ennium, vt scribit Cicero lib. 2. de Diuinatione, vbi etiam addit se vidisse, carmina Sibyllæ, quæ initialibus litteris totius Poëmatis sententiam prætexebant; vtique huius Erithrææ carmina intelligens, vt idem Constantinus in eadem oratione cap. 9. asserit, addens eumdem Ciceronem ex Græco in Latinum istud Sibyllæ Poëma conuertisse, quod etsi inter opera Ciceronis hodie non inuenitur, ex præcitato nihilominus libri de Diuinatione loco planè cognoscimus, Ciceronem huiusmodi carmina legisse; sic autem se habent apud citatum Eusebium.

Iudicis aduentu magni sudore videbis
Emanare solum. Tunc Rex æternus ab arce
Syderea præsens, carni ius dicet & orbi,
Vt spectare Deum pia gens, atque impia possit.
Hæc erit omnis humus, vepres, & tristis arena,
Rescindent simulachra homines, aurumque repellent,
Incendentque auidè terram, mare, sydera, flamma,
Stabunt functorum sub apertum corpora lumen,
Tetraque mens, & sancta illo splendore patebit.
Voce latens facinus, quod gessit, quisque loquetur
Subdolaque humani pandentur pectoris antra;
Dira mali facies, pauor vndique, & vndique luctus:
Et iubar inuoluent Solis, Stellasque tenebræ.
Iam vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther,
Ferre caput valles, disiectis alpibus, imas
Iusserit; humanum culmen, fastusque iacebit,
Lataque planities montes æquabit, & altum
Intactum rate stabit, & vrent fulmina terras.
Vna deficiet flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cælo tuba fundet lugubre murmur,
Supremumque orbi canet exitiabile carmen
Et subito stygium chaos apparebit hiatu,
Regnantumque Dei celebrabit turba tribunal
Vndaque sulphurea fluet alto ex æthere flammæ,
Afflabit mortale genus insigne corùscans,
Trabs sancta in rectis animis optabile robur,
Omnibus vna pijs vita melioris origo:
Rursus vesani dolor, atque offensio mundi,
Collustrans vndis duodeno in fonte fideles.
Regnabit latè pascentis ferrea virga,
Vnus, & æternus Deus, hic Seruator, & idem
Christus pro nobis passus, quem carmina signant.

Diuus Augustinus loco citato facit horum quoque carminum mentionem, quamuis secundum aliam translationem & commemorat virum clarissimum Flauianum, seu Flaccianum hominem sum-

summæ facundiæ, multæque doctrinæ, cum de Christo colloqueretur, Græcum sibi codicem protulisse huiusmodi carmina continentem; atque eleganter docet, quod si coniungas primas litteras quinque verborum, quæ resultant ex capitalibus litteris Carminis Erithrææ, efficitur nomen ἰχθὺς, id est piscis, quod mysticè Christum significat: *Eo quod*, inquit Augustinus, *in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus hoc est sine peccato esse potuerit*. Quā piscis appellationem iam longè ante Christo tribuerat Tertullianus in libro de Baptismo cap. 1. vbi ita loquitur: *Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum in aqua nascimur: nec aliter quàm in aqua manendo salui sumus*. Et Hieronymus Epistola 43. vbi Bonosum laudat, ait inter cætera: *Bonosus tamquàm ἰχθύος filius aquosa petit*. Ratio autem cur potius hi Patres Græcum, quam Latinum vsurpauerint vocabulum alia non videtur esse, nisi quod tunc temporis versarentur per hominum manus prædicta Sibyllæ Erithrææ carmina, quorum ἀκροστιχὶς, vt iam diximus hæc verba conficiebat Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Atque ex horum verborum initialibus litteris vna connexis vox ἰχθὺς concinnatur. Ita colligitur ex præfato Sancti Augustini loco; & clarius ex fideli eius discipulo D. Prospero in lib. de prædest. par. 2. cap. 35. *Satiat*, inquit, *ex seipso in littore discipulos, & toti offerens se mundo, ἰχθὺν namque Latinè piscem sacris litteris maiores nostri interpretati sunt, hoc ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus Dei filius Saluator. Piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remedijs quotidie illuminamur & pascimur*. Quibus postremis verbis alluditur ad Tobiæ piscem, quo etiam pisce Christum fuisse significatum Sacri doctores autumant. Sed & Optatum Mileuitanum adhuc audiamus libro contra Parmen. tertio hisce verbis scribentem; *Hic est piscis, qui in baptismate per innocationem fontalibus vndis inseritur, vt qua aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam in vno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, ἰχθὺς quod est Latinè Iesus Christus Dei filius Saluator*. Quo etiam respexisse videtur S. Paulinus in epistola 33. dum ait. *Quos quinque panibus & duobus piscibus panis ipse verus & aqua viua piscis Christus expleuit*.

Plura alia Sibyllarum carmina, quibus Christi miracula, passio, resurrectio, earumque circūstantiæ mirabiliter prædicta continentur, antiquissimus & locupletissimus testis Lactantius Firmianus adducit *lib. 4. de vera sapientia*; eaque veluti sagittas aduersus Ethnicorum incredulitatem iaculatur, non facturus certè nisi authoritatis haberent pondus, veritasque subesset. Extat quoque apud Sozomenum lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. & apud Nicephorum libro 8. cap. 9. de Cruce præclarum hoc carmen. Ὦ ξύλον μακάριστον ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη.
O lignum beatum, in quo Deus extensus est.

Quod quantæ authoritatis esset, ostendit idem author his verbis: Apud Græcos confessa res est, hoc esse Sibyllæ carmen: quare & lignum crucis, & eius veneratio à Sibylla significata est. Hæc ille.

Sed de his fusius inter Scriptores modernos videri possunt; Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ Verbo Sibyllæ; Vbi quæ à singulis separatim prænuntiata fuere, iuxta ordinem mysteriorum humanæ salutis in vnum collegit; Laurentius Beyerlingh in magno Theatro vitæ humanæ, verbo Sibyllæ: Petrus Canisius lib. 2. de corrupt. Verbi Dei cap. 7. vbi citat decem Sibyllarum testimonia pro Mariæ Virginitate, & Virgineo partu; Bosius in libro de Triumphali cruce; & tandem libri 8. Sibyllinorum carminum, qui præteritis annis ex antiquissimo codice in Germania inuento, primum separatim, deindè tomo 1. Bibliothecæ SS. Patrum impressionis Coloniensis, & vltimæ Parisiensis excusi sunt. Verùm cùm diligenti eruditorum

dentia opus est; nam potest aliquis peculiares ob causas habere præ alijs cognitionem, vel certe illustriorem cognitionem alicuius facti. *Secundò*. Minorem assensum per se sibi merito reposcunt illæ historiæ, quarum scriptores stipendia à principibus, vel alijs accipiunt ad hoc vt eorum facta enarrentur, vel in eorum obsequio commorantur. Dicitur, *per se*, quia quo ad pertinentia ad talem principem, possunt illa esse magis ipsis nota; an vero sint amatores veritatis, vel potius adulationis ex modo scribendi deprehendi poterit. *Tertiò* minus certò assentiendum est illis historijs, vel historicis, in quibus est aliqua gratiæ suspicio in scribendo, vel simultatis: quod satis apparet; si quæ aliquis minus rectè gessit recenseat latè historicus, omissis, vel leuiter pertractatis illis, quæ honorificè, ac laudabiliter gessit, licet hęc fuerint multa; vel vice versa, narret solùm laudabilia, quãuis pauca, prætermissis minus laudabilibus, quamuis hęc pauca non fuerint, nec occulta. *Quartò*. Minor absolutè fides adhibenda est illis historijs, in quibus conscribendis potest esse dubium, quod passio amoris historicos occæcauerit. *Quintò* illis, quarum scriptores sciremus solitos esse exaggerare gesta à se, vel ab alijs, qui sibi essent amici. *Sextò* illis, quæ scribuntur à viris, qui quęcumque à quolibet fermè ad se delata in Annales referunt. *Septimò* tandem, minorem probabilitatem ac certitudinē per se habent scribentes illa, quæ suomet non contigerunt tempore; nam sic, ex fama, audituque multa necesse est, vt proferant; hinc benè Cardinalis Baronius ad annum Christi 34. numero 177. ait; *Non parum certè interesse in veritate historica disquirenda, auctorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cuiusnam fuerint eruditionis, atque existimationis, rationem habere, potissimumque si huiusmodi scriptores rerum perspectarū, ac eorum ætate editarum, si pietatem & virtutem, cum doctrina, & veritate coniunxerint, vt planè digni sint, quibus fides integra habeatur, soli sint, quibus cæteri assentiantur, soli denique sint, quibus reliqui, quæ sciuerint, vel scripserint, tanquam ab ijs accepta referant.* Dictum est, minorem per se fidem mereri, vel habere scribentes illa, quæ suomet non contigerunt tempore; quia veluti per accidens potest esse veracior, siue fidelior historia, quæ scribitur ab historicis, qui non vixerunt tali tempore, eò quod cogi aliquando possint historici ad reticēda multa, licet publica, vel semipublica, viuentibus principibus, ac alijs, quorum facta pręsentia exponuntur. Quod de scribentibus illa, quæ suo non contigerunt tempore diximus, idem ferè potest asseri de illis, qui Historias rerum in remotis, remotissimisque locis gestarum conscribunt; mendacissima enim facile transmitti possunt ab illis ad nos; quorum mendaciorum falsitas aperta à nobis haud deprehendi potest. Sed tam de his regulis, quam de alijs ad historiam, historicosque pertinentibus fusius agemus lib. sequenti sect. 8. sufficit enim supradicta breuiter attigisse, ad explicandum quantam ex se habeat authoritatem historia humana, siue Ecclesiastica, siue prophana extra sacræ scripturę libros contenta, ad probationes Theologicas.

Vt autem ex dictis historia etiam Ecclesiastica præcisè, perfectæ demonstrationis Theologicæ principium esse non potest, ita, licet vtilis quidem esse possit, quia iuncta fidei dogmatibus, probabiles, ac interdum etiam moraliter certos assensus parit, necessaria tamen non est Theologiæ, nec eius assensibus gignendis; dico Theologiæ assensibus; quia actibus ijs, quibus assentimur reuelata cælitus oracula, quę Theologicarum principia sunt demonstrationum, esse credibilia, hoc est talia, quibus diuina fides possit adhiberi, illis, inquam, actibus gignendis necessaria, nedum vtilis dici potest historia Ecclesiastica; quatenus in illa continentur multa miracula, multæ reuelationes diuinitus factæ, & similia quæ vbi certò semel de illo-

illorum veritate constat, inter præcipua credibilitatis fidei nostræ motiua, & argumenta reponi debent. Quænam autem sint regulæ ad dignoscenda vera miracula, verasque reuelationes, prophetias, visiones, siue apparitiones à falsis, dicetur suo loco; de quibus etiam videri possunt, Ioannes Card. Turrecremata in prolegom. defens. Reuelat. cælestium S. Brigittæ, Martinus Delrio disquisit. Magic. lib. 4. Aluares de vita Spirituali tomo 3. lib. 5. Tyreus de spirit. apparitione, Lucas Castellinus tract. de certitudine gloriæ Sanctorum, Christophori Stymmelij locus de miraculis Ecclesiæ Dei expositus, Friderici Forneri palma triumphalis miraculorum Ecclesiæ Catholicæ; aliique plures ab illis citati, suoque loco à nobis citandi.

SECTIO SEXTA.

De loco Theologico, cui tanquam iudici controuersiarum diuinæ fidei sistendum est.

CAPVT PRIMVM.

De nomine, & existentia iudicis controuersiarum diuinæ fidei.



POSTQVAM in superiori sectione vidimus, quantam vnusquisq; locus Theologicus authoritatē habeat ad probationes Theologicas, superest ad completā huius materiæ notitiam, vt explicemus, cuinam ex illis competat esse supremum diuinæ fidei, seu controuersiarum Theologicarum iudicem, eoque diligentius quo hęretici nostri temporis, hac in re grauius errant, & quo illius semel explicatione percepta, compendiosiorem ad illos euincendos viam habemus, in omnibus diuinæ fidei controuersijs, vbi enim constiterit talium controuersiarum esse iudicem, illic necesse est esse veritatem, non tantùm scripturarum & expositionum, sed etiam omnium traditionum Christianarum, vt rectè docet Tertullianus libro de præscriptionibus aduersus hęreticos capite decimo nono. Verum prius in hoc capite stabiliendum est, quid nomine iudicis controuersiarum intelligatur, quodque detur aliquis supremus iudex omnium fidei controuersiarum; deinde in sequentibus, quænam sint conditiones potissimum necessariæ, & ita essentiales illi, vt ijs sublatis, vel earum aliqua, desinat esse iudex legitimus; illis enim semel explicatis, tunc ex eo, quod illæ alicui insint, vel non insint, facile diiudicabitur, quis sit ille supremus iudex, vel quis non sit, contra hęreticos.

Primum igitur pro explicatione nominis aduertendum est, in rigore & proprietate tam rei, quam sermonis, iudicem & regulām respectu vnius & eiusdem obiecti valdè inter se differre, quēadmodum in quauis republica ipsa lex & magistratus distinguntur: est enim regula norma, seu medium, quo iudex vtitur ad determinandum, seu iudicium ferendum: Iudex verò est, qui definit, vel sententiam profert. Vnde ratio regulæ, rebus quidem mortuis & mutis potest

potest conuenire, iudicis verò ratio minimè; sed ad legis distinctionem nuncupatur aliquando lex viua, lex loquens. Quare iam ex hoc capite non videntur heretici statum præsentis difficultatis assecuti, vt dicetur infra, quandò pro iudice controuersiarum sacram Scripturã afferunt, quæ tantùm vna est ex regulis & medijs, quibus ipse iudex ad discutiendam veritatem, iudiciumque ferendum vtitur.

Obseruandum est secundò, loquendo in genere de iudice controuersiarũ, posse illum distingui duplicem, primarium vnum, secundarium alterum; primarius vocatur, qui est omnium supremus, & à quo habet secundarius tàm virtutem, quàm authoritatem iudicandi, sicut est Deus, seu Spiritus Sanctus, vt enim ipsius fidei, & reuelationis rerum ad illam pertinentium Deus est author primarius, & supremus, ita etiam & veritatis cuiuslibet ad fidem spectantis primarius & supremus est iudex. Secundarius verò iudex appellatur, quo mediante Deus iudex primarius profert de veritate alicuius propositionis ad doctrinam fidei spectantis, cùm enim Deus non explicet, nec reuelet per seipsum, & immediatè singulis controuersias fidei, vt patebit infra, is, per quẽ pro præsenti Ecclesiæ statu obit istud munus, veritates discernendo, & diiudicando, dicitur secundarius iudex; eo ferè modo quo apud Philosophos vocantur causæ secundæ, quarum interuentu Deus res ipsas creatas producit. Nec ab hac distinctione iudicis abhorrent heretici, cum, vt dicetur infra, dicant Scripturam sacram, & Spiritum Sanctum esse controuersiarum iudices, sed hunc primarium, illam verò secundarium.

Notandum est tertiò secundarium iudicem adhuc posse subdiuidi in priuatum, & publicum, quemadmodum etiam iudicium aliud est priuatum, aliud publicum; vt autem priuatum iudicium illud appellatur, quod fit à priuata persona ex priuata authoritate; publicum verò ex authoritate publica, & in persona principis vel reipublicæ; ita etiam ille dicitur priuatus controuersiarũ iudex, qui priuatum illud exercet iudicium, publicus verò, qui illud publicũ. Nonnisi tamen valdè impropriè quilibet priuatus fidelis iudex dicitur, & actus eius intellectus, quo assentitur rebus fidei, nonnisi etiam ineptè vocatur iudicium; secundum quod hęc nomina iudex, & iudicium debent vsurpari in præsenti materia. Etsi enim apud Philosophos communiter assensus intellectus vocetur iudicium, nihilominus in foro etiam ciuili; ad cuius formam & analogiam debent sumi hac nomina dum agimus de iudice controuersiarum, subditus quilibet priuatus non dicitur iudex controuersiæ, quæ circa legẽ principis, vel reipublicæ potest oriri, nec aliquod exercere iudicium propriè dictũ, cum careat omni authoritate publica, & iudicium hoc sit superioris ad inferiorem, non vice versa, priuati si quidem cuiuslibet, vel subditi non est discutere iuridice sententiam principis aut reipublicæ: sed ei obedire, & hunc assensum formare, quod sit iusta.

Notandum quarto, duobus modis posse intelligi aliquem constitui publicum iudicem pro dirimendis fidei controuersijs, primò quo ad exteriorem dumtaxat politiam, quatenus sententia ab eo lata ita fideles obligat, vt pro cõseruanda pace, & concordia reipublicæ Christianæ aliter docere eis non liceat, nihilominus in conscientia non teneantur credere propositionem fidei per sententiam iudicis explicatam & definitam tantæ, & talis esse, quantæ & qualis fuit à iudice pronuntiatum: secundo ita vt obligentur fideles, non tantùm quo ad exteriorem politiam, sed etiam in conscientia, & assensum suum circa talem propositionem omnino conformare sẽtentiæ à publico iudice probatæ. Qui publicus controuersiarum iudex adhuc potest intelligi duplex, prior est, qui vni vel pluribus Ecclesijs vi suæ ordinationis, seu publica authoritate est iudex con-

constitutus pro dirimendis fidei litibus nascituris in Ecclesijs particularibus; posterior est vniuersalis, qui omnium fidei controuersiarum, quæ inter omnes Christianos oriri possunt, iudex est ordinatus.

Iam quandò in pręsenti agimus de iudice controuersiarum, hoc nomine intelligimus iudicem non primarium, sed secundarium, non priuatum, sed publicum, eumque vniuersalem, seu supremum in hoc ordine, qui sua sententia, & definitione circa fidei controuersias obliget omnes omnino Christianos, non solùm quo ad exteriorem politiam, sed etiam in conscientia. Et in hoc sensu asserimus tanquam præcipuum fidei dogma, dari controuersiarum iudicem; siue quod idem est, fuisse à Christo Domino relictam in Ecclesia cathedram, magisteriumque perpetuum ad testificandam fidem vniuersam, & dogmata definienda, & controuersias religionis componendas. Cui veritati ipsimet hęretici volentes nolentes manus dare coguntur; etsi enim Caluinus callidus animarum seductor lib. 4. institutionum cap. 8. n. 7. nolit in causa fidei Ecclesiam audiri, sed ea sola suscepi, quæ in scripturis viua voce à Christo tantùm accepta, ab Euangelistis, & Apostolis notata extant; quod est directè negare cõtrouersiarum iudicem; nihilominus tamen eodem libro cap. 1. n. 5. vbi contra Anabaptistas inuehitur, illum expresse videtur concedere his verbis: *Etsi externis medijs non est alligata Dei virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligauit, quem dum recusant tenere fanatici homines, multis se exitialibus laqueis inuoluunt. Digni sunt enim, qui fame, & inedia pereant, quicũque spiritualem animæ cibum diuinitus sibi per manus Ecclesiæ porrectum respuunt.* Idem etiam docet Vuitacherus in suo duplicato cõtra Stapletonem, *Ecclesiam*, inquit, *nemo negat Magistram esse, si non gentium, at suorum*, & paulo post. *Accepit enim Ecclesia claues regni cælestis, id est, Euangelij docendi potestatem &c.* Verum quid quid sit de hęreticis, qui in hac materia, sicut & in omnibus alijs ad fidem spectantibus subdolè, & fraudulenter varia semper locuti sunt; probatur sententia Catholica, Deum videlicet ordinasse in Ecclesia supremum aliquem iudicem, quicumque sit ille, omnium fidei controuersiarum, qui sua sententia, & definitione obliget omnes Christianos etiã in conscientia.

Primùm authoritate sacræ Scripturæ, ex nouo pręsertim testamento c. 18. S. Matthęi, vbi ait Christus, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, quibus verbis apertè docet non esse contemnendum Ecclesię iudicium, imo ad illud recurrendum; pręmiserat enim Christus, *dic Ecclesiæ*; quod iudicium, si contemnatur, ait Christus contemptorem hunc habendum esse pro ethnico & publicano, nec ad aliũ superiorem iudicem remittit; ergò constituit ibi Christus aliquem supremum, & vniuersalem fidei controuersiarum iudicem.

Cui authoritati non obstat glossula Caluini lib. 4. institut. cap. 18. §. 15. dicentis ibi, non fieri mentionem doctrinæ, sed corrigendorum tantùm vitiorũ, & per censuras coercendorum; hoc, inquam, non obstat: Nam & hęresim in homine esse aliquod vitium negare non potest, vt puto, Caluinus: igitur si quis in illam incidat, deferendus est ad Ecclesiam, quam ex pręscripto Christi debet audire, & si non audiat, iudicandus & excommunicandus: at non potest Ecclesia illum iudicare, & illum ob hęresim legitime excommunicare, nisi certò iudicet propositionem illius esse hęreticam; ergò cùm in omnibus similibus casibus sit peccator ad Ecclesiam deferendus, cuius sententiæ debeat stare sub pœna excommunicationis, dicendum est Christum etiam in ea instituisse supremum aliquem omnium fidei controuersiarum iudicem. Quod autem sua sententia, & definitione obliget etiã in conscientia, patet ex sequentibus verbis præcitati loci, *quæcumque alligaueritis*

ritis

ritis super terram, erunt ligata & in cælo. Iterum Christus Dominus Apostolos Magistros, & Doctores vocauit, Matth. 13. *Omnis Scriba doctus in regno cælorum &c.* Super quem locum Irenęus lib.4. cap. 21. *Scribas autem, & doctores regni cælorum suos dicebat Apostolos, de quibus alibi dicit Iudæis: Ecce mitto ad vos sapientes & scribas, & doctores, & ex eis occidetis.* Iisdem Lucæ 10. dicit: *qui vos audit, me audit.* In quæ itidem verba idem Irenęus lib.3. cap. 1. ait, *quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autē & ipsum Christum Dominum.* Similiter docendi munus iisdem Apostolis disertis verbis iniungit Matth. vltimo, *Docete omnes gentes;* vndè etiam ipsimet Apostoli Magistros se esse, nedum ministros testantur, 2. Timoth. cap. 1. *In quo Euangelio, positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister gentium.* Quibus sane authoritatibus nihil clarius adduci potest ad asserendum aliquod Ecclesię magisterium, supremumque iudicium à Christo Domino institutum ad testificandam fidem vniuersam, & dogmata definienda, & controuersias religionis componendas.

Quod enim respondent aduersarij; primò Apostolos factos Magistros, sed eorum tantùm, quæ à Christo viua voce acceperant, & in scripta redegerant: vel secundò fuisse tantùm personale Apostolis docendi munus, ideoque non fuisse vllam in terris cathedram relictā, siue vllum magisterium perpetuum institutum à Christo Domino. Hæc, inquam, duo sunt falsissima, & absurdissima. Contra primum enim vrgetur, quod Christus Dominus Spiritui Sancto multa Apostolis, qui erant Ecclesiam docturi, reuelanda reseruauit, vt dicemus libro sequenti agendo de sacris traditionibus. Non alligabatur ergò magisterium Apostolorū soli verbo diuino scriptis concepto, vellem enim nouatores interrogare, quid prædicarunt, quid docuerunt Apostoli, priusquam nouum testamentum integrum extaret. Deindè Act. Apostol. cap. 26. nonne dicitur Paulo. *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi.* Id est per visiones, & inspirationes specialiter te docebo, quod præstitum est, quando ex huiusmodi reuelationibus multa salubriter instructus, & edoctus Diuus Paulus, dixit se spiritum Dei habere, Ecclesiam docens circa mores, & ritus sacros.

Secundum impugnatur pariter, primùm ex Apostolo ad Ephes. cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores ac doctores ad consummationem Sanctorum: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Ibi enim agit Apostolus de ijs, quæ Christus discedens ex hoc mundo reliquit Ecclesiæ, inter quæ, cum recenseat Pastores, & Doctores, ad tollendam omnem hęsitationem in fide, & errores vitandos, manifeste constat non fuisse tantùm personale Apostolis hoc munus, sed etiam post illos Christum Dominum reliquisse iudices alios dubiorum circa fidem, eiusdemque magistros in perpetuū duraturos, vt docent verba ista sequentia, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensurā ætatis plenitudinis Christi.* Insuper D. Augustinus epist. 80. ex illo Sophoniæ 2. *& adorabunt eum, vnusquisque de loco suo, omnes insulæ gentiū,* ostendens, quod nulla pars orbis terrarum relinquatur, vbi non sit fides prædicanda, quodque ab Apostolis non fuerit completa ista prædicatio, *quando,* inquit loquens de suis temporibus, *adhuc vsque sunt gentes, quod certissimum est nobis, in quibus modo cœpit impleri, & in quibus nondum cœpit impleri;* vult expresse non sic dictum esse Apostolis Act. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut eis Solis, videtur dixisse, quod dixit: ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem sæculi, quod tamen eum vniuersæ Ecclesiæ promi-*

promisisse, quę alijs morientibus, alijs nascentibus hic vsque in consummationem sæculi futura est, quis non intelligat, sicut eis & illud ait, quod ad eos omnino non pertinet, & tamen sic dictum est tanquam ad solos etiam pertineret? Hæc D. Augustinus, ex quibus satis patet quàm sit friuolum, & inane sectariorum effugium de magisterio Apostolorum personali.

Secundò probatur diuersis rationibus tam ex diuinis scripturis, quam ex Sanctorum Patrum authoritatibus, lumineque ipso naturali desumptis. Prima deducitur a pari, imò à fortiori; Deus enim tantam curam habuit in instituenda Ecclesia Christiana, quantam in formanda Iudaica; Christus item relicturus Ecclesiam quoad præsentiam visibilem per tot annorum sæcula, tantum ei prouidit, quantùm ipse Moyses suæ, ab ea futurus absens per breue aliquod tẽpus; vt satis patet ex maiori amore, quo Deus prosecutus est nostram Ecclesiam supra veterem, in qua vigebat tantum lex seruitutis, cùm in hac nostra regnet lex gratiæ. Sed Deus formando Ecclesiam Iudaicam dedit illi aliquem iudicem controuersiarum etiam fidei, & religionis, vt habetur exodi cap. 18. Deuteronomij cap. 17. lib. 2. Paralipomenon cap. 19. Moyses item futurus absens per quadraginta dies, & totitem noctes exod. 24. constituit Ecclesiæ suæ iudices, *Expectate hic*, inquit, *donec reuertamur ad vos, habetis Aaron, & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos*. Igitur Deus in instituẽda Ecclesia Christiana dedit ei supremum aliquem cõtrouersiarum fidei iudicem, item & Christus Dominus. Maximè cum longe plures, & grauiores controuersiæ circa fidem essent nasciturae tempore Christianæ Ecclesiæ, quam Mosaicæ, vt euentus ipse probauit.

Secunda ratio desumitur ex suauitate diuinæ prouidentiæ, quæ talis est, vt vnicuique pro conditione suæ naturæ, & finis ad quem ordinatur, subministret aliquid, quo & in exercendis proprijs suis actionibus, & in assequendo suo fine dirigatur: atqui Christianus ex prouidentia Dei supernaturali ordinatus est in illum vt authorem gratiæ tendendum per cognitionem & amorem, circa quos actus & eorum obiecta potest facilè, multisque modis errare, vt docet multitudo hæreseon, quæ à principio Ecclesiæ ad nostra vsque tempora fuerunt: igitur pro eo statu Christianæ religionis, debuit Deus ei prouidere de aliquo, quo tanquam rectore, & viam monstrante dirigeretur in omnibus suis actibus circa Deum exercendis; illud autem nihil est aliud, quam iudex aliquis omnium fidei controuersiarum; stabilito enim & constituto semel in Ecclesia supremo illo Iudice, vel Magistro, cuius sententiæ teneantur fideles se se conformare in rebus ad fidem, æternamquæ salutem pertinentibus, primò tollitur Philautia, & amor proprius, per quem vt dicit Plato lib. 5. de legibus, *accidit omnibus vt ignorantiam suam esse sapientiam opinentur*; propter quem Gentiles *dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*, vt dicitur Roman. 1. & ipsimet hęretici volentes esse legis Doctores, vt ait Apostolus, *Non intelligunt, neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant*, Philautia enim, proprięque sapientię amor atque adeò periculum errandi, præsertim in rebus fidei, cum ipsa versetur circa res obscuras, melius curari non potest qaam publico Ecclesię magisterio, & iudicio.

Vnde Diuus Augustinus in Psal. 103. exponens illa verba: *Inter medium montium pertransibunt aquæ*, dicit per montes significari magnos prædicatores verbi, per medium, communem doctrinam, quam bibere oportet, vt veritas cognoscatur, & à præsumptione indagationis priuatæ veritatis per propriam industriã, humana mens sanetur; *Quod medium*, inquit Augustinus, *dicitur, commune est, Res communis vndè omnes æqualiter viuunt media est, nec attinet ad te, nec ad me*. Et postea. *Audi aquas inter medium montium. Quia communis illis fides erat, nec quisque aquas quasi proprias, & suas habe-*

habebat. Si enim non sunt in medio quasi priuata sunt, non publicè fluunt, & ego habeo meam, & ille habet suam, non est in medio, quod & ego, & ipse habeat; sed & talis non est pacifica prædicatio. At verò vt inter medium montium fluant aquæ, audi vocem montis. Deus inquit Pacis det vobis id ipsum sapere inuicem: & iterum; *vt idipsum sapiatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod sentio, sentis? in medio fluit aqua, non habeo quasi priuatum meum, nec tu priuatum tuum. Veritas nec mea sit propria, nec tua, & vt & tua sit & mea.* Quibus sanè verbis nihil præclarius dici potest ad stabiliendum in Ecclesia supremum aliquod iudicium, vel tribunal, pro instruendis fidelibus, dirimendisque omnibus fidei & religionis quæstionibus.

Insuper ad cauendas superbissimas, & periculosissimas tentationes, quando aliqui per homines erudiri nolentes, Angelos Magistros de cœlis expectarēt curiosi atque tumidi, vel rapi ab ijsdem exoptarent vsque ad tertium cœlum; propter hoc, inquam, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ, ordinare in Ecclesia supremum aliquē veritatis magistrum, omniumque fidei controuersiarum iudicem; vt ait D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana. *Cogitemus & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina & cælesti voce prostratum, & instructum, ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ; & Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynasque respectas ei Angelus annuntiauerit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset audiret.* Cui motiuo diuinę prouidentiæ in constituendo supremo aliquo rerum fidei arbitro, duo alia subiungit idem Augustinus ibidem, primū dignitatis humanæ naturæ, ad quam pertinet, vt per homines homo instruatur. Sicut enim cedit in Angelorum infimorum gloriam in cœlesti Hierarchia, quod hi per medios, & medij per supremos illuminentur, ita & in Ecclesiastica, vt plebes infimæ per medios ministros, & hi tandē per superiores edoceātur; *Poterant,* inquit Augustinus, *vtique omnia per Angelum fieri; sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos 1. Corinth. 3. Si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus, tradi vellet de cælo, atque per Angelos personaret?* Secundum, vt per hoc medium ipsimet homines maioribus charitatis, & dilectionis vinculis inuicem colligarentur; *Deinde,* inquit idem sanctissimus doctor, *ipsa charitas, quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorū, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Tertia tandem ratio fundatur in ipso lumine naturæ, cuius ductu ipsi Gentilium legislatores in formando reipublicæ suæ regimine constituerunt aliquos tanquam iudices difficultatum, quæ circa cæremonias, & religionem nascerentur, sic à Numa Pompilio ordinatos fuisse Pontifices, auctor est Liuius lib. 1. sic apud Gallos fuisse Druidas refert Iulius Cæsar lib. 6. de bello Gallico: sic apud Assyrios, & Babilonios fuisse Chaldæos: apud Persas, & Medos extitisse Magos: sic denique apud alios populos fuisse semper aliquos, sacrorū præsides, & religionis suæ interpretes, frequentius referunt prophanæ etiam historiæ, quàm sit necessarium in illis recensendis diutius immorari.

Sed obijciunt primò Sectarij, quia solus Christus nobis Matth. 17. audiendus à Patre mandatur, *ipsum audite*, vnde ipsemet etiam Christus eiusdem Matth. 22. vetuit Apostolos vocari Magistros dicens: *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester.* Igitur in doctrina fidei solus Deus, solus Christus sunt Magistri, nullumque in Ecclesia magistrum, aut supremum ali-

quem controuerſiarum fidei iudicem à nobis audiendum reliquerunt.

Secundò cùm ad dignitatem humanæ naturæ ſpectet, vt à ſolo Deo fideles inſtruantur, vt videtur aſſerere Chriſtus Ioann. 6. citans illum locum Iſaiæ 54. *Et erunt omnes docibiles Dei*; idque ſufficientiſſimè Deus præſtare poſſet authoritate verbi ſui noſtrum intellectum cõuincendo, noſtramque voluntatem inflectendo vt credamus, ſuperfluum videtur omne aliud magiſterium in Eccleſia relictum.

Reſpondetur ad primum argumentũ, infirmam eſſe conſequentiam iſtam, Chriſtus audiendus eſt, ergo nemo præter Chriſtum audiendus eſt, cum ex eodem Euangelio Matt. 18. ipſemet Chriſtus Eccleſiam audiri voluerit. *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. & Lucæ 10. Eccleſiæ paſtores, adeo vt de illis dixerit: *Qui vos audit, me audit*. Quatenus ſicut in foro ciuili, qui audit ſupremum alicuius principis Senatum, dicitur etiam audire ipſum principem à quo dependet, & ſuã mutuatus eſt poteſtatem, ita etiam ſe haber in publico Eccleſię magiſterio. Quare Chriſtus Dominus citato S. Matth. loco cõparatiuè tantum ad Deum vetuit ne aliquis vocaretur Pater, nec magiſter, vel vt dicit S. Thomas in diſput. de magiſt. quęſt. 11. art. 1. ad 1. *Prohibemur hominem vocare magiſtrũ, vt ei principalitatem magiſterij attribuamus, quæ Deo competit, quaſi in hominum ſapientia ſpem ponentes, &c.*

Ad ſecundum dicitur; ad dignitatem humanę naturę pertinere quidem erudiri à ſolo Deo interna fidei illuſtratione, vt voluntas inclinetur ad captiuandum intellectum in obſequium fidei, ſic tamen vt requiratur propoſitio credendorum, ad quam ordinauit Deus ſupremùm aliquem magiſtrum, & iudicem omnium fidei controuerſiarum, qui ſua ſententia, & definitione obliget omnes Chriſtianos etiam in conſcientia ad credendum, in quantum per illam voluntas Dei, & fidei veritates iuridicè nobis innoteſcunt.

CAPVT II.

De conditionibus neceſſarijs in ſupremo Iudice controuerſiarum fidei, & primùm de eius infallibilitate in definiendo.

POſtquam ſuperiori capite vidimus Deum conuenienter in Eccleſia ordinaſſe ſupremum aliquem iudicem omnium fidei controuerſiarum, nunc explicandæ ſunt illius conditiones, ita præſertim neceſſariæ, & eſſentiales, vt ijs ſublatis, vel earum aliqua, deſineret eſſe iudex legitimus; inter quas primum tenet locum veritas infallibilis in definiendo, ſiue quod non poſſit errare in ferendo iudicio: & in illa etiam aſſerenda non tantùm Catholici, ſed & hæretici expreſsè conueniunt; licet poſteà diſcordent in aſſignando determinato, & ſingulari ſubiecto, cui, vel quibus competat hæc ſupremi iudicis dignitas, cęterę que dotes, vel conditiones ad illam neceſſariò ſubſequentes.

Probatur primò, quia illud, quo denegato ſupremo fidei controuerſiarum iudici, munus eius proprium & eſſentiale deſtruitur, debet neceſſariò reperiri in illo; aliàs Deus fruſtra ex ſpeciali, eaque ſupernaturali prouidẽtia ordinaſſet hũc iudicem, cum munus ſibi iniunctum nullo pacto poſſet exercere: ſed denegata ſemel ſupremo controuerſiarum iudici veritate infallibili in definiendo, munus eius proprium, & eſſentiale deſtruitur; ergo ſtante talis iudicis inſtitutione pertinuit ad perfectionem diuinę prouidentiæ, illum tali infallibilitatis priuilegio exornare, ad exercendum ſuum proprium, & eſſentiale munus. Prob. Minor, nam vt ſuperiori capite vidimus pręſertim ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 4. proprium munus, & officium iudicis controuerſiarum fidei, eſt ita ſuo decreto, & definitiua ſententia tollere à cordibus fidelium omnem vacillationem, & hæſitationem circa res fidei, *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni*

ni vento doctrinæ; vt omnis alius docens contrarium sit nobis fugiendus, sub pœna vitæ eternæ amittendæ, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Galath. cap. 1. *Licet Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam euangelizauimus vobis anathema sit*; atqui denegata supremo iudici controuersiarum fidei, veritate infallibili in definiendo, id est, dum loquitur ex cathedra, aut ex authoritate aliquid definit esse de fide, esse faciendum, aut fugiendum; datur locus hæsitationi circa res fidei in omnibus fidelibus, item cessat in illis obligatio ad fugiendum docentem aliquid isti definitioni iudicis contrarium; igitur proprium eius munus ruit, ac destruitur.

Probatur iterum minor huius postremi syllogismi, nam tamdiu datur locus deliberatæ etiam dubitationi, circa res tanquam definitas de fide, quamdiu nobis est dubium, an ille vt sic, & per talem definitionem propositæ, sint à Deo reuelatæ, & quamdiu rationabiliter perseuerat hoc dubium, tamdiu cessat obligatio in fidelibus ad vitandum contrarium, quia non constat illud esse contra fidem: atqui negata in supremo iudice controuersiarum veritate infallibili in definiendo, fidelibus rationaliter est dubium, an res ipsæ sint à Deo reuelatę; quia alias, cum Deus nec fallere nec mentiri possit, sed quicquid reuelat, sit verissimum, si nobis esset certò notũ, res istas, prout definiuntur à supremo iudice, esse à Deo reuelatas, esset nobis quoque notum iudicem hunc esse veritatis infallibilis in definiendo, & hoc est quod intendimus: igitur negato supremo controuersiarum iudici, non errandi, seu infallibilitatis priuilegio in docẽdo, & definiendo, semper remanet locus hæsitationi circa res omnes fidei, cessatque obligatio ad vitandum contrarium.

Secundò probatur, quia ad fidem requiruntur duo. Primò quidem assensus intellectus secundum quod mouetur à voluntatis imperio, vt tendat in diuinam veritatem (intellectus enim assentitur veritati fidei, nonquasi conuictus ratione, sed quasi imperatus à voluntate, nullus enim credit nisi volens, vt ait D. Augustinus) & quantum ad hoc fides quæ est habitus intellectualis est à solo Deo, tam effectiuè, quam obiectiuè. Secundò requiritur ad fidem, quod credibilia proponantur credenti. Igitur ea ratione, qua ne possit fidei nostræ subesse falsum requiritur indispensabiliter, quod Deus ad illam mouens, sit veritatis infallibilis in reuelando; requiritur etiam ob eamdem rationem, quod Supremus controuersiarum fidei iudex, ad quem pertinet credibilia proponere fidelibus, sit infallibilis veritatis in definiendo, si enim non esset, sed fallibilis dumtaxat, iam fidei posset subesse falsum; ibi enim potest subesse falsum, vbi medium, seu applicans, seu proponens est fallibile, & tantùm modo fallibili proponit, aut applicat: atqui supremus controuersiarum fidei iudex proponẽs omnibus Christianis, vel applicans res ipsa sua definitione, ex hypothesi est medium aliquod fallibile, & modo tantum fallibili applicat & proponit Christianis res credendas; igitur tunc posset fidei subesse falsum.

Eoque verius duo prædicta inconuenientia in argumentis allata videntur sequi, negata semel supremo controuersiarum Iudici, veritate infallibili in definiendo, quò difficultas ex parte nostri in certò & indubitatè credendo, non consistit in hoc, quod Deo reuelanti non sit credendum, in hoc enim conueniunt omnes, etiam infideles, quod quando Deus aliquid reuelat, aut dicit, sit illi certò & indubitatè credendum; sed in hoc, vtrum de facto Deus hoc, quod nobis proponitur ad credendum, v. g. mysterium Sanctissimæ Trinitatis reuelauerit, de quo, alijsque similibus, cùm debeamus certos fieri, esse à Deo reuelata, per sententiam, ac definitionem supremi iudicis controuersiarum, manifestè patet requiri in illo veritatem infallibilem in definiendo, cum vltima fidei resolutio ita ex parte obiecti fiat vltimatè in solam reuelationem diuinã,

vt in formalem rationem credendi,& in nihil aliud; tanquàm verò in aliquam conditionem prærequisitam in ipsa motiua credibilitatis diuinæ fidei,& in præcedens iudicium de euidentia talis credibilitatis, & in id genus alia, quæ tale iudicium requirit; vt etiam, in ijs maximè, qui iam receperunt fidem, diuinæ fidei assensus, qui datur contra errores, dubitationes, difficultates insurgentes circa obiecta particularia diuinæ fidei ordinariè, & communiter resoluendus sit in diuinam authoritatem supremi cōtrouersiarum iudicis, tanquam in regulam consequenter proponentem, & explicantem infallibiliter credenda; ne alicui aut falsitati, aut animi dubitationi detur locus.

Quod pertinet ad obiectum, seu terminos ad quos vsque debet hæc infallibilitas se se extendere, distinctius aperietur libro sequenti agendo de infallibilitate Ecclesiæ, quæ sola, vt dicetur in fine huius sectionis, est omnium fidei controuersiarum iudex; interim generaliter assero, in supremo iudice controuersiarum fidei, requiri veritatem infallibilem in definiendo, non tantùm circa vnam, aut alteram propositionem fidei, sed circa omnes & singulas, ita vt respectu illarum tàm seorsim, quàm coniunctim sumptarum sit veritatis infallibilis. Ratio est ex dictis, quia omnia verba cùm legis tum institutionis alicuius, debent semper sumi in propria sua significatione, quantum res ipsa, & modus loquendi patitur; & vbi nec lex, nec institutio distinguit, aut restringit se ad certos tantùm aliquot casus, nec nos etiam debemus illam distinguere, aut restringere, vt habet communis Iurisconsultorum regula; at omnia diuinarum scripturarum testimonia superius à nobis allata tàm pro asserendo hoc supremo iudice, quam eius infallibilitate in definiendo, loquuntur vniuersim, nec declarant has tantùm fidei, & religionis quæstiones, & non omnes, has item tantùm personas, & non omnes de aliquo fidei dubio disceptantes, hunc & non alterum supremum iudicem esse habituros, quod tamen Deus pro ea, qua instituit, & administrat Ecclesiam, prudentia, debuisset explicare, si res ita se haberet; ergò dicendum est supremi iudicis controuersiarum veritatem infallibilem in definiendo, non tantùm circa vnam, aut alteram propositionem fidei versari, sed circa omnes, & singulas. An autem, & quando debeat nobis constare, seu esse notum hanc infallibilitatem reperiri in eo, quem pro tali iudice cognoscimus, patebit ex dicendis infra agendo de Ecclesia.

CAPVT III.

De auctoritate requisita in supremo iudice controuersiarum.

QVemadmodum rectè possumus concipere esse aliquem apprimè versatum in iure, alicuius item ciuilis controuersiæ veritatem bene intelligere, & proponere, qui tamen defectu authoritatis non sit iudex: ita etiam quia posset iudicium alicuius priuati esse infallibile ex speciali dono Dei circa res fidei explicandas, qui non propterea tamen, ex defectu authoritatis proponendi illos omnibus fidelibus, & obligandi eos, esset iudex; hinc præter priuilegium infallibilitatis in definiendo, concessit etiā Deus supremo iudici controuersiarum authoritatem proponendi fidelibus veritates à se definitas tanquam de fide, & insuper obligandi eos, vt illas suscipiant. Postquam enim Matth. 23. vbi agitur de Scribis, & Pharisæis, vt controuersiarum iudicibus, Christus Dominus ait, *quæcumque dixerint vobis* (quibus terminis continetur propositio rerum credendarum fidelibus) statim subiungit, *seruate, & facite*; vbi non consilium, sed præceptum exprimi, seu obligationem, qua tenebantur Iudæi Scribarum, & Pharisæorum definitiones recipere, & obseruare clarissimè demonstrant verba subsequentia. *Secundum opera autem eorum nolite facere*; vtrobique enim sumitur eodem

dem

dem modo particula illa, *feruate*, *facite*, *nolite facere*: ſed poſterioribus verbis ſignificatur obligatio, qua tenentur fugere mala opera & peccata Phariſæorũ, de quibus fugiendis non eſt conſilium, ſed præceptum, ſicut de quolibet alio malo opere: ergo & in priori parte ſententiæ verba iſta, *feruate*, *& facite*, ſignificant etiam obligationem, qua tenentur ſuſcipere illorum definitiones, circa ipſas res fidei. Quod à fortiori verum eſt de ſupremo iudice controuerſiarum fidei in ſtatu legis Euangelicæ, quem maioris eſſe dignitatis, ſatis patet ex maiori amore, quo Deus proſecutus eſt noſtram Eccleſiam ſupra veterem, conferendo ei multa ſpecialia priuilegia, & remedia efficaciora, quam legi Moſaicæ.

Secundò eiuſmodi authoritas in ſupremo iudice controuerſiarum, proponendi fidelibus veritates à ſe definitas, & eos obligandi, vt illas recipiant; expreſsè colligitur ex illo loco Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* (inquiunt Apoſtoli) *nihil vltra imponere vobis oneris, quam hac neceſſaria*, cùm enim verbum illud imponere, quo vtuntur Apoſtoli, importet ex vi ſuæ ſignificationis authoritatem in ſuperiore ad præcipiendum ſubdito, & item in ſubdito obligationem ad obediendum ſuperiori, fuerintque ibi Apoſtoli cōciliariter congregati iudices controuerſiæ inter Chriſtianos exortę de ſeruãdis legalibus, manifeſtè ſequitur Deum voluiſſe, quod ſupremus controuerſiarum fidei iudex haberet authoritatem, tùm ad proponendum populo res credendas, tum ad illum obligandum vt ſua circa illas decreta ſuſcipiat. Cuius ratio clariſſimè deſumitur ex ipſamet natura iudicis pręſertim ſupremi in omni republica, cum enim in eo maximè diſtinguatur à puro conſiliario etiam iuris peritiſſimo, quod inſuper habeat authoritatem, tum ad proponendum ſubditis ſuas ſententias, tùm etiam ad obligandum, vt eis obediant; & idem Chriſtus Dominus in formanda, & inſtituenda Eccleſia tanquam ſacra republica modum optimum ſeruauerit, debuit conſequenter iudici ſupremo controuerſiarum fidei dare prędictam authoritatem proponendi res credendas fidelibus, eoſque obligandi ad illas ſuſcipiendas; ſi quidem blaſphemum eſt dicere illum ſuo defuiſſe legislatoris officio ſupremique Eccleſiæ principis.

Et quamuis aliqui hęretici negent hanc authoritatem definiendi infallibiliter à Chriſto Domino conceſſam ſupremo iudici controuerſiarum fidei, debere eſſe coactiuam exteriorem, qua ſcilicet ſibi rebelles puniat, vel pœnarum metu ad ſibi obediendum compellat; nihilominus tamen partem affirmatiuam tenent omnes doctores Catholici, cui etiã vi veritatis adſtrictus conſenſit Iunius Caluiniſta in ſuis animaduerſ. ad controuerſias Bellarmini ad cap. 9. 1. controu. lib. 3. animaduerſione nona. Videturque manifeſtè ſequi ex dictis. Nam primo non poteſt intelligi authoritas hæc definiendi, item obligandi fideles, vt definitioni obediant, niſi ſimul intelligatur hæc authoritas eſſe coactiua exterior; vt enim iſta omnia fiunt in foro exteriori Eccleſię, contentio vel diſputatio vtriuſque partis, definitio controuerſię, definitionis promulgatio, præceptum eam obſeruandi ſub anathemate, ita compulſio ſeu coactio ad eam ſeruandam, item pænarum inflictio in delinquentes debet eſſe ab auctoritate coactiua exteriore. Deindè in citatis iam capite primo locis ex Deuteron. 17. exprimitur ipſa coactio exterior etiã per irrogationem pœnæ, & in nouo teſtamento, Matthæi cap. 18. vbi dicitur, *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquàm Ethnicus, & Publicanus*: id eſt excommunicatus; excommunicatio autem eſt quędam pæna, quæ per Eccleſiam imponitur, vt etiam ad hunc locum Euangelij expreſsè fatentur Beza, & Tremellius hæretici, & facile oſtendunt verba illa Chriſti Domini ſequentia; *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata, & in cælo*; quæ de Cenſuris Eccleſiaſticis etiam eſ-

se intelligenda admittit Caluinus lib. 4. instit. cap. 8. § 15. & quod pœna hæc sit fori exterioris Ecclesiastici, fatentur omnes Catholici, nec possunt hæretici negare, qui nullum forum interius agnoscentes, in quo Sacerdos verè absoluat reum à peccatis, aut illa retineat, nihilominus concedunt excommunicationē, censuram esse Ecclesiasticam. Sed de his fusius agetur Deo dante inferius l. 4. interim noto vim istam, seu authoritatem coactiuam eo fine non esse in supremo controuersiarum iudice, vt immediatè cogat interius intellectum, ad eliciendum assensum, hic enim assensus, cum versetur circa res obscurè reuelatas, postulat ex parte voluntatis piam affectionem, cui vt satis ex se patet repugnat omnis vis exterius illata; sed sicut loquitur D. Augustinus Epistol. 48. ad Vincentium. *Eo fine est hæc authoritas vt homo timendo, quod non vult pati, vel relinquat impedientem animositatem, vel ignoratam compellatur cognoscere veritatem, vt timens vel respuat falsum, de quo contendat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens teneat iam, quod nolebat.*

CAPVT IV.

Quod à supremi iudicis controuersiarum fidei sententia prouocare non liceat, requiraturque insuper vt sit visibilis, viuens, clareque & apte loquens.

PRimam huius propositionis partem non tantùm Catholici, sed etiam hæretici expresè admittunt, videlicet in supremo iudice controuersiarum fidei requiri, vt ab eius sententia nunquam prouocare liceat. Colligitur clarè ex pluries iam citatis Christi Domini verbis Matth. 18. vbi agit de supremo iudice: *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* nam si daretur ei locus ad prouocandum ad aliquem alium iudicem, iam non esset habendus pro Ethnico, & Publicano, id est, non esset vitandus tanquam excommunicatus, seu præcisus omnino ab Ecclesia, si quidem appellatio ex propria sua conditione suspendit sententiam iudicis inferioris. Deinde ad quid Deus in Ecclesia constituisset supremum illum iudicem, nisi ad vltimatè terminandas lites & controuersias fidei; non terminaret autem eas, si ab eo ad alium posset formari prouocatio; neque consequenter contra Hypothesim esset supremus iudex saltem in suo ordine, & quo ad nos; quod addo, quia sicut in foro ciuili, supremus Senatus, licet habeat regem, à quo dependet, & suam mutuatus est potestatem, nihilominus, quia per decretum Senatus nobis innotescit, quæ sit mens legis per regem latæ, nec à decreto supremi Senatus, fit ad regem prouocatio, sed eius iudicio sistendum est, ita etiam, licet iudex omnium controuersiarum habeat Deum supra se, quia tamen voluntas Dei & fidei veritates nobis non innotescunt iuridicè, nisi per sententiam istius controuersiarum iudicis, nec ab illo datur locus prouocandi ad Deum, fit vt rectè appelletur supremus in ordine quo ad nos; eoque à fortiori, quo speciali Dei priuilegio gaudet veritate infallibili in definiendis, & proponendis rebus fidei, vt iam probauimus.

Alias conditiones in secunda propositionis parte contentas, & ad supremum iudicem controuersiarum fidei desideratas, nimirum, vt sit visibilis, spirans & viuens, clarè & aptè loquens in definiendo & qui etiam audiatur; vt hæretici communiter illas negant, secundum quod diuersa huius dignitatis iudiciariæ subiecta assignant; ita omnes Catholici constanter illas admittunt; & primò supremum controuersiarum iudicem debere esse visibilem probant omnia scripturæ testimonia, quibus supra ostendimus Deum illum Ecclesiæ dedisse, semper enim habetur aliqua particula, quæ significet eum debere esse visibilem, spirantem, & viuentem, vt cum Exodi 18. dicit Moyses de seipso tanquam supremo iudice, *veniunt ad me, vt iudicem in-*

inter eos, at certum est Moysem fuisse tunc visibilem, ac viuentem, Deuter. 17. *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, quæresque ab eis, &c.* at interrogatio, & responsio fiunt ab audientibus, & loquentibus; item Matth. 23. de Scribis idem patet, particula enim illa, *quæcumque dixerint*, satis indicat fuisse iudices viuentes, & loquentes, item Matth. 18. *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit*, auditur enim loquens.

Et certè ratio supremi iudicis à Deo instituti videtur id necessario exigere; debet enim habere analogiam, & proportionem, tum ad forum in quo constitutus est iudex, tùm ad personas, inter quos iudicat, ita vt possit illas audire, earumque rationes expendere, possint item illæ viciſſim eum loquentem, & definientem audire: at forum, respectu cuius est supremus noster iudex, est externum & visibile, punit in eo rebelles censuris Ecclesiasticis, quæ pertinent ad forum externum Ecclesiæ; personæ item cōtendentes inter se de aliqua fidei quæstione, sunt inter se visibiles, mutuo se vident & colloquentes audiunt, vt Arius eiusque sequaces, & Episcopi Catholici pro consubstantialitate filij Dei; audiunt item definitionem, quam si contemnant, puniuntur anathemate; iudex item expendit, quæ sint vires authoritatum ab vtraque parte adductarum, vt in proposito exemplo Arianorum, *Pater maior me est*, & pro Catholicis, *ego & Pater vnum sumus*; ergo in supremo iudice controuersiarum fidei requiritur, vt sit visibilis, spirans, & viuens, qui loquatur, & audiatur.

Confirmatur hæc ratio, quia licet per potentiam extraordinariam potuisset Deus ita Ecclesiam instituere, vt nullum ei daret iudicem visibilem, loquentem, audientem, sed tantùm seipsum scripto, aut aliquo alio exteriori signo explicantem, & controuersias religionis dirimentem, quod aliqua probant hæreticorum argumenta, & hoc Catholici non negant, si quidem hoc non repugnat, & omnipotentiæ Dei tantum denegādum est illud quod manifestam inuoluit contradictionem; quia tamen hic statum Ecclesiæ consideramus, secundum quod de facto est institutus à Deo per potentiam ordinariam, qui est, vt tàm forum ipsum, quàm personæ disceptantes, Sacramenta item sint visibilia, controuersię item circa religionem exortæ sensibus exterioribus percipiantur, & pateant etiam exterius; debuit Deus iuxta eamdem potentiam ei prouidere de supremo iudice, qui videatur, loquatur, quique etiam, subditos videre, & audire possit ad vnitatem fidei facilius in Ecclesia conseruandam. Quod egregiè docent Diuus Augustinus lib. 2. quæst. Euangelic. cap. 40. *Doctrina nempè imbuendi per Sacramenta, vel cathechizandi, per sermonem sonantem, atque lectionem, vbi color quidam intelligitur verus, atque sincerus, quia in promptu est, & foris eminentissimus*. Et paulo post subdit. *Non enim in occultis cogitationibus, sed in manifestis operationibus hæc, quæ aguntur, Ecclesiæ propriè contributa sunt. Itaque & Paulus voce Domini audita quid me persequeris? & ego sum Iesus, quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, vt illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color, non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere: nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? Sed vt ipsa Societas congregatorum fidelium approbando inuicem, atque communicando, vera fidei doctrinam in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel signantur Sacramentis, tanquàm vnam speciem veri coloris obducat*.

Ad hoc insuper pertinet quod idem dicit Apostolus ad Galatas cap. 2. *Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam &c. & contuli cum illis Euangelium &c. Ipsa enim*, inquit Augustinus, *collatio vnam doctrinæ speciem exclusa omni varietate monstrabat, quod salubriter etiam Corinthios monet dicens. Id ipsum dicatis omnes &c. Cornelius etiam cum eleemosynæ eius acceptæ, & preces eius auditæ illi ab Angelo nunciarentur, propter doctrinæ tamen*

men, sacramentorumque vnitatem ad Petrum iubetur mittere, tanquam illi, & suis diceretur: Ite ostendite vos Sacerdotibus. Nam & cum irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus: sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis Sacramento, nondũ spiritualiter ad Sacerdotes peruenerant, tamen infusione Spiritus Sancti, & admiratione linguarum eorum mundatio declarata est &c. Quæ cum ita se habeant, iam facile est illud videre fieri posse, vt quisquam in Ecclesiæ Societate doctrinam integram, veramque assequatur, & omnia secundum Catholicæ fidei regulam edisserat, distinguat creatorem à creatura, eoque manifestetur varietate mendaciorum tanquàm lepra caruisse; Hactenus Augustinus, quibus sanè nihil egregius dici potest ad asserendum publicum & visibile Ecclesiæ magisterium, ac iudicium in dirimendis, ac proponendis fidei cõtrouersijs; Quapropter, licet inuitus huic veritati adstipulatur expresè Iacobus Andreas acer Romanæ Ecclesiæ hostis, quando in rationibus è verbo Dei petitis pag. 24. ita loquitur: *Hoc ipso quod visibilis statuitur Ecclesia, necessario sequitur esse in terris generale quoddam regimen Ecclesiasticum &c.* pergitque id ipsum probare ex verbis Christi Domini, *dic Ecclesiæ*, &c.

Quod tandem visibilis controuersiarum iudex debeat clarè & apertè loqui in definiendo, quæ est vltima conditio à nobis adducta, patet, primò quia si tantùm æquiuocè aut obscurè loquatur, erit potius causa litium, nouarumque controuersiarum, quàm earum diremptor, cùm æquiuocatio sit erroris mater, & ex obscuritate ipsæ sępè nascantur difficultates; secundò, quia in hoc munere obeundo debet ferre sententiam ea loquendi formula, quam ipsæ leges postulant, est enim definitio eius lex, statutum, decretum, cui tenentur fideles obedire; atque lex semper debet fieri verbis apertis, ne videatur potius data, & promulgata ad corrodendas pecunias & mulctas imponendas populo ob illius transgressionem, quam ob pacem, & tranquillitatem ciuium, sicut referunt de crudeli quodam Tyranno qui in hũc finem curabat leges suas minutissimis describi caracteribus, & in editissimo loco affigi: ergò debet iudex clarè, & apertè loqui, & ita apertè, vt si quæ noua ex lata ab eo sententia nascatur difficultas, aut controuersia, possit nihilominus iterum conueniri, & vtrique parti, ita mentem suam explicare, vt de ea nullo modo possint amplius dubitare, eùm ipse sit lex vina, & loquens.

CAPVT V.

An supremus controuersiarum index possit esse pars controuersiæ definiendæ.

NEgatiuam partem amplectuntur communiter heretici nostri temporis, scilicet supremum controuersiarum iudicem non posse esse partem cõtrouersiæ dirimendæ, quia nemini, inquiunt in propria causa credendum est; Oppositam sententiam tuentur omnes Catholici asserentes non requiri in supremo iudice controuersiarum fidei; vt non sit pars controuersiæ dirimendæ, quasi id, quod est decernendum, nullo pacto ad eum spectare possit, aut debeat. Probatur primò tum authoritate, tum exemplo ipso Christi Domini, qui Ioannis cap. 8. cum Pharisæi ei obijcerent, *tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, respondit, *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium, quia scio vndè veni, & quo vado*. Ergò etiam supremus controuersiarum iudex, qui ad normam, & exemplum Christi suas actiones componere debet, cum sit visibilis eius in terris Vicarius, potest de seipso, authoritate à Christo recepta, verum testimonium ferre, siue quod idem est partem esse, in controuersijs fidei dirimendis ad illum spectantibus; atque adeò non requiritur in supremo iudice controuersiarum fidei, vt non sit pars controuersię dirimendæ, quasi id, quod est definiendum, nullo pacto ad eum spectare possit.

Quod

Quod si objicias eumdem Christū dixisse Ioannis 5. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*: Respondeo testimoniū Christi Domini pro se prolatum posse duobus modis spectari; primo in se, vel secundum se, prout nimirum est à tali persona; & vt sic fuit semper verum, seu dignum, quod acceptaretur à Iudæis, quia Christus erat veritatis infallibilis, iuxta illud *ego sum veritas, quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioannis 8. Vndè cum Pharisæi *ibidem ei objicerent tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*; respondit vt vidimus, *& si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium, quia scio vnde veni, & quo vado*. Secundò potest testimonium Christi pro seipso prolatum considerari quo ad nos, & respectu eorum quibus loquebatur, & hoc modo adhuc dupliciter, primò præcisè, vt non agnoscitur esse Christi Dei, & hominis, sed existimatur esse puri hominis, nèc habet miracula aut aliqua alia signa, & motiua sibi adiuncta, quibus sufficienter confirmetur. Secundò, vt cognoscitur esse Christi Dei, & hominis, vel vt habet miracula, aut aliqua signa, vel alia similia motiua sibi adiuncta, quibus sufficienter confirmetur. Iam quando Christus Ioannis 5. ait, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meū non est verum*, idest, non est dignum, quod acceptetur: intelligitur de testimonio Christi Domini primo modo cōsiderati *quo ad nos*: Iudæi enim non tenebantur sub peccato infidelitatis credere simplici assertioni Christi dicentis se esse filium naturalem Dei, idque nullo alio modo probantis, siue ex prophetis, siue ex scripturis, siue ex miraculis iuxta illud eiusdem Christi Domini Ioann. cap. 10. *Si non facio opera patris mei nolite credere mihi*, & cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Cæterum stante euidentia credibilitatis, quod esset verus, ac naturalis Dei filius, vt tenebantur id credere, ita & quod esset infallibilis veritatis, quodque consequenter de seipso posset verum perhibere testimonium.

Quod de Christo Domino huc vsque diximus, eodem proportionali modo debet asseri de supremo iudice controuersiarum fidei, posse nimirùm considerari dupliciter, primo veluti secundum se, siue pro vt per specialem Spiritus Sancti assistentiam habet priuilegiū infallibilitatis, & sub hoc respectu, ea ratione qua gaudet tali priuilegio in dirimendis omnibus fidei controuersijs, atque adeò illis etiam, quæ ad eum pertinent, nemini dubium esse potest, quin possit in illis esse legitimus iudex, verumque de seipso iudicium, ac testimonium ferre. Secundò potest idem iudicium, vel testimonium iudicis controuersiarum, non solum pro se, sed in alijs etiam rebus fidei, considerari quo ad nos, & hoc modo adhuc dupliciter, primò respectu infidelium adultorum, qui nondum habent euidentiam credibilitatis, defectu propositionis motiuorum illius, quod supremus iudex controuersiarum fidei, ex peculiari assistentia Spiritus Sancti gaudeat priuilegio infallibilitatis in proponendis, & explicādis, quæ sunt credenda: Secundò respectu eorū, qui vel iam habent de hoc euidentiam credibilitatis, vel fidem amplexi sunt. Iam ergò si consideretur supremi iudicis controuersiarum testimonium primo modo, dicendum est non esse verū, seu dignum, quod acceptetur; quamdiu enim defectu euidentię credibilitatis nō constat nobis certo supremum controuersiarum iudicem habere infallibilem veritatem in definiendis, & proponendis rebus fidei, non tenemur illi credere, simplicique illius testimonio, tam in rebus fidei ad illum pertinentibus, quam non pertinentibus; secus autem, si posteriori consideretur modo, id est respectu eorum, qui vel jam habent de ipso euidentiam credibilitatis, vel fidem amplexi sunt.

Ex quibus satis patet, adductum S. Ioannis locum nihil facere cōtra nos, nec probare, quod nec Christus, nec supremus controuersiarum iudex ab eo in

in Ecclesia institutus possint de seipsis testimonium ferre; atque adeo nec partes esse controuersiarum dirimendarũ, sed tantam homines non teneri certò,& indubitanter illis assentiri, quamdiu vel nondum homines venerunt ad fidem, vel saltem non habent supradictam credibilitatis euidentiam, nec de Christo, nec de supremo iudice controuersiarum ab illo instituto; cæterum in ijs,qui iam receperunt fidem,diuinæ fidei assensus, qui datur contra errores, dubitationes, difficultates insurgentes circa obiecta particularia diuinæ fidei,siue pertineant ad ipsummet supremum iudicem, siue non, ordinariè & communiter,resoluendus est in authoritatem illius, tanquam regulam animatam, & viuam infallibiliter proponentem & explicantem credenda, propter infallibilem assistentiam Spiritus Sancti Promissã Ecclesiæ,quæ modo inferius explicando sola est vniuersalis & suprema fidei magistra;controuersiarumque circa illam exortarum iudex ex ordinatione Christi Domini.

Secundò probatur sententia Catholica,quia Apostolus pro Apostolatu suo testimonium ferre non erubuit, nec indecorum putauit suum in cælum raptũ publicare, cùm hoc ad fideles in Dei cultu ardentiores,& in Ecclesiæ gremio continendos, videret esse necessarium; ergò etiam pariter,cum supremi controuersiarum iudicis authoritas sit vniuersis per Ecclesiam fidelibus necessario credenda, potest tàm illam adstruere, proprioque decreto confirmare, quam alia plura ad illam pertinentia.

Tertiò probatur ratione desumpta ex proportione huius supremi nostri iudicis ad supremos iudices reipublicæ; in qualibet republica ita habet praxis, vt si quis reuocet in dubium authoritatem ipsam principis, vel aliquid contra eum moliatur, ab ipsomet Rege, seu ab aliquo vices eius gerente condemnetur, nec ei vnquam licet hunc recusare, & prouocare ad alium; ergò cum iudex ille, de quo agimus in præsenti, sit etiam supremus in foro Ecclesiastico, non definet esse iudex legitimus eorum,qui vel reuocant eius authoritatem in dubium, vel aliquid, quod ad rempublicam Ecclesiasticam pertinet. Insuper validè & legitimè quilibet Rex, & Princeps potest rebelles sibi subditos compellere vt obediant, etiam sub pœna mortis; ergò similiter supremus controuersiarum iudex poterit sub pœnis ab eo latis compellere subditos, vt obediant, ac proindè ferre sententiam de ea re, quæ eum aliquo modo tangit.

Quartò si supremus controuersiarũ Iudex, atque adeò Ecclesia, quæ vt dicemus infra sola est talis, non posset esse pars controuersiæ dirimendæ, iam præcluderetur via condemnandi quamlibet heresim: nam si secundum Caluinistas & Lutheranos Scriptura sacra est iudex controuersiarum fidei: quomodo Caluinista condemnabit Lutheranum reijcientem epistolam Sancti Iacobi tãquàm stramineam; quomodo item Lutheranus Caluinistam asserentem verba illa, *hoc est corpus meum*, esse tantùm intelligenda figuratè, & tropicè, cum in vtraque controuersia agatur de ipsamet scriptura? Quod si dicant in hoc etiam sacram Scripturam posse esse iudicem; ergò falsum est quod dicunt requiri ad supremum controuersiarum iudicem vt non possit esse pars controuersiæ dirimendæ, solùmque inter nos, & illos superit difficultas, quodnam in particulari sit supremus controuersiarum iudex, de quo agemus in sequentibus, cũ huc vsque tantùm fuerit sermo de suprema potestate iudiciaria controuersiarum fidei, & conditionibus essentialiter ad illam requisitis, abstrahendo à subiecto singulari,& determinato in quo reperiatur.

Quintò tandem asserimus propositionem illam, *nemo potest esse pars, testis, vel iudex in propria causa*, ad summum esse tantùm veram de iudice inferiori, & quando factum, de quo agitur, illum respicit, non vt publicam, sed vt priuatam dumtaxat personam; secus autem si sit supremus iudex factumque ad illum vt talem pertineat; certum quippè est sic illi licere iuxta meliorem, & re- ce-

coptiorem sententiam in causa propria ius dicere: Primùm ex cap. *cum venissent*, extr. de iudicijs. *Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicari*. Secundò ex cap. *Nouit*. de iudicijs, vbi Rex in causa fiscali stabilitur iudex legitimus: Tertiò ex cap. *Insuper* de testibus, vbi inferioribus prælatis in causis suarum Ecclesiarum testificari licet. Quantò ergò magis supremo iudici controuersiarum fidei ius suũ dicere licebit, vt postquam illud dixerit, subditi sine vlla exceptione statim credere debeant & assentiri, vbi agitur de rebus fidei, controuersiæque definiendæ ad illum pertinent, non sub ratione alicuius priuatæ personæ, sed publicæ, nec pronuntiat sententiam studio priuati commodi, sed fidei veritatis tuendæ, ad quod munus infallibilem habet Spiritus Sancti assistentiam. Vndè etiam aliqui heretici Lutherani hanc nostram sententiam admittunt, vt Sclufelburgius libro 3. confutat. Theologiæ Caluinistarum artic.2. vbi agendo de Theologia Ioannis Sturnebij, non longè à principio, & respondendo ad eius argumentum, quo contendebat Lutheranos non posse cõdemnare falsos doctores, quia nemo posset simul accusator esse, & iudex, respondet propositionem esse falsam in dogmatibus fidei; & certè si res non ita se haberet, vellem ad hominem contra Caluinistas quærere, quo iure potuerit Caluinus consilium & operam præstare, vt Seruetus ob suam hæresim conijceretur in vincula, quod tamen fecisse fatetur libenter in expositione errorum Serueti.

CAPVT VI.

Vtrum spiritus particularis sit supremus index controuersiarum fidei.

POstquam in superioribus vidimus, dari in Ecclesia supremum aliquẽ iudicem omnium fidei controuersiarũ, explicuimusque conditiones ad illum necessariò & essentialiter requisitas, nũc ex eo, quòd illæ alicui inexistant, vel non inexistant, nobis est diiudicandum, quis sit ille supremus iudex, vel quis non sit. Tota autem hæc difficultas videtur esse tantùm de tribus; cùm enim fides infusa, & supernaturalis innitatur reuelationi Dei, omnis verò diuina reuelatio fiat communiter vno modo ex his tribus, scilicet, aut quatenus Deus reuelat vnicuique priuatim, quid debeat credere, aut quatenus id fecit per scripturam sacram, quæ est verbum eius, aut per Ecclesiam Christi sponsam, quã Matth.18. iubemur audire, hinc fit, vt in aliquo horum trium debeat esse summa illa potestas definiendi, & proponendi res per fidem credendas. Primũ autem inquirimus an spiritui particulari conueniat, vbi nomine spiritus particularis nil aliud intelligimus, quàm priuatam reuelationem Spiritus Sancti, quam vnusquisque sibi in particulari factam de intelligentia & fide rei alicuius credendæ assereret.

Omnibus ferè hæreticis tàm antiquis, quam modernis, nihil familiarius fuit ad publicam veritatem tollendam, quàm se suosque proprios, & priuatos spiritus facere vltimam credendi, controuersiasque fidei decidendi regulam. Sic apud Irenæum lib.1.cap.9. quidam Marcus Corolobasseus per spiritum paredrum prophetare videbatur, & quotquot probabat; participes gratiæ suæ prophetare faciebat. Cherinthus per reuelationem Dei, & Angelorum dicebat se habere doctrinam, quam contra Apostolicas traditiones prædicabat. Apelles in Philomelam impingens, virginem prius, sed infame postea eius scortum, cum afflatam quodam numine esse putaret (*erat namque in ea*, inquit Tertullianus, *Angelus seductionis, qui sub specie pueri eidem apparens modo Christum, modo Paulum se esse dicebat, & per os eius multa diuinabat*) omnes suos æstus, & conatus impios cum illa conferens suarum doctrinarum comitem habuit, atque magistram, vt librum quoque inscriberet: Philomelæ prophetias, & Phanerofeis, hoc est prædictiones, ap-

paritiones, reuelationes; cuius Philomelæ fautores etiam fuerunt Seueriani, qui ex D. Augustino lib. de hæref. c. 24. eam diuinitus inspiratam ad prædicenda futura credebant.

Montanus quoque seipsum, Theodoreto teste, Paracletum appellauit, & duas prophetissas effecit, Priscam, siue Priscillam, & Maximillam, earumque scripta propheticos vocauit libros: cui hæresi, contra quam fusissime disputat S. Hieronymus ad Hebid. quęst. 9. & epistola 54. ad Marcellam, multi postea adhæserunt, & inter illos infelix Tertullianus, qui illum sacræ Scripturæ locum: *Multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo; & cum venerit Spiritus Sanctus ille vos docet* (sic enim habent Græci codices) *in omnem veritatem*: detorsit ad suum Montanum plurimis in locis, cùm prius lib. de præscript. cap. 8. illud idem testimonium Catholicè de Spiritu Sancto Apostolos docente interpretatus fuisset. Maniehęi hos hæreticos imitati dixerunt etiam, non in Apostolos, sed in suum Archimanichæum (fuit autem iste quidam Manes Persa) Spiritum Sanctum descendisse, veritatem docuisse, & mundo per ipsum illam communicare voluisse: contra quam heresim acerrimè inuehitur D. August. tract. 96. in Ioannem 97. & 98. ostendens allegoricè esse illam mulierem Prouerb. cap. 9. descriptam, quæ *cum sit inops panis promittit panes*, id est, cum sit ignara veritatis promittit scientiam veritatis; contra eamdem disertè S. Vincentius Lyrinensis lib. contra prophanas vocum nouitates disputat cap. 37.

Ab hac eadem heresi de facto non recedunt heretici nostri temporis siue Lutherani, siue Caluinistæ, etsi enim interdum sacram Scripturam supremum iudicem omnium controuersiarum fidei statuere videantur; nihilominus tamen vbi & illic se à causa cadere animaduerterunt, dùm vlterius venitur ad discernendam veram scripturam à non canonica, ad diiudicandum, quis sit verus & genuinus huius & illius loci scripturæ sensus, receperunt se velut intra spatia imaginaria, quò Catholicorum indago penetrare non posset, nempè in sua critiria, ac domesticum spiritum, seu internum Spiritus Sancti testimonium, quod ab vnoquoque fideli interius pręsentiri iactant. Hunc spiritum supercilio plusquam thrasonico sibi arrogans Lutherus dicere solebat, se nihil in scriptura ignorare, vt habetur in suo libro de seruo arbitrio. Bucerus, Brentius, & Melancton ne latum vnguem à Luthero discedentes passim in suis operibus dogmatizarunt posse vnumquemque de rebus fidei iudicare, scripturasque intelligere. Thomas quoque Muntzerus, qui primus inter Lutheri discipulos à Secta Lutheri desciuit, & postea Anabaptistarum, Enthusiastarumque omnium pater, cęlestes afflatus expectabat de cælo, & nec scripturis fidere suos volebat, sed somnijs accepti spiritus, vndè dicti sunt hi Enthusiastæ cælestes prophetæ. Cuius erroris acerrimus postmodum propugnator fuit Suuencfeldius, qui apud Hosium lib. de heref. nostri temporis, etiam in causa fidei scripturam reprobauit, dixitque non conuenire Christiano nimium creaturæ addictum esse, Deum audire oportere, huius voces de cælo expectandas esse, *Beatus vir*, inquit Dauid, *quem tu erudieris domine*. Acquè nos docere hodie, atque olim Patriarchas, & Prophetas, visionibus, ac somnijs esse attendendum, illis enim loquitur nobis Deus.

Sed quid de Caluino? ne quid intactum in Ecclesia dimitteret, quod non oppugnaret, ad eumdem spiritum confugit; etsi enim lib. 1. suarum institut. cap. 9. hunc errorem ex professo impugnare videtur, nihilominus expressè libro 1. suarum institut. cap. 7. §. 4. ait, persuasionem quod hęc scriptura sit sacra, seu à Spiritu Sancto, petendam esse ab arcano testimonio spiritus, quod nihil aliud sonat, quam per priuatam reuelationem factam cuilibet fideli istud diiudicari. Quod idem docet tùm in harmon. Euang. Matth. cap. 7. tùm in commentarijs in cap. 7. S. Ioannis, super

illa

illa verba, *Si quis voluerit voluntatem eius facere &c.* Exigit, inquit, *hic Christus rectum iudiciũ manare ex timore Dei, & reuerentia: ideo si animos habent ad timorem Dei compositos, facile agnituros, an verum sit nec ne, quod prædicat.* Et paulo post, *si parati sumus in Dei obsequiam, minimè illum nobis defuturum, quin Spiritus sui luce affulgeat, vt discernere liceat inter veritatem, & mendacium.* Vnde etiam Caluinum secuti sunt eius discipuli, Petrus Martyr in locis communibus prima classe cap.6.ait, *Vnumquemque fidelium doceri à Christo, quæ sunt fidei, & neminem esse verum Christianum, cui tam parum diuini spiritus concedatur, quin valeat ex sacris litteris haurire & iudicare* (hæc enim sunt eius verba, inter quæ hoc vltimum est etiam notantum) *quæ necessaria sunt ad salutem.* Et licet Vittacherus magistri inconstantiã imitatus lib. contra Bellarminum controuersia & quęst.5. cap.5. in responsione ad vltimum locum, neget spiritum particularem esse iudicem controuersiarum fidei, nihilominus sequenti octauo capite sui immemor, contra illud, oportere mendacem esse memorem, nõ tantùm id concedit, sed varijs tùm Scripturæ tum Patrum testimonijs nititur probare, vnumquemque fidelem esse à Deo edoctum, & esse Spiritalem illum hominem, qui primæ Corinth. cap. 2. *omnia diiudicat*, & proindè etiam controuersias fidei: & ibidem argumento suo 7. & 8. contendit omnem doctrinã primùm ab vnoquoque fideli probandam esse, ita vt discussionem seu examen illius præmittat, deinde probet, vel improbet; quod certe nihil aliud est, quàm priuatum spiritum introducere omnium controuersiarum fidei iudicem.

Tandèm ne diutius immoremur in referendis pro hac hęresi præcipuorum Caluinistarum testimonijs, Caluinistæ Galliæ in collatione Parisijs habita cùm doctoribus è Sorbona, anno 1566. cùm ab illis fundamentum suæ fidei quæreretur, post multa, variaque subterfugia in priuato, & interno Spiritus Sancti testimonio, tanquam in præsidio firmissimo steterunt; quin imo articulo 4. suæ confessionis iuxta editionem Rupellanam, anno 1609. clarè, & distinctè illud asserunt: ibi enim dicunt se dignoscere libros Canonicos à non Canonicis, non tàm communi consensu Ecclesiæ, quam interiori testimonio, & suasione Spiritus Sancti, docentis eos discernere ab alijs: vbi certè per testimonium istud interius sacræ Scripturæ nihil aliud possunt intelligere, quàm priuatam reuelationem vnicuique factam, cùm illud expresse opponant communi consensui Ecclesię, qui aliquid publicum sonat, vt satis ex se patet: vndè cum ex dictis supra, idem sit supremus iudex vnius controuersiæ fidei, ac omnium reliquarum, & iuxta hunc articulum quartum Confessionis Caluinisticæ Spiritus particularis sit iudex istius controuersiæ, v. g. num *libri Machabæorum sint Canonici, sicut quatuor Euangelia*; fit, vt etiam secundum eorum opinionem Spiritus ille particularis sit supremus iudex omnium controuersiarum fidei.

Verum contra hunc tàm antiquorum, quàm modernorum hęreticorum errorem fuit perpetuum & constans fidei dogma, *Spiritum particularem non esse supremum iudicem controuersiarum fidei.* Colligitur primò ex authoritate veteris testamenti Numer. cap. 12. vbi expresse condemnatur hic Spiritus particularis, cùm enim Maria Soror Moysis, & Aaron dixissent, *num per solum Moysem loquutus est Dominus, nonne & nobis similiter loquutus est?* statim subiungitur, *quod cùm audisset Dominus iratus est.* Item Hieremiæ 23. capite, *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini*; & paulò post, *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*; quem locum S. Hieronymus ad hoc caput adaptat hęreticis, *Ad eos*, inquit, *sermo dirigitur, qui credunt somnijs, & omnia quæ cernunt putant esse diuinam reuelationem &c.* & infra, *Suntque hodie in Ecclesia Somniatores,*

res, & maxime in nostro grege, qui errores suos Domini faciunt prophetiam, & crebrè ingerunt somnia somniaui &c. Itẽ Ezechielis cap. 13. hæc dicit Dominus, *Væ Prophetis insipientibus qui loquuntur spiritum suum, & nihil vident*; ad quem locum idem S. Hieronymus in commẽtarijs ait falsos illos prophetas referre hęreticos, qui Dei spiritum relinquentes, sequuntur Spiritum suum, quia *nequaquam*, inquit, *diuino instinctu, sed proprio corde vaticinantur*, & subdit, *vndè licet sibi in mysterijs, imo in orgijs suis, plura Ecclesiasticis doctoribus videre videantur, tamen nihil omnino vident*.

In nouo quoque testamento expressè hic idem spiritus particularis damnatur, & expuitur, dum Sanctus Paulus primæ ad Corinth. cap. 12. enumerans varia dona & gratias gratis datas, & inter illas, *discretionem spirituum, prophetiam*, negat tamen illas esse in omnibus & singulis fidelibus; *alij*, inquit, *datur prophetia, alij discretio spirituum*, & circa finem eiusdem capitis, *numquid omnes propheta? numquid omnes doctores? numquid omnes interpretantur*, quasi dicat, *non*: quod antea confirmauit sumpto exemplo à singulis membris corporis, quæ non vnum & eumdem actum habent: At spiritus ille particularis secundum illius Patronos, in omnibus fidelibus ad fidem ab heresi, scripturam Canonicam ab apocrypha, & veram interpretationem illius à falsa, & commentitia secernendam, reperitur. Ergò omnes discretionem habent spirituum, & interpretationem sermonum contra manifesta Apostoli verba, & doctrinam. Iuxta quam statim ab initio Ecclesiæ, tempore Apostolorum, & post eorum mortem, ab omnibus Catholicis ij semper inter hęreticos sunt habiti, qui hunc spiritum particularem sequebantur; sic Irenęus lib. 1. aduersus hęreses cap. 9. egregiè insectatur Marcum, qui suas prophetare mulieres faciebat hac solẽni propheticæ inaugurationis formula: *Aperi os tuum, & loquere quæcumque & prophetabis*. Et cap. 25. Cherinthum, inter cuius absurda refert Eusebius libro 3. histor. Ecclesiast. cap. 12. quòd suas præstigias quasi per angelos sibi ostentatas fuisse comminisceretur.

Eadem censura notati sunt Montanus, & Maximilla, vt videre est apud eumdem Eusebium lib. 5. cap. 15. nam inter causas, propter quas extrusi fuerint ab Ecclesia, hanc refert, *quòd*, scilicet, *contrà quam Ecclesiæ consuetudo, tùm traditione tùm successione, antiquitus ab Apostolorum temporibus eò vsque deriuata postulabat, prophetare incepissent, id est, particulares reuelationes prætenderent*, circa quem locum Eusebij, diligenter notanda sunt verba illa, *contrà quam Ecclesiæ consuetudo, tum traditione, tum successione, antiquitus ab Apostolorum temporibus eò vsque deriuata postulabat*; significant enim Ecclesiam tunc iudicasse esse cõtra consuetudinem successione & traditione ab Apostolis deriuatam, ita vni aut alteri priuato dari spiritum reuelantem quæ sunt fidei, non autem in eis sequi communem totius Ecclesiæ consensum.

Secundò probatur sententia catholica varijs rationibus, prima est, quia spiritus ille particularis, quem hæretici stabiliunt pro supremo iudice controuersiarum fidei, caret conditionibus ad illum superius requisitis: ergò talis spiritus, quocumque modo consideratus, non est iudex controuersiarum fidei. Consequentia est certa, si antecedens est verum; veritas autem illius facile ostenditur, discurrendo breuiter per singulas conditiones superius explicatas. Prima est, quòd ita sit veritatis infallibilis, vt de illa constet singulis fidelibus; cuius tamen oppositum reperitur in spiritu particulari; quod sic probo, primò, quia de illo spiritu non potest constare omnibus ac singulis fidelibus, quod sit veritatis infallibilis; de quo potest etiã prudenter dubitari, vtrum sit bonus, & qui propterea sit probandus, antequam ei credatur; satis enim patet, quòd si prudenter dubitatur, an sit bonus, prudenter etiam dubitatur an sit fallibilis, malis enim spiritibus familiare est mentiri, velleque fallere: Sed prudenter dubi-

dubitari potest, vtrum priuatus ille spiritus reuelans sit bonus, & antequam ei credatur est probandus, ex Apostolo 2. ad Corinth. cap. 11. vbi monens Corinthios, ne credant Speudoapostolis, quia sunt subdoli, ait hoc non esse mirum, *ipse enim*, inquit, *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*; ergò de illo non potest omnibus, ac singulis fidelibus certò constare quod sit veritatis infallibilis. Deindè vt ipsimet hæretici fatentur, Spiritus ille particularis, non est talis, cui tanquam iudici infallibili debeamus credere, antequàm eum probauerimus, quam probationem, aut examen fieri dicunt, ex eo quod loquatur consentaneè Sacris Scripturis, vel rebus antea per fidem cognitis: at non omnes & singuli fideles possunt examinare, probare, & dignoscere, vtrum spiritus reuelans sit bonus, & malus, vt patet ex superius citato loco Apostoli 1. ad Corinthios cap. 12. nec an loquatur consentaneè sacris litteris, vel rebus antea per fidem cognitis, plures enim sunt laici, etiam pij, qui nullo pacto id possunt præstare, cum plerique eorum etiam non didicerint legere, & in ijs, qui valent doctrina, & ingenio, sit præterea opus, ex ipsa confessione hæreticorum cognitione linguarum originalium, puta Hebraicæ, & Græcæ, item comparatione vnius loci cum alio, & multis alijs similibus, non igitur omnibus, & singulis fidelibus constare potest de spiritu illo particulari, vtrum sit veritatis infallibilis.

Vltra quod, si spiritus ille particularis, quem in omnibus verè fidelibus dicunt hæretici residere, probari & examinari debeat, per analogiam, & conformitatem quam habet cum scriptura, & alijs fidei mysterijs, priusquam teneamur illi credere, & acquiescere tanquam infallibili controuersiarum iudici, manifestè sequitur, non tam illum, quàm Sacram Scripturam esse dicendum iudicem, aut regulam, ad cuius normam ipse spiritus dirigitur, & dignoscitur. Et tandem, cum velint hæretici, ipsum spiritum particularem esse Spiritum Sanctum testificantem in cordibus nostris, cuius proprium est seipsum, cum obiectis quæ reuelat, manifestare, inutiliter probari, & examinari debet, saltem respectu illius personæ cui immittitur, & in cuius cordibus dicitur irradiare, quippè cum illico debeat ei acquiescere.

Secunda conditio requisita ad supremum iudicem controuersiarum fidei, est authoritas proponendi fidelibus veritates à se definitas tanquam de fide, & item authoritas obligandi fideles, vt illas suscipiant; hunc autem Spiritum particularem, nullam penitus habere exteriorem potestatem coactiuam, qua fideles compellat ad credendum, quod proponit, clarius patet quam quod probatione indigeat, tum ex eo quod sit aliquid inuisibile, tùm etiam ex eo, quod aliquid particulare; Vnde etiam si per impossibile vnusquisque fidelis tàm perfectò præditus esset sapientiæ dono, vt beneficio illius posset omnia diiudicare, quemadmodum aliqui hæretici interpretantur illum locum Apostoli 1. Corinth. cap. 2. *Spiritualis omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur*. Non propterea tamen de omnibus fidei controuersijs tale iudicium ferre posset, vt nempè cogeret sua authoritate, & scientia alios in suam sententiam abire: hoc enim absurdissimum esset, quia sic in plebeis, & simplicibus Christianis, imò & in fœminis inesset suprema authoritas iudicādi de fide. Homo ergò spiritualis de omnibus dicitur ab Apostolo iudicare, id est discernere, seu iudicium discretionis ferre, bonum à malo, & falsum à vero, secundum sapientiam sibi à Deo datam; illius autem iudicium nemo tenetur propterea sequi, cum nullam habeat potestatem Christianos ad sibi credendum obligandi, vt clarè constat ex editione Græca, nam quod vulgatus interpres vertit, diiudicat, Græca editio habet anactinei, id est discernit, & non iudicat; ita vt eius iudicium sit ad summum discretiuum, sed non coactiuum, neque alios ad sibi consentiendum obligans, atque adeò non habens conditiones essentialiter requisitas ad rationem su-

supremi iudicis controuersiarum fidei.

Præterquam quod, per spiritualem qui de omnibus iudicat, multi, etiam hæretici negant intelligendum esse vnũquemque hominem fidelem, aut Christianum spiritu regenerationis præditũ. Cùm enim ibi opponat Apostolus hominem spiritualem, animali, quem ait non posse percipere ea quę sunt spiritus: per animalem autem non intelligat infidelem, sed rudem, & adhuc penè infantem in doctrina Christiana, nondumque altissimorum fidei mysteriorum capacem, vt ex prioris ad Corinthios c.3. videre est; *Non potui vobis*, inquit, *loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus, & paruulis in Christo*. Ideò hoc loco per spiritualem intelligit hominem perfectum, in doctrina Christiana prouectum, & dono sapientię à Deo præditum: quod quidem donum frequenter in Ecclesia primitiua plerisque fidelibus, non tamen promiscuè & omnibus conferebatur. Cum igitur Spiritum illum particularẽ, quẽ hęretici comminiscuntur, statuuntque pro supremo iudice controuersiarum fidei, omnibus fidellibus dari velint, imò nullum dicant verum fidelem esse, qui eo non sit præditus, manifestè sequitur locum hunc Apostoli de homine spiritu ipso particulari affecto non posse intelligi, atque adęò nihil conducere ad probandum, spiritum particularem esse supremum iudicem controuersiarum fidei.

Secunda ratio potest desumi ex fine quem habuit Deus in instituendo supremo aliquo iudice controuersiarum fidei; qui certè nullus alius fuit quam vnitatis fidei conseruatio, pacificaque omnium dubiorum fidei inter catholicos nascentium compositio; non enim est *Deus dissensionis, sed pacis*; at huiusmodi Spiritus particularis potius diuidit, & soluit quam vniat, dissensiones parit, quam pacem, magis dispergit, quàm congreget ad fidem; præterquam quod enim ille soluit Iesum, vt ait D. Augustinus tract. 6. in Epistol. Ioann. qui vel Ecclesiam à Christo, vel seipsum ab Ecclesia vel qui ipsam Ecclesiam diuidit, qualis est ille spiritus particularis nouatorum Ecclesiæ authoritatem contemnentium infallibilitatem negantium; insuper si semel Deus reliquisset iudicio vniuscuiusque quid esset credendum, & quo sensu scriptura esset accipienda, viam ad horribilem confusionem aperuisset: quisque enim spiritum suum, supra eum sui proximi iactaret, nec vellet eum pro quolibet altero relinquere: imò non deberet: quippè quem crederet esse spiritum sanctum sibi assistentem, & mysteria fidei reuelantem: quod cum absurdissimum sit, omninoque alienum à fine supremi controuersiarum iudicis, absurdissimum quoque est asserere, Deum nullum aliũ fidei iudicem, præter hunc spiritum particularem, statuisse. Quod etiam verum est, siue consideretur huiusmodi spiritus seorsim, siue consideretur analogicè ad scripturas, vel res antea per fidem cognitas; præterquam quod enim non est omnium fidelium, vt iam vidimus, examinare, probare, & diiudicare, vtrum spiritus reuelans sit bonus, vel malus? an loquatur consentaneè sacris litteris, vel non? Omnes insuper hæretici clamant se loqui conformiter ad sacras litteras, & fidei dogmata; vt enim spiritus particularis Caluino dictat solã figuram corporis Christi esse in augustimo Eucharistiæ Sacramento, & hoc (vt putat Caluinus) conformiter ad sacras litteras, & fidei dogmata, ita Luthero dictat verè & realiter cum substãtia panis esse corpus Christi in Eucharistia; & Anabaptistæ non esse homines baptizandos ante ætatem adultam, &c. cum ergo quot capita sint, tot prætendi possint priuatæ reuelationes conformiter etiam, & consentaneè ad scripturas, vt suus vnicuique spiritus suggerit, concludendum est talem spiritum quocumque modo consideratum non posse esse iudicem controuersiarum fidei, potiusque vnitati fidei, obesse, quam prodesse, vt in simili arguit D. Augustinus lib. 11. contra Faustum cap. 2.

Confirmatur hæc ratio, quia si in religionis dissidijs ad huiusmodi priuatum vniuscuiusque spiritum confugiendum

dum est, tanquam ad supremum illorum iudicem, vel iste spiritus dictat esse credendum omnibus sectarijs, vel non: si omnibus, ergò sequitur, vt dicebat Rhetorius apud D. Augustinum lib. de hæresib. omnes (quod incredibile est, contradictionemque inuoluit) hæreticos rectè ambulare, & vera sentire; sequitur etiam spiritum inclinare ad assentiendũ propositionibus contrariè oppositis: nec enim inter hæreticos conuenit, sed mira est apud plerosque dissensio, & contradictio; si nulli credendum, habetur intentum, priuatum, videlicet, & particularem spiritum non esse controuersiarum iudicem: si dicas quibusdam sic, quibusdam verò non ad credendum inclinare, cùm non videatur maior ratio de his, quàm de illis, si quidem singuli eorum assertores glorientur se verum habere spiritum Dei, seque loqui conformiter ad Sacras Scripturas; oportet de necessitate, quod præter illum spiritum particularem, detur in Ecclesia aliquis alius supremus iudex, qui de illius bonitate, vel malitia iudicium ferat, fidelibusque proponat, quis loquatur conformiter Sacris Scripturis, quis non; nisi velimus dicere Deum Ecclesiæ sufficienter non prouidisse, sed omnia confundere voluisse.

Tertia ratio desumitur ex modo, quẽ secundum viam ordinariam diuina seruauit prouidentia in manifestandis fidei veritatibus: nàm sicut Ecclesiæ institutio est iuxta legem Dei ordinariam intra ordinem gratiæ, nec illam transcendit, ita & institutio eorum, quæ requiruntur ordinariè in Ecclesia: atqui inter ea, quę ordinariè requiruntur in Ecclesia, vt intra ordinem gratiæ constituta est, annumeratur ipse iudex controuersiarum fidei, vt vidimus supra: igitur debet iudex ille esse institutus iuxta legem Dei ordinariam: at Dei lex ordinaria non est, quòd per seipsum reuelet, aut proponat vnicuique priuatim, & in particulari, quæ debeat credere, quis sit genuinus Scripturæ sensus, & illum per seipsum immediatè definiat, sed per aliquos homines: igitur iudex controuersiarum fidei, non potest esse ille spiritus, sed homo aliquis, vel cætus aliquis hominum visibilis, spirans, & viuens, clarè & apertè loquens in definiendo, & qui etiam audiatur, vt probauimus supra. Vltima huius discursus minor, in qua solùm est difficultas, non potest efficacius probari, quam inductione facta per omnia tempora: & quod pertinet ad prima, post creationem Adami, quem primum præceptorem hominum dedit Deus: nostram propositionem vt veram admittunt ipsimet hæretici, vt Caluinus lib. 1. instit. cap. 6. §. 1. & 2. Kemnitius in suo examine primi decreti 4. sessionis Concilij Tridentini.

De tempore Abrahami patet Exodi 8. *Scio* (inquit Deus loquens de Abrahamo) *quid præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini*; de tempore Moysis constat Exodi 18. & Deuter. 17. vbi aliqui deputantur iudices controuersiarum, quæ circa religionem orientur: quod iterum fit tempore Iosaphat Regis Iuda lib. 2. Paralip. cap. 19. Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*: hinc quando agitur de diuite Epulone in Euangelio Lucæ 16. dicitur, *habent Moysem, & Prophetas, audiant illos*. Item Matth. 13. Iudæi remittuntur ad Scribas & Pharisæos; Marci vltimo mittuntur Apostoli prędicare: Act. Apost. 8. Deus non docet per seipsum eunuchum, sed ad id præstandum mittit S. Philippum: Act. 9. Saulus dimittitur instruendus per Ananiam; Act. 10. monetur Cornelius Centurio vocare S. Petrum, vt discat ab illo res ipsas fidei, & Apostolus ideo ad Romanos 10. dicit *fidem esse ex auditu, auditum per verbum Dei, nec homines posse credere sine prædicante*; & ad Ephes. 4. *Deum dedisse Apostolos, Euangelistas, Doctores, & Pastores ad agnitionem fidei, vsque ad consummationem sæculi*; quia Deus ordinariè docet homines per homines ipsius fidei dogmata; & ob hanc etiam causam idem Apostolus ad Galatas cap. 2. testatur se ascen-

ascendisse Hierosolymam, vt cum Petro & alijs Apostolis de suo Euangelio communicaret, *Ne*, inquit, *in vanum currerem*. Et quia vt docent Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & Hieronymus Epistola 12. ad Augustinum, eius Euangelium nullam authoritatem habere potuisset, nisi per istos viuos & supremos iudices fuisset approbatum.

Vndè si ipsis nostris ducibus, Diuoque Paulo, quantùmuis per reuelationem Iesu Christi suam accepisset Euangelij doctrinam, non satis fuit reuelatio illa spiritus, nisi adhuc ad regulam Ecclesiæ Catholicæ Hierosolymis congregatæ confugeret, vt ibi sua probaretur doctrina; multò minus debent sufficere particulares reuelationes, aut entusiasmi priuatis hominibus facti, nulla præsertim vel authoritate, vel sanctitate vitę, aut signorum testimonio suffultis, sed necessario recurrendum est ad iudiciũ Ecclesię, quæ cùm sola sit columna, & firmamentum veritatis, ita etiam ad illam solam pertinet, tàm huiusmodi spirituũ, quàm cæterarum fidei veritatum authoritatiua approbatio, ac propositio. Et hoc est, quod docuit Gregorius Nazianzenus in Apologet. primo. Hoc in Ecclesia constituisse Deum, vt alij pascantur, imperiumque accipiant (quibus id vtilius est) ac tùm sermone, tùm opere ad officium dirigantur. Alij è contra ad concinnitatem perfectionemque Ecclesiæ, Pastorum, Magistrorumque munere fungantur, nimirum, qui virtute, necessitudineque ad Deum, & familiaritate vulgus antecellunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam sustinentes. Chimericus ergò, callidèque ad euertendam veram regulam, & legitimum controuersiarum iudicem eludendum introductus fuit à Sathana se se transfigurante in Angelum lucis spiritus ille particularis, & priuatus, quem in omnibus verè fidelibus dicunt hæretici residere, vt eo afflante de fidei dogmatibus authoritatiuè pronunciare, vel controuersias religionis definire possint.

Quarta tandem, & vltima ratio potest desumi, ex ipsamet huius spiritus particularis vanitate, & fictione, quia aut ille spiritus, si daretur singulis fidelibus, pertineret ad gratiam gratum facientem, aut ad gratias gratis datas; si si ad gratiam gratum facientem, iam statim, ac quis mortaliter peccaret, non haberet talem spiritum perdita gratia, vnde etiam non valeret amplius doctrinas discernere, & quæstiones fidei definire; Si dicatur pertinere ad gratias gratis datas; contra est primò, quod hæ primò & per se dantur in bonum proximi, vt docent Theologi ex professo 12. hic autem spiritus reuelans, interiusque testificans in bonum proprium ex opinione aduersariorum. Secundò inquiro ad quam gratiam gratis datam sit reducendus, an ad prophetiæ donum, an ad sermonem sapientiæ, vel scientiæ, an ad discretionem spirituum, aut similia de quibus D. Paulus 1. Corinth. cap. 12. Si ad prophetiæ donum, iam incerta nobis redditur regula fidei; nec enim vt probat ex diuinis Scripturis Gregorius Homil. 1. in Ezech. Spiritus prophetiæ Prophetarum mentibus semper præsto est, vnde lib. 4. Reg. cap. 4. dixit Elisæus: *Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*. Nec semper agnoscit Propheta si spiritu diuino, vel proprio mens eius illustretur vt patet de Nathan; qui deceptus est, putans Dauid ædificaturum templum Domini; si ad alias gratias gratis datas, cum Apostolus expresse doceat illas nõ esse omnibus fidelibus communes, sed alij dari sermonem sapientiæ, alij sermonem scientiæ, alij discretionem spiritum, manifestè sequitur inter illas computari non posse, atque adeò quid fictitium esse, spiritum illum particularem, quem sectarij omnibus asserunt esse communem, & obuium ad decidendas religionis controuersias.

C A-

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta hæreticorum, quibus contra doctrinam superiori capite traditam, conantur probare spiritum particularem esse regulam credendi, vel supremum iudicem fidei controuersiarum.

PRimum hæreticorum argumentum desumitur ex ijs veteris testamenti locis, in quibus homines præcipuè nouæ legis dicuntur edoceri à Deo, quæ sunt illis credenda, & facienda, vt Isaiæ 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*; Hieremiæ 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populũ, & non docebit vltra vir proximum suũ, & vir fratrem suum dicens cognosce Deum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum: ait Dominus.

Respondetur illa duo testimonia veteris testamenti, aliaque similia non procedere de intelligentia scripturarum, & articulorum fidei, quasi Deus solus absque vllo alio doctore forinsecus sonante, seu doctrinam fidei proponẽte & explicante per prædicationẽ aut definitionem, eam tradat vnicuique fidelium: verum solummodo intelliguntur de gratia Spiritus Sancti, qua homo mouetur interius, & suauiter impellitur ad credendum in Deum, eumque amandum, vt habemus ex ipsamet interpretatione Christi Domini apud S. Ioannem cap. 6. cum enim præuidens hęresim Pelagianorũ ostenderet opus esse interiori gratia Spiritus Sancti excitante & adiuuante ad credendum in Deum, eumque amandum his verbis: *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum* (quod de hac gratia mouente interiùs ad credendum, intelligendum esse docet S. August. tract. 26. in Ioannem) protulit authoritatem vtriusque Prophetæ, *Est scriptum*, inquit, *in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*: ergo, vt hæc vtraque authoritas afferatur appositè ad rem de qua erat illi sermo, debet intelligi de interiori motione Spiritus Sancti, tãquam necessaria ad credendum in Deũ, eumque amandum, sicut & ista Christi Domini verba, *Nemo potest* &c. dicit autem Christus *in Prophetis*, propter hanc vtramque authoritatem Isaiæ 54. & Hierem. 31. vt significat S. Hieronymus ad locum illum Isaiæ.

Hanc autem interioris gratiæ, siue motionis Spiritus Sancti necessitatem ad credendũ in Deum, eumque amandum, non excludere doctorem externum, manifestè colligitur ex pręcedentibus Isaiæ verbis, ait enim: *Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos* &c. & postea subdit, *vniuersos filios tuos doctos à Domino*. Per fundamenta Sapphyrina Apostolos intelligens, vt exponit Hieronymus, per propugnacula doctores, qui in disputando fortissimi sunt, & testimoniorum diuinorum antemurali roborati, & postea subdit, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*. A domino si quidem rectè fideles edoceri dicuntur, qui ordine ab ipso instituto docentur; scilicet ab Ecclesia, eiusque pastoribus, quasi à Christo dicente, *qui vos audit me audit*, &c. Nec est, quod aliquis vim faciat in illis vltimis Hieremię verbis: *Et non docebit vltra vir proximum suum, dicens cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorũ vsque ad maximum*: Sanctus enim Hieronymus ad illum locum subindicat verba illa intelligi de cognitione vnius Dei: ita vt prophetæ sensus sit tantam fore legis Euangelicæ perfectionem, vt cum ante illam cultus plurium Deorum passim apud omnes gentes vigeret, sola Iudaica excepta, iuxta illud Psal. *Notus in Iudæa Deus*; tunc illius tempore esset cultus vnius solius Dei, eo quod per Euangelium facilè omnes ab eiusmodi paganismo deficerent, & quod tam vulgaris esset hęc Dei notitia, vt aliquis opus non haberet id ex proximo suo discere: quæ explicatio certè nihil fauet par-

particulari, & priuato ſectariorum Spiritui in ordine ad omnia credenda, & facienda; ſicut nec illa D.Auguſtini lib.de Spiritu, & littera capitibus 20. 21. 22. 23.& 24. Vbi totum hunc Hieremiæ locum perpendens, aſſerit per illa verba, *& non docebit vltra vir proximum ſuum.* ſignificari præmium in æterna beatitudine dandum hominibus noui teſtamenti, qui fide, & charitate informati legem Dei ſeruauerint, ſcilicet claram & intuitiuam Dei viſionem in patria, vbi beatorum etiam minimus videbit Deum facie ad faciem, & ſicuti eſt, nec diſcet ab aliqua alia creatura, quæ & quanta tremenda miſteria in Deo, ſed ipſe palam, & apertè ea intuebitur.

Secundum argumentū deſumitur ex varijs noui teſtamenti locis Ioannis 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar:* item 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* 1.Corinth. cap.2. *Spiritualis omnia diiudicat, & ipſe à nemine iudicatur,* & *vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.* 1.Ioannis cap.2. *non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed vnctio docet vos de omnibus.* & cap.5. *qui credit in filium Dei, teſtimoniū Dei habet in ſe.* Ex quibus omnibus ſic argumentantur hæretici ad probandam ſuam hæreſim; qui audiunt vocem Domini, & fugiunt vocem alienorum à Chriſto, ij iudicant de doctrina Chriſti, & item qui voluntatem Dei faciunt, inſuper qui iudicat omnia, & à nemine iudicatur eſt ſupremus iudex controuerſiarum fidei, item is cui datur manifeſtatio ſpiritus, item is, quem docet Spiritus Sanctus, quique alio doctore non indiget, ſed teſtimoniū Dei habet in ſe: atqui fidelis quilibet vocem Domini audit, quia credit in illum, item voluntatem eius facit, quia ſeruat eius mandata; ratione ſui Spiritus omnia iudicat, & à nemine iudicatur; edocetur à Spiritu Sancto, nec habet neceſſe doceri ab alio: igitur quilibet fidelis ratione ſpiritus particularis, & priuati ſibi interius inexiſtentis eſt iudex omnium controuerſiarum fidei, abſque eo quod indigeat recurrere ad aliquem alium exteriorem iudicem, vt ab eo edoceatur, quæ ſint illi credenda, & facienda.

Reſpondetur hoc argumentum nihil penitus concludere, quia procedit ex locis ſacræ Scripturæ male ab hæreticis intellectis. Ad primum enim Ioann.7. reſpondetur ex D. Auguſtino tract. 29. in Ioannem, quod voluntatem Dei facere, ibi pertinet etiam ad credere: facere enim voluntatem Dei, eſt operari opus eius, *hoc eſt autem opus Dei,* inquit Saluator, vt credatis in eum, quem ille miſit; vnde iuxta D. Auguſtini interpretationem ſenſus illius loci eſt; qui credere voluerit, cognoſcet de doctrina eius, quid eſt cognoſcet, id eſt intelliget: intellectus enim merces eſt fidei, dicente Propheta *niſi credideritis nō intelligetis.* Quod ſi inſuper ad pietatem hunc locum extendere velimus, ita vt omnis prius faciens voluntatē Dei cognoſcat de doctrina &c. Senſus eſt de cognitione diſcretiua veræ à falſa doctrina, non iudiciaria, & deciſiua ex authoritate: vnuſquiſque enim faciens voluntatem Dei ex habitu fidei poteſt diſcernere quæ fidei ſunt, non autem determinare, & authoritatiuè iudicare. Vnde Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap.4. ſic dicit: *Qui fidem Catholicam benè didicit, & vera pietate munitus eſt, quamuis hæreſes neſciat, hæreticis tamen reſpondet. Nec enim decipi poteſt qui iam cognouit quid pertineat ad fidem Chriſtianam, quæ Catholica dicitur.* Vel dicendum tertiò, quod magis conforme videtur textui, ſenſum eius loci tantùm eſſe, eum qui vult facere Dei voluntatem, odio vel inuidia non duci, ſed ſtudio veritatis & amoris Dei, eſſe rectè diſpoſitum, vt iudicet, nùm doctrina Chriſti ſit doctrina Dei, quia caret gr[a]uiſſimis impedimentis; quibus improbi, vt plurimum à ſua ad fidem Chriſti[a]que doctrinam amplectendam conuer[ſ]ione retardantur. Solent quippe pa[ſ]ſiones obcæcare intellectum, & facer[e] vt aliud quàm oportet de rebus, qu[æ]

propo-

proponuntur, iudicium feratur, cum vnusquisque iuxta Philosophum iudicet de rebus, pro vt affectus est, sicut etiam solemus vulgò dicere eum, qui nullo affectu ducitur, posse ferre sanum de re aliqua iudicium, alium verò non posse, nisi prius affectum deponat. Verùm vt in hac vulgari loquendi formula non denotamus aliquem cum hac sola cognitione nullo alio adiutum posse rectè iudicare, sed tantùm positis cæteris ad illud requisitis; ita & in hac Christi Domini sententia non significatur eum, qui caret istis affectibus odij & inuidiæ in Christum, solumque quærit voluntatem Dei, posse eum hac sola dispositione absque vllius alterius adminiculo discernere, an Christi doctrina sit Dei vel non, sed tantum esse bene dispositum, vt cæteris positis ad id necessarijs rectè iudicet de doctrina Christi: & quemadmodum hæc sola dispositio in hominibus ad benè iudicandum de rebus politicis & humanis non arguit in illis iuridicam potestatem dirimendi lites eiusmodi, ita nec dispositio illa, quod scilicet aliquis velit facere voluntatem Dei, infert in illo esse iuridicam potestatem definiendi controuersias fidei. Quod autem hic sensus nulla penitus ratione fauens hæreticis, sit conformis sententiæ Christi, patet ex ipsomet Euangelij contextu, vbi reprehenduntur Iudæi, quod voluerint Christum interficere, & in hunc finem quæsiuerint illum: item rapti in admirationem dixerint, *quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* dubitantes an hæc eius doctrina esset à Deo, vel dæmone, nam paulo inferius dixerunt Christo *dæmonium habes*; igitur Christus Dominus, vt tacite insinuaret eos propterea non cognoscere, an doctrina sua sit ex Deo, quia sunt indispositi, & præpediuntur affectibus odij, & inuidiæ, respondet, *Si quis voluerit voluntatem eius facere qui misit me, cognoscet de doctrina mea an ex Deo sit*; id est, si velitis odium & inuidiam, quæ contra Dei voluntatem in me concepistis, deponere, poteritis iudicare doctrinam meam esse ex Deo.

Secundus etiam locus Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequũtur me*; non procedit de intelligentia sacræ scripturæ, & dogmatum fidei, quam orta quacumque controuersia, aut difficultate circa illa, fideles ipsi accipiant immediatè à solo Spiritu Sancto, secluso omni alio externo doctore, de quo tamen inter nos, & hęreticos est quęstio, sed tantùm intelligitur de præueniente gratia, qua Christus eos ad fidem formatam vocat; cuius vocem dicuntur tanquam eius oues audire, quando percipiunt, & apprehendunt vocationem Christi; sequi verò quandò vocationi Dei perceptæ suum præbent assensum, seu fide viua credunt in Christum eos vocantem, vt patet ex illis verbis continentibus causam, cur Iudæi esset increduli, & infideles, *vos non creditis*, inquit Christus eodem capite, *quia non estis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt*. Et quod prædicta Christi verba non exludant visibilem & externum doctorem, patet ex eodem capite, vbi expresè ait se habere alias oues, quæ quandò hæc loquebatur, nondum erant ex suo ouili, *illas*, inquit, *oportet me adducere, & vocem meam audient*, quod intelligitur de gentilibus ad fidem Christi conuertendis, quos ait audituros suam vocem, quia erant conuertendi per Apostolos, quos ipse misit in mundum ad conuertendas gentes, vt explicat S. August. tract. 47. in Ioannem.

Ad tertium locum 1. Corinth. c. 2. *Spiritualis autem omnia dijudicat &c.* iam notauimus superiori capite, ibi per hominem spiritualem non intelligi omnẽ fidelem spiritu regenerationis præditũ, sed tantùm perfectum, qui altiora fidei mysteria percipit, quæ animalis homo, id est iustificatus quidem, sed præ imbecillitate mentis nondũm potens hęc altiora fidei mysteria percipere, non intelligit; vnde iam hic sensus nihil fauet spiritui particulari, quem heretici volunt esse communem, & obuium vnicuique fideli. Secundò ibi non agi, de iudi-

iudicio *potestatis*, quo quis tanquàm iudex cum authoritate obligandi cæteros definit controuersias, sed de iudicio *discretionis*, quo qui prudentior est & magis exercitatus in rebus, eas melius percipit & penetrat, licet authoritatem illas sua sententia definiendi non habeat; quod iterum iudicium discretionis, cùm non competat omnibus, & singulis fidelibus, vt patet ex dictis superiori capite, sicut nec ipsa probatio spirituum, cùm S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 12. discretionem spirituũ inter gratias gratis datas non omnibus & singulis Christianis communes recenseat, manifeste patet adhuc ex hoc capite non consistere in illo priuatum & particularem spiritum, quem Sectarij volunt reperiri in omnibus, ac singulis fidelibus. Similiter quod ibidem dicatur, *vnicuique dari manifestationem spiritus ad vtilitatem*, sensus Apostoli non est, quod detur vnicuique fideli manifestatio spiritus, quasi omnibus & singulis fiat reuelatio immediata per Spiritum Sanctum, sed sensus eius est, cuicumque datur donum aliquod, quo patet eum accepisse Spiritum Sanctum, istud ei dari in commodum, & vtilitatem Ecclesiæ; ibi enim Apostolus per manifestationem spiritus non intelligit specialem, & particularem aliquam gratiam gratis datam, vt satis patet ex enumeratione ab illo facta, sed finem dumtaxat proprium istarum gratiarum explicat, qui est dari ad bonum Ecclesiæ & proximi primò, & per se; non autem ad proprium recipientis commodum.

Quartum tandem, & quintum locum primæ Ioannis explicat S. Augustinus tract. 3. in hanc epistolam, vt non excludatur per hoc exterius Ecclesiæ, vel Pastorum eius magisteriũ, alioquin poterat illi fieri instantia. Tu dixisti quia vnctio ipsius docet nos de omnibus, vt quid ergo talem epistolam fecisti, quid illos tu docebas, quid instruebas, quid ædificabas &c. Sed vt significetur quod nisi adsit magister intus docens, & corda aperiens, & emolliens, inanis sit foris strepitus verborum, & quos Spiritus Sanctus non docet intus, indocti remaneant. Magisteria, inquit Augustinus, forinsecus adiutoria quædàm sunt, & admonitiones, cathedram in cælo habet, qui corda docet, propterea ait & ipse in Euangelio: *Nolite vobis dare magistrum in terra &c.* interior ergo magister est, qui docet, Christus docet, inspiratio eius docet; vel dicendum secundò quod vnctio de omnibus diuersimodè diuersos docet, vt ait Sanctus Doctor, quosdam scilicet simplices ea quęcumque ad salutem sunt necessaria, quosdam in quantum altiora cognoscunt mysteria, vt alijs possint illa manifestare. Vel tandem loquitur Ioannes dę doctrina fidei Parthis ad quos illam scribit epistolam, ab Apostolis, vel ipsomet prædicata, ex qua poterant hæreticis resistere; vnde prius pręmisit. *Hæc scripsi vobis de ijs, qui seducunt vos, & vos vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis &c.*

Tertium hæreticorum argumentum desumitur ex authoritate SS. Patrum Ambrosij præsertim, & Augustini; quorum primus libro 5. Epistolarum 32. & 33. vt citat Vittacherus, vult populum Mediolanensem esse iudicem cõtrouersiæ, quæ illi erat cum Auxentio Arriano; Augustinus verò tractatu statim citato in epistolam primam Ioannis, explicans verba hæc, *Vnctio docebit vos de omnibus*, ita loquitur: *Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus adest, nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine.*

Respondetur testimonium Diui Ambrosij, quod iuxta editionem Parisiensem extat lib. 2. epist. 13. mala fide citari ab hęreticis, & omnino contra sensum & mentem Ambrosij, qui in illa epistola ad Valentinianum Augustum totus in eo est, vt suæ de fide disputationis cum Auxentio Iuniore, laici non sint arbitri. Quibus tamen concedit, vt intersint disputationi, non tamen tànquàm iudices: *Veniant*, inquit, *planè, si qui sint ad Ecclesiam, audiant cum populo, non vt*

quis-

quisquam eorum iudex resideat. Vnde cum subiungit, *vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur; Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote, si audierit illum populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius, non inuidebo;* dum hęc, inquam subiungit Ambrosius, nihil fauet aduersarijs, quasi per illa verba iudicium disputationis penes populum voluerit esse, alias esset sibimet contrarius; sed tantùm alludit ad illum Ecclesiæ morem, quo populus optabat & postulabat hunc vel illum sibi dari in Episcopum, licet ius suffragij in electione Episcopi non haberet, quia etiam in hoc negotio agebatur de Episcopo: vel etiam illa ex maxima tùm causæ pro qua certabat, cùm disputationis suæ cõfidentia protulit; probe enim sciebat Auxentium in disputatione non præualiturum: vndè eadẽ animi fiducia istud dicere potuit, qua in veteri lege Elias Propheta lib. 3. Regum cap. 18. dedit optionem populo, *Si Dominus est Deus, sequimini illum, si autem Baal, sequimini illum*, cum ipse apprimè sciret in hac optione Prophetas Baal fore confundendos.

Ad testimonium D. Augustini patet ex dictis illum tantùm loqui de necessitate diuini auxilij ad fidem concipiendam, seu ad credendum interius, & in corde ea quæ nomine Ecclesiæ nobis à concionatoribus, & pastoribus exterius proponuntur: nisi enim adsit magister qui interius agat, homine (nempe Doctore) exterius agente, & proponente, nunquam rebus fidei consensum præbebimus: Ex hoc tamen noluit Augustinus, illum Magistrum interius operantem de lege ordinaria sufficere, ita vt omnes pastores, & doctores qui exterius res fidei proponunt sint abijciendi, & contemnendi; vt etiam seipsum explicat ibidem S. Augustinus sumpto exemplo ab agricola, *Sic sunt*, inquit, *ista verba fratres, quæ forinsecus dicimus, quemodo agricola ad arborem forinsecus operatur, adhibet aquam, & diligentiam culturæ, qualibet forinsecus adhibeat, nunquid poma format*: quod confirmat ex Apostolo primæ ad Corinth. cap. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; quæ omnia docent nos indigere gratia excitante & adiuuante ad credendum Deum esse præcipuum nostræ fidei authorem, ita tamen vt intelligatur simul etiam doctor necessarius exterius illam explicãs, vt statim explicabimus soluendo sequẽtes rationes.

Quartum tandem, & vltimum hęreticorum argumentum desumitur ex ratione, quia sicut vnusquisque fit fide propria saluus, ita debet eadem fide sua niti, suoque iudicio, non ex cuiusquam hominis arbitrio pendere: ergò vnusquisque sibi debet esse iudex in materia fidei; quod cùm munus obire non possit viribus naturæ, debent illi præsto esse vires supernaturales, nempè motio, & inspiratio Spiritus Sancti, quæ eum ad credendum impellat, sicque non aliter, quàm vi huius Spiritus, qui sine dubio est illi particularis, assensum fidei rebusque de illa controuersis præbebit.

Respondetur ad hoc argumentum, hoc tantùm sensu, quemlibet fidelem relinqui suo arbitrio in credendo, atque adeo propria fide saluum fieri, quod cũ auxilio diuinæ gratiæ penes eius libertatem sit fidem amplecti, vel non amplecti, bonum vel malum facere; non autem ex eo quod supremam habeat authoritatem definiendi res fidei, siue quod idem est iudicium pręscriptiuum, vel determinatiuum ad credendum: cũ enim vt supra monuimus, iudicium in ampla significatione sumptum duplex distinguatur; vnum quod nudum assensum intellectus importat; alterum iuxta forensem significationem, quo denotatur actus quidam, quo iuridice fertur sententia de re aliqua controuersa, prius illorum reperitur quidem in omnibus adultis fidelibus, quatenus credunt, & iudicant omnem & quamlibet Christi Domini doctrinam veram esse & bonã, & omnem illam quam tradit Ecclesia, esse

esse talem; omnem verò illam, quam condemnat Ecclesia, esse malam, & fugiendam: sed iudicare hoc modo non est idem, ac esse iudicem controuersiarum fidei, nisi contra communem hominum sensum velimus dicere omnem & quamlibet secundam vel tertiam mẽtis operationem cuiuscumque hominis de quacumque re fit, esse actum quemdam iuridicum proprie sumptum, quod tamen posteriori significationi tantùm competit, secundum quam etiam Ecclesiæ dumtaxat conuenit; nam iubemur illam audire Matth. 18. dependereque ab illa in credendo, tanquàm à cõditione, vel causa ministeriali modo inferius explicando, & hoc nõ est dependere ex alterius arbitrio, vt falsò assumitur in argumento, sed est dependere à Deo, per vias ordinarias, quas ipse nobis reliquit, & quæ nequaquam in proponenda fide variari, aut alterari possunt.

Secunda ratio est, quia vbi vnum medium est sufficiens frustra plura adhibentur, sicut si aliquid perfectè mouetur ab vno motore, nõ conuenit quod ab alio moueatur, vel quod fit ab aliquo agente, non debet fieri ab alio; sed vnusquisque fidelis videtur habere sufficiens medium ad credendum, nempe testimonium Spiritus Sancti, eiusque vnctionem, frustra ergò ad aliquod aliud tribunal, vel Ecclesiæ magisterium confugimus.

Confirmatur hæc ratio, cui conceditur maius, minus etiam concedi debet, sed personis quantumuis simplicibus in gratia existentibus conceditur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 45. art. 5. donum sapientiæ, ergo etiam debet scientia concedi, ac discretio spirituum.

Respondetur ad hoc argumentum; hoc vnum medium, internam scilicet Spiritus Sancti persuasionem, & vnctionem, sufficientem quidem esse, vt interius fidelis edoceatur, quia etsi, vt dicit Augustinus, aliquis sit à latere tuo, nullus est intus in corde tuo, etsi non sit vllus in corde tuo, Christus tamen sit in corde tuo, vnctio ipsius docet &c. non tamen extrinseca ad obiecti eredendi propositionem, vel definitionem pertinentia excluduntur. Vnde vt non valet arguere, sufficiens est natura, vel semen ad productionem arboris, ergò non requiritur cultura: sic non valet arguere, Deus dat incrementum, ergò non requiritur, vt Apollo plantet, vel riget, sic enim isti se habent, dicit Augustinus loco citato, quomodo agricola ad arborem forinsecus operans, & adhibent diligentiam culturæ: bene tamen concluditur: *ergò neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid*; cum fructus non producat, ita siue plantemus, siue rigemus, non sumus aliquid sed qui incrementum dat Deus. Quando igitur vnum medium est sufficiens ad effectum aliquem producendum, cætera quidem superfluere possunt ad productionem illius, non tamen ad inductionem, dispositionem, vel exhibitionem illorum quæ sunt necessariò prærequisita ad illum effectum: vndè etsi Deus solus sufficiat ad creationem animæ, adhuc requiritur organizatio corporis, & si solum semen poma formet, cultura requiritur, si solum lumen naturale ad capessendas sciẽtias, requiritur Magistri doctrina; & tãdem vt retorqueatur exemplum in argumento allatum, sicut etsi, quod ab vno motore perfectè mouetur, aut ab aliquo agente fit, non debeat ab alio mouente, vel agente eiusdem ordinis immediatè moueri vel fieri; non tamen propterea à mouente, vel agente, à quo aliquid fit excluduntur instrumenta, quibus aliquid fit, sic in proposito dicendum est; nec enim tanquam à duobus motoribus immediatis, vel eiusdem ordinis doctrina fidei procedit à Spiritu Sancto, & Ecclesia, vel controuersiarũ Iudice, sed à motoribus subordinatis, Ecclesia scilicet sub Spiritu Sancto indissolubili nexu coniuncta sunt, vt vnũ sine altero contemni nequeat. Quod quidem Spiritus Sancti testimonium nõ cum Ecclesiæ testimonio iungimus, ac si huic illud inniteretur, vel ab eo dependeat, sed vt cum illo homines suauius

uius instruat: sicut & causa prima secundæ causæ auxilio non eget, cum illa concurrendo, sed suauiter administrans omnia cum illa concurrere non dedignatur. Nec quia principalis concurrit ad operandum, ministerialis causa superfluit. Quare perpetuum est aduersariorum sophisma, ab affirmatione doni interni, vel motionis Spiritus Sancti, tanquam principalis agentis, negare concomitantia, instructionem, propositionem, declarationem testificantis Ecclesiæ, qua placuit Spiritui Sancto vti tanquam causa ministeriali ad suas internas operationes exercendas, & ex illius sufficientia, cætera vt insufficientia relegare.

Ad confirmationē respondetur maiorem ad summum esse veram quando maius & minus sunt eiusdem ordinis, & generis habentque inter se necessariam connexionem, gratia autem gratis data, & gratum faciens non subordinantur, & sunt diuersi generis, quare argumentum nihil probat; vnde etsi scientia, sapientia, discretio spirituum, & huiusmodi ea parte qua sunt dona Spiritus Sancti, secundum quod ordinantur ad propriam fidelis vtilitatem, sint quid commune omnibus habentibus gratiam gratum facientem; secus tamen si considerentur secundum quod inter gratias gratis datas enumerantur, primoque & principaliter dantur vt credibilia vel proponantur, vel manifestentur, vel contradictores refellantur, sic enim non competunt omnibus ex Apostolo primæ Corinth. cap. 2. sed ijs tantum, quorum est manifestare fidem, ad credendum alios inducere, & contradictores reuincere; cuiusmodi sunt Ecclesiæ Doctores atque Pastores à Deo dati ne circumferamur omni vento doctrinæ.



CAPVT VIII.

Vtrum scriptura sacra sit supremus iudex controuersiarum fidei.

OMnes ferè nostrorum temporum hæretici non valentes, aut potius non volentes distinguere inter regulam fidei, eiusque iudicem, affirmatiuam partem amplexi sunt, sacram, videlicet, scripturam esse simul adæquatam fidei regulam, supremumque controuersiarum illius iudicem; aduersus quos si instetur, illum solum in Ecclesia debere dici propriè loquendo supremũ iudicem controuersiarum fidei, à quo habemus authenticam, & infallibilem eiusdem scripturæ interpretationē, cùm de illa præcipuæ in Ecclesia soleant oriri difficultates; quod munus scripturæ ipsæ competere non potest; ad internum Spiritus Sancti testimonium recurrunt aliqui, vt vidimus supra; alij verò solùm agnoscunt vt media infallibilia authenticæ scripturarum intelligentiæ, scripturam ipsam, seu spiritum in scriptura latentem, eiusdem scripturæ collationem, phrasim, stylum & alia eiusmodi; quæ cum omnia rursus priuati vniuscuiusque spiritus trutina, ac lance examinari, ponderarique debeāt; est idem semper dicere, quod authentica, & infallibilis interpretatio scripturarum sit in quocumque priuato, qui spiritum Dei habet, vel se habere iactet.

Doctores Catholici per oppositum agnoscunt quidem Spiritum Sanctum esse diuinarum scripturarum interpretem, eo enim spiritu sunt interpretandæ, quo sunt editæ; sed cum Spiritus Sanctus hoc munus immediatè nō exerceat, nec visibiliter, asserunt insuper, illud per quod secundum legem Dei ordinariam, tanquàm per verum ac legitimum scripturarum interpretem, controuersiarumque circa illas ortarum iudicem, certam & infallibilem illarum intelligentiam habemus, non esse vnũ-

quemque priuatum fidelem, sed publicum solum, & authoritatiuum Ecclesiæ magisterium, quæ est columna & firmamentum veritatis, quamque vt talem toties in scriptura iubemur audire. Similiter etsi Catholici omnes admittant tam verbum Dei scriptum, quàm traditum esse regulam fidei, secundùm quod regula dicitur *norma*, seu *medium*, *quo iudex vtitur ad determinandum*, seu *indicandum*; siue *via & ratio quadam, quam ad aliquid definiendum iudex ipse sequitur*, insuper etsi admittant omnia supradicta media non esse spernenda, sed in subsidium interpretationis assumenda; negant tamen authoritatiuam scripturarum interpretationem, controuersiarūque circa illas nascentium definitionem ad illam pertinere, tanquàm ad supremum iudicem, secundum quod *iudex* sumitur pro eo, qui sententiam profert; & ad legis seu regulæ distinctionem, quæ rebus mortuis & mutis potest cōpetere, iudex vocatur aliquando *lex viua*, *lex loquens*. Ex quo facile intelligimus multa tum scripturæ, tùm Patrum testimonia, quæ in rebus fidei etiam valdè controuersis, scripturisque ipsis intelligendis remittunt nos, vel prouocant ad sacras litteras, non tanquam iudices, sed velut ad testes, & medium, inter reliqua, quæ Deus dedit suæ Ecclesiæ, maximè commendandum: ex qua tamen positione & concessione scripturarum sacrarum in ratione testis alicuius, & medij, vel legis, & normæ secundum quam debet ferri iudicium, non rectè colligunt Sectarij eis etiam iudicis propriè sumpti partes competere, nisi omnes & fori & iuris formas, statumque præsentis controuersiæ inter nos & illos velimus omnino destruere, vel confundere: sit igitur nostra contra illos conclusio.

Sacra scriptura non est in hunc finem à Deo tradita, vt esset controuersiarum fidei supremus iudex. Colligitur primò ex illo actuum Apostolorum cap. 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis nil vltra imponere vobis oneris*; si quidem debet esse idem modo controuersiarum iudex, qui fuit tempore Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ: atqui vbi orta est controuersia fidei tàm Apostolorum tempore, quam alijs temporibus primitiuæ Ecclesiæ, nec Apostoli, nec fideles recurrerunt ad priuatum spiritū, aut ad scripturam per illum explicatam, tanquàm ad iudicem; sed Sancti Paulus & Barnabas processatione legalium ad Ecclesiam Hierosolymis congregatam confugerunt, vbi Apostoli pro definitione controuersiæ nec spiritum particularem iactarunt, nec sacras Scripturas allegarunt, sed in suo decreto nulla horum mentione facta simpliciter dixerunt, *visum est Spiritui Sancto & nobis nil vltra imponere vobis oneris*. Ergò ita diuinæ scripturæ possunt esse norma, seu medium aliquod ex pluribus quæ habet Ecclesia, & quibus ipsa vtitur in expendenda veritate rei in controuersiam vocatæ; secundum quod dicit Apostolus 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnem scripturam diuinitus inspiratam vtilem esse ad docendum in iustitia*; & ad Romanos cap. 15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: vt tamen nequaquam sint supremus iudex controuersiarum fidei.

Secundò probatur; Scriptura sacra non est in hunc finem à Deo data, vt sit controuersiarum fidei iudex supremus, si non habet conditiones ad hoc munus essentialiter, & necessario requisitas; sed re vera non habet; ergo non est in hunc finem à Deo data, vt sit controuersiarū fidei iudex supremus. Maior huius argumenti est certa; & patet ex eo quod Deus, qui est summè sapiens, nunquam ordinat rem aliquam, ad aliquem finem, aut munus, quin det illa quæ sunt necessaria ad consecutionē vnius, & exercitium alterius. Minor ergo in qua est difficultas, probatur, discurrendo breuiter per singulas conditiones superius adductas, & essentialiter requisitas ad supremum iudicem controuersiarum fidei, quibus cùm destituatur scriptura, euidens est rationem iudicis fidei propriè

priè dicti non habere ; & quidem deest illi prima conditio, nempè infallibilitas, saltem quo ad nos, & seorsim ab Ecclesia, licet secundum se sit prorsus infallibilis, & à Spiritu Sancto, tanquam authore primario prodierit:orta enim controuersia de aliquo Sacræ Scripturæ libro, num sit Canonicus, verumque Dei verbum contineat, nec non etiam de vera illius intelligentia, tot inter hæreticorum corruptelas; *omnes enim heretici*, inquit Augustinus Epistol. 22. ad Consent. *Qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, & per hoc, non quod eas contemnant, sed quod non intelligant, heretici sunt*. Quod idem docet lib. 7. de Genesi ad litteram cap. 9. *Non ob aliud*, scilicet, *esse hereticos, nisi quia scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt*. In his, inquam, & similibus casibus, non potest aliundè certò nobis constare de veritate, quàm authoritatiua Ecclesiæ approbatione, & definitione. Cùm enim nullum in Scripturis extet verbum, quo scribatur v.g. quatuor Euãgelia Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis esse recipienda, expungenda verò illa, quæ sub nomine Bartholomæi, Thomæ, Nicodemi circumferuntur; iam ex hoc capite Scriptura non potest esse certus, & infallibilis illius iudex, atque adeò nec cæterarum fidei controuersiarum, cùm debeat esse vnus & idem omnium iudex; deinde contendente vnoquoque se veram habere scripturam, verumque illius sensum; cùm non sit maior ratio cur credatur vni, quàm alteri, cunctis iactantibus se habere Spiritum Dei; nec etiam habeamus in scripturis credendum esse Arianis, & non Catholicis, Luthero, & Caluino, & non alijs; manifestè sequitur tam præter priuatum spiritum, quàm præter Scripturę authoritatem debere dari supremum aliquem iudicem, qui has omnes lites dirimat; cuiusmodi sola est Ecclesia, cui Christus Matth. 16. dedit claues regni cælorum, inter quas est etiam clauis scientiæ, qua significatur authoritas discernendi veram Scripturam à falsa, illamque interpretandi.

Secunda conditio, nempè authoritas, etiam coactiua, qua sibi rebelles puniat, vel pœnarum metu ad sibi obediẽdum compellat, non minus quam præcedens Scripturæ desideratur; vt satis patet, tùm primò ex ijs ad quos scribuntur, seu quibus dantur quamplures eius partes, aliquibus scilicet priuatis, & tanquàm priuatis personis; tùm secundò ex modo, quo traduntur, & scribuntur recensendo historias, & res gestas; tùm denique ex causa, seu occasione propter quam fuerunt scriptæ, primo enim & per se non fuerunt intentæ, sed tantùm per accidens, pro vt etiam per accidens occurrebant occasiones scribendi; nam ex occasione Cherinthi & Ebionis, qui negabant Christi Domini diuinitatem, S. Ioannes scripsit Euangelium, vt docet S. Hieronymus lib. *de viris illustribus* in Ioanne, & ita de cæteris Euangelistis ex Eusebio lib. 3. histor. Eccles. cap. 18. Ad authoritatiuam autem supremi iudicis potestatem requiritur, quando aliquam definit controuersiam, quæ non vnum, aut alterum, sed totam rempublicam tangit, vt sententiam ita pronuntiet, definiat quæstionem, & intimet sententiam, vt non vni tantùm aut alteri tanquam priuatis personis mentem suam explicet, sed tali reipublicæ, aut omnibus de tali quæstione litigantibus; insuper vt non sit totus in recensendis historijs, & rebus gestis, sed sicut leges ipsæ postulant, paucis verbis statuat, quæ sint seruanda, quæ fugienda; denique cùm in constitutione & formatione alicuius reipublicæ, vnum ex ijs, quæ primò & per se debent intendi, sit ipse iudex pro dirimendis litibus ciuium ad pacem in republica seruandam, non potest tantùm per accidens intendi; igitur Scripturæ Sacræ, tàm quoad dogmata in illis contenta, quàm quoad enarrationem rerum ab alijs gestarum, ita possunt esse aliqua regula veritatis, seu medium aliquod illius dignoscendæ, quod etiam considerat, & diligenter scrutatur Ecclesia, dum vult

vult aliquid definire tanquam dogma fidei; vt tamen illis non competat iudiciaria poteſtas,ſeu authoritas proponendi fidelibus veritates à ſe definitas, eoſque obligandi vt illas ſuſcipiant.

Tertia conditio, nempè plenitudo veritatis,ſcripturæ pariter deeſt;vt enim libro ſequenti probabimus, non omnia dogmata ad ſalutem neceſſaria, tàm fidei, quàm morum, continentur expreſsè in ſacris litteris, ſed ſola traditione certò nobis innoteſcunt; ergò iam ex hoc capite, tantum abeſt vt ſit ſupremus controuerſiarum iudex, quod ne quidem rationem regulæ adæquatæ habeat ſola ſcriptura reſpectu credendorum, cùm non contineat expreſsè omnia fidei Chriſtianę, & Catholicæ dogmata, imò nec ita, vt per immediatam deductionem ex illa neceſſario poſſint erui; Nec indè ſequitùr aliquam Sacræ Scripturæ fieri iniuriam à Doctoribus Catholicis, vt inaniter hęretici obijciunt, quique etiam vt eos trahant in inuidiam malitiosè ſolent proponere difficultatē illam inter nos & illos controuerſam, vtrum ſolà ſcriptura ſit controuerſiarum iudex, vel adęquata fidei regula: ita vt omnia eius dogmata expreſsè contineat; hanc, inquam, difficultatem malitiosè ſolent proponere ſub hac verborum formula; *Vtrum ſcriptura ſit inſufficiens*, quaſi arguamus ſcripturam alicuius imperfectionis; ſic eam proponit Lucas Oziander 1. parte ſui Enchiridij controuerſiarum cap. 1. quæſt. 1. & quidam alij; dixi, malitiosè, cum enim dicatur tunc aliquid propriè inſufficiens, quando ad id, ad quod faciendum vel obtinendum ordinatur, non habet ſatis virium, aut quidquid ad illud faciendum vel obtinendum,eſt neceſſarium: Sacra autem Scriptura, vt probant Catholici non ſit eo fine dictata à Spiritu Sancto, vt eſſet iudex controuerſiarum,vel vnica & totalis credendorum regula, ſit,vt malè inſcribatur hæc quæſtio, *an Scriptura ſit inſufficiens*; ſicut, cum homo non ſit ad volandum inſtitutus à natura, ineptè dicitur inſufficiens ad volandum, & ſic aliquid imperfectionis in ſe habere.

Quarta tandem, & vltima conditio Scripturis etiam minimè conuenit, ſcilicet perſpicuitas, ſiue quod ita clarè & apertè loquātur in definiendo,vt ab omnibus audiantur: Scripturam enim obſcuriſſimam eſſe ſatis docet experientia ipſa, probabimuſque ex profeſſo libro ſequenti ſectione prima.

Quod pertinet modo ad hęreticorum obiectiones tàm ex aliquibus Scripturę, quàm Sanctorum Patruum teſtimonijs deſumptas,libenter illis ſuperſedeo;cùm nihil aliud probent, quam quod ſupra notauimus, Sacram videlicet Scripturam eſſe aliquam regulam veritatis, ſeu medium illius dignoſcendæ,quod etiam conſideret Eccleſia, dum vult aliquid definire tanquàm dogma fidei. Quod ſi aliquando Sancti Patres ad Scripturam etiam, tanquàm ad controuerſiarum iudicem, vltimatè confugere videntur, non loquuntur abſolutè, & ſimpliciter ſed tantùm ex quadam hyphotheſi, ea ſcilicet, quod hæretici plerumque diſputando recuſabant omnes Catholicos, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares pro exortæ controuerſiæ iudicibus: & ideò Sancti Patres aliquid de ſuo iure remittentes, quo poterant ad Eccleſiaſticum iudicem, tanquàm verum & legitimum prouocare, ex liberali conceſſione ſola Scripturarum tàm ab hæreticis, quàm à Catholicis admiſſarum authoritate vtebantur, ſic Optatus Mileuitanus lib. 5. *contra Parmenianum*, paulo poſt principium, cum inter Catholicos, quorum cauſam ibi tuetur Optatus,& Donatiſtas orta eſſet controuerſia, an ſemel baptizatus debeat rebaptizari, Donatiſtæ dicerent,*licet*, Catholici *non licet*, rem ex nouo teſtamento decidendam eſſe dicit, probatque ex eo ſemel baptizatos, non eſſe iterum baptizandos; eodem planè modo, quo S. Auguſtinus lib. 3. *contra Maximinum*, ait ſe nolle agere cum authoritate Concilij Nicæni:ſicut nec permittebat Maximino agere ex authoritate Concilij Ariminenſis, non quod Cōcilij

cilij Nicæni authoritas absolutè & secũdum se spectata nullius esset ponderis, sed tantùm respectu Arrianorum, qualis erat Maximinus, qui Concilium istud pro legitimo non agnoscebant, quemadmodum nec ipsum Ariminense Catholici, & proindè vt esset facilior disputatio, dicebat S. Augustinus velle se ab illo abstinere, & solummodò ex Sacris Scripturis ab vtraque parte litigantium probatis arguere. Cæterum gratuita ista, & liberalis concessio non facit, quod præter Scripturam Sancti Patres non admiserint supremum aliquem iudicem pro definiendis omnibus fidei controuersijs, si ad eius tribunal deferantur.

CAPVT IX.

Quod sola Ecclesia sit supremus omnium controuersiarum fidei iudex.

PRopositio est de fide, colligiturque primò à remotione eorum, quibus videri potest conuenire hæc dignitas, scilicet quod tantùm possit competere vel spiritui particulari, & priuato, vel Scripturæ, vel Ecclesiæ, vt notauimus supra cap. 6. Ergò cum etiam probauerimus hanc dignitatem, neque spiritui particulari, neque Sacrę Scripturæ conuenire, & præterea debere dari aliquem supremum iudicem, necessario sequitur, Ecclesiam esse eiusmodi iudicem.

Secundò probatur omnibus illis tàm Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum authoritatibus, quibus passim asseritur diuinam reuelationem, cui nostra fides innititur tanquàm formali obiecto esse de lege ordinaria publicam, & ad nos per Ecclesiam deriuatam, deinde ijs, quibus Apostoli, Euangelistæ, Doctores dicuntur cõstituti à Deo in Ecclesia, ne simus fluctuantes, circumferamurque omni vento doctrinæ; item ijs, quibus pro rebus circa fidem controuersis remittimur ad Ecclesiam: ex quibus potest hęc ratio formari; eo modo secundum legem ordinariam ij, qui fidem susceperunt, debent assensum fidei contra errores, dubitationes & difficultates circa particularia diuinę fidei obiecta insurgentes resoluere, quo Deus & Christus ordinauit, quo Apostoli suo docuerunt exemplo, sanctique Patres ex ipsis, & eo qui est omnium conuenientissimus, & certissimus; atqui modus iste in ijs qui iam susceperunt fidem, pro eo tempore, quo aliqui errores, vel dubitationes circa obiecta particularia fidei occurrunt, est resoluere assensum fidei in diuinam authoritatem Ecclesiæ vt iudicem, vel regulam animatam, & viuam infallibiliter proponentem & explicantem res credendas: ita enim Deus præscripsit Deuteron. 17. *Si quod ambiguum aut difficile occurrerit, ascendes ad locum, &c. ad Sacerdotes*. Item Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Domini requires de ore eius*: alijsque pluribus in locis veteris testamenti, superius adductis: in nouo quoque testamento Matth. 18. vbi Christus Ecclesiastici iudicij formam descripturus ait: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueritis super terram erunt soluta & in cœlo*. Cuius sententiæ prioribus verbis apertè Christus veram Ecclesiam constituit communem ordinarium, & absolutum iudicem omnium controuersiarum Ecclesiasticarũ: cuius etiam iudicio in causis eiusmodi dubijs refragari nullo modo liceat, sed ab omnibus absolutè standum sit, nisi quis velut Ethnicus, & Publicanus haberi velit. Ideoque Christus 16. S. Ioannis promittit Ecclesiæ doctrinam, & scientiam omnium veritatum pertinentium ad fidem, *cùm venerit paraclitus, docebit vos omnem veritatem*, & Ioannis 22. *Portas inferi non praualituras aduersus Ecclesiam*, seque affuturum illi vsque ad consummationem sęculi. Ad Ephesios 4. dedit alios Apostolos, alios Doctores, alios Euangelistas, &c. primæ ad Timoth. 3. voluit Ecclesiam esse columnam, ac firmamentum veritatis.

Hanc

Hanc quoque fuisse perpetuam tàm Apostolorum, quàm Sanctorum Patrum, siue quod idem est, Ecclesiæ ab initio decurrentis praxim, recurrendi ad diuinam authoritatem Ecclesiæ in dubijs circa aliquid speciale obiectum fidei exorientibus colligitur primò ex Actibus Apostolorum cap. 15. vbi Apostoli, & Seniores, exorta inter fideles controuersia de obseruatione legalium conuenerunt in Concilium, humano & sensibili modo definierunt hanc veritatem, eamque alijs sequẽdam vt rem fidei proposuerunt, & ordinarunt. Eodem planè modo de Ario & complicibus in Concilio Nicæno, de Macedonio in Concilio Constantinopolitano, de Nestorio in Ephesino, de Eutychete eiusque sequacibus in Chalcedonensi, & tandem de Luthero, & Caluino, cæterisque nostrorum temporum hæreticis ac nouatoribus in Tridentino Ecclesia triumphauit. Vnde etiam Sancti Patres nihil frequentius in suis scriptis commendant, quam hanc methodum, S. Cyprianus Epistola 69. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem cap. 13. vbi impugnans Nestorij dogmata ait, *hac quidem ille astutè simul ac impiè. Nos autem Patrum & Ecclesiæ fidem sequentes huius loci sensum rimati sumus*. Hieronymus dialogo *contra Luciferianos*. S. Augustinus lib. 1. de nuptijs cap. 20. vbi cõcordans illa duo loca Scripturæ, *cum eiusmodi nec cibum sumere*. 1. Cor. cap. 5. & illud, *omne quod vobis apponitur manducate*. 1. Corinth. cap. 10. quæ prima facie discordare videntur sic dicit, *in hac veluti angustia quæstionis non aliquid nouum aut insolitum dicam, sed quod sanctitas obseruat Ecclesiæ*. Exponens verò illud. 1. Timot. cap. 2. de obsecrationibus, orationibus, postulationibus, & gratiarum actionibus faciendis pro Regibus, &c. in Epistola ad Paulinum illa verba interpretatur ex intelligentia, & praxi Ecclesiæ sic dicens. *Multa hinc dici possent, quæ improbanda non sunt: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis per orbem frequentat Ecclesia*; & sic de alijs inferius citandis libro sequenti, vbi distinctius agetur de Ecclesia, eiusque authoritate, vnde vnicò dumtaxat Vincentij Lyrinensis testimonio cap. 2. libelli aurei aduersus prophanas hæreticorum nouitates, placet in præsenti rem totam absoluere; *Hic forsitan*, inquit, *requiret aliquis, cum sit perfectus canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas? quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa altitudine, non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illius sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photius, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit: aliter Arius, Eunomius, &c.* Sicut & aliter Lutherus, aliter Zuinglius, aliter Oecolampadius, vt in vno solo pene articulo, sit implacabilis ministromachia. Atque necesse est idcirco, *propter tantos, ac tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur*. Hæc Sanctus.

Hunc denique modum esse conuenientissimum patet primò, quia Ecclesia est norma, vel regula animata, viua, publica, definiensque absque vlla ambiguitate, haberque omnes & singulas conditiones, quæ possunt in aliquo iudice requiri pro dirimendis controuersijs fidei, vt libro sequenti agendo de Ecclesia ostendemus. Secundò, quia cum res fidei & per se obscurissimæ sint, & in scriptura aut non omnes, aut non ita claré omnes exponantur, quin variæ dubitationes, etiam in rebus grauissimis, circa eas occurrant, & controuersiæ infinitæ, vt experientia constat; necessaria fuit ad fidei puritatem, etiam in singulis fidelibus, incorruptam seruandam publica eiusmodi, & infallibilis Ecclesiæ authoritas res fidei proponens. Tertiò, quia hæreticorum vitiosissimum dicendi genus fuit semper, deprauare sententias, & ad voluntatem suam trahere

Scri-

Scripturam repugnantem, vt docent communiter Patres Ambrosius lib. 4. in cap. 4. Lucæ, Athanasius orat. 1. contra Arrianos, Hieronymus in Epistola ad Paulinum, Augustinus tract. 18. in Ioannem, & de Genesi ad litteram lib. 7. cap. 9. & lib. 2. de nuptijs, & concupiscentia capit. 31. Hilarius lib. 2. ad Constantinum, *Memento*, inquit, *neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur*. Prolixè Vincentius Lirinensis contra hæreses cap. 35. 36. & 37. idipsum asserit, & omnibus antiquior Irenæus, & Tertullianus. Irenæus enim libro 2. aduersus hæreses c. 1. ait, *quod hæretici sacræ Scripturæ authoritatibus perperam expositis, atque transpositis imaginem perfidiæ suæ conficiunt, & ornant dicentes illam esse fidei & veritatis imaginem, eo quod ex ijsdem sacrorum scripturarum locis est constructa*. Tertullianus verò lib. de præscriptionibus cap. 15. ita sentit de hæreticis; *Sed & ipsi de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui non possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei, &c. Scripturas obtendunt & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt, &c.* Igitur ad hãc hæreticorum, priuatorumque hominum temeritatem compescẽdam, prçter Scripturam, opus fuit publica Ecclesiæ authoritate, ad quam controuersiæ religionis diiudicandæ, Scripturęque circa illas interpretandæ deferrentur; & cuius sententię in omni causa religionis dubia simpliciter & absolutè acquiesceretur.

Quartò, si in omni Republica bene ordinata aliquis alius visibilis iudex prę̨ter supremum iudicem Deum, scriptasque reipublicæ leges, requiritur, cuius sententiæ in omni causa dubia, ad idem forum spectante ab omnibus absolutè acquiescendum sit, tùm in Ecclesia quoque, alius eiusmodi visibilis, & absolutus iudex præter Deum & Scripturam, seu legem scriptam admitti, & assignari debet: nisi velimus dicere Ecclesiam esse minus benè ordinatam, quàm rempublicam ciuilem quod est absurdum, & contra Scripturam; ex qua constat Ecclesiæ regimen, & hierarchiam optimè à Deo dispositam esse, vt potè quæ idcirco comparatur *Regno*. Matth. 25. & *Domui*, seu familiæ rectè dispositæ. Hebræor. 3. *& castrorum aciei ordinatæ*. Cantic. 2. Deinde eadem est quo ad hoc ratio Ecclesiæ & ciuilis reipublicæ, quia idcircò in republica benè ordinata, præter scriptam legem, alius quispiam iudex visibilis requiritur, vt nimirum in republica sit, qui possit primò cognoscere controuersias in ea ortas, atque adeò vtriusque partis argumenta conferre, deinde ita sententiam proferre, & dicere vt altera pars litigans euidenter sciat, se vicisse; altera pars euidenter sciat, se causa cecidisse, quantum est ex parte illius iudicis. Eadem est prorsus ratio communitatis Ecclesiasticæ, in qua Scriptura sacra non aliter se habet, quàm scriptę leges in Republica.

Cæterum quia Ecclesia duobus modis considerari potest, & vt est toto orbe diffusa, & vt est in Concilio Oecumenico coacta, asserendum est Ecclesiæ posteriori modo, rationem iudicis fidei magis & perfectius conuenire: quia sic ea quæ sunt ab omnibus credenda definit, obiectionibus aduersariorum respõdet, & si quid ambiguum sit, illud apertè referat, & explicat. Quod quidem etiam si Ecclesia priori modo considerata, per suam fidei professionem pręstet, vt libro sequenti dicetur, non tamen ita perfectè, & expressè ac Concilium Oecumenicum; vbi per Concilium intelligimus Episcopos, & Summum Pontificem: nam si ipse à Concilio absit, non est de fide illud in eo casu gaudere infallibilitate, & ex consequenti esse perfectum, & exactum fidei iudicem, sicuti est de fide totum coniunctum ex Episcopis, & Summo Pontifice huiusmodi dono, vel priuilegio gaudere: an autem solus Summus Pontifex sine Concilio Oecumenico, sit etiam ipse fidei iudex, cui omnes debeamus sub pœna hæresis assen-

assentiri patebit ex dicendis libro sequenti, agendo de Summo Pontifice, & eius authoritate.

CAPVT X.

Quod admissa Ecclesia pro supremo iudice controuersiarum fidei, non committatur propterea circulus vitiosus.

CVm aduersus doctrinam superiori capite traditam, nihil frequentius obijciant Sectarij; quàm in nostra credendi ratione committi circulum vitiosum; diuinam enim, inquiunt, scripturam creditis ob infallibilem authoritatem Ecclesiæ; & hanc rursum ob scripturam, ex qua scilicet infallibilem Ecclesiæ auctoritatem soletis probare; ideo relictis omnibus alijs obiectionibus, sequenti libro adducendis, vbi fusius agetur de auctoritate Ecclesiæ, in hoc vltimo capite operepretium duxi breuiter explicare, quomodo Catholici admittentes pro solo vero, ac legitimo controuersiarum iudice veram Ecclesiam, nullum penitus committant circulum vitiosum in sua credendi ratione.

Pro cuius intelligentia notandum est primò, resolutionem fidei ex suo genere, non habere se, vt resolutionē conclusionis in sua principia complexa; sed vt resolutionem simplicem actus in suā causam; cùm iuxta probabiliorē Theologorum sententiam fides non sit habitus discursiuus; etsi enim non negemus, posse in ipsa applicatione obiecti credendi interuenire discursum, hoc est tamen solùm, quod dicimus, facta sufficienti applicatione obiecti, ipsam fidem immediatè & sine discursu assentiri veritati propositæ, tanquàm reuelatæ à Deo.

Secundò notandum est, cùm in credente duo iudicia interueniant, quorum vnum est iudiciū de credibilitate obiecti fidei, spectansque ad ipsius fidei acceptationem, qua volumus credere; alterum est ipse assensus fidei secundum se, idcirco resolutionem etiam vtriusque non eamdem, sed diuersam esse. Aliud enim est quærere, in quidnam vltimatè, ipse assensus fidei secundum se, seu ipsa eius certitudo resoluatur; aliud in quidnam resoluatur iudicium de credibilitate, adeoque ipsa voluntas credendi, seu acceptandi fidem, qua nempè animum applicauimus ad credendum.

Tertiò notandum est, quia resolutio rei alicuius nihil est aliud, quam eius reuocatio ad sua principia, vltra quæ non possit progredi ad aliqua alia, sed ad id peruenitur, in quo est consistendum, ideo vltimam interni assensus fidei resolutionem nihil esse aliud, quàm eius reductionem ad sua vltima principia: principia autem eius sicut & cuiuslibet actus intellectus sunt duo, nimirum potentia seu intellectus, & obiectum; vndè etiam duplex potest distingui eius resolutio, vna per ordinem ad potentiam, altera per ordinem ad obiectum. His positis, pro explicatione difficultatis sequentes conclusiones statuimus.

Conclusio 1. Causa immediata & propria ex parte potentiæ, siue causa efficiens integra, in quam vltimo resoluitur internus fidei assensus eiusque certitudo, est pia voluntatis affectio determinantis intellectū vtroque modo, hoc est tam quoad exercitium, quam quoad specificationem ad assensum, & ipsum lumen fidei, seu habituale, seu actuale, quo illustratus & confortatus homo elicit actum supernaturalem fidei. Ratio est, quia tunc vnumquodque censetur ex parte causæ suæ efficientis vltimatè resolui, quandò quidquid est in illo, reducitur ad proprias & vltimas causas efficientes, vltra quas nulla datur; atqui causæ efficientes assensus diuinæ fidei tam in ratione suæ supernaturalitatis, quàm in ratione summæ suæ certitudinis, sunt hæ à nobis enumeratæ, pia videlicet voluntatis affectio, & ipsum lumen fidei seu habituale, seu actuale, vt in tractatu de fide communiter docent Theologi: igitur internus assensus fidei consideratus per ordinem ad integram

suam

suam causam efficientem rectè resoluitur vltimatè in duo prædicta.

Conclusio 2. Vltima resolutio interni assẽsus diuinæ fidei ex parte obiecti sit vltimatè in solam primam veritatem obscure reuelantem, seu ipsammet reuelationem obscuram primæ veritatis; in qua quidem primum obtinet locum ipsemet internus Dei conceptus, seu notitia de veritate reuelata, secundarium externa signa, quibus velut instrumentis Deus suum conceptum pandit. Probatur, quia vltima resolutio interni assensus diuinæ fidei considerata hoc modo debet fieri solummodo in totam & adæquatam rationem formalem credendi, seu in ipsum eius adæquatum formale obiectum, ita vt interrogati in genere causæ formalis, cur credamus, debeamus ibi sistere, nec possimus interrogati vlterius aliquid aliud respondere, vel adducere, quod in genere causæ formalis sit id, propter quod præbeamus assensum, & talem actum elicimus: atqui vt suppono ex tractatu de fide tota & adæquata formalis ratio credendi, seu totum & adæquatum formale obiectum nostræ diuinæ fidei, est diuina authoritas reuelans, seu actualis diuina reuelatio modo in conclusione explicato; ergò vltima resolutio interni assensus diuinæ fidei ex parte obiecti sit vltimatè in solam reuelationem diuinã, vt in formalem rationem credendi, & in nihil aliud.

Conclusio 3. in ijs, qui iam receperunt fidem, diuinæ fidei assensus, qui datur contrà errores, dubitationes, difficultates insurgentes circa obiecta particularia diuinæ fidei, resoluendus est in diuinam authoritatem Ecclesiæ, nõ quidem per modum rationis formalis obiectiuæ, sed per modum regulæ infallibilis, quâ secundum legem Dei ordinariam notificantur, & applicantur credenda, vt superiori capite probauimus. Quare interroganti, cur credamus, seu vndè sciamus, hæc omnia, & singula, quæ credimus, esse diuinitus reuelata; rectè respondebimus, nos id quidem euidenter non scire; quin etiam credere formaliter, non ob aliam rationem credendi obiectiuam: attamen certò credere ob eam ipsam reuelationem diuinam, qua obiecta eiusmodi credenda reuelata sunt, mediante infallibili Ecclesiæ propositione nobis patefactam; quæ quidem propositio non sit ratio vltima credendi, sed medium, per quod obiecta credenda, simul cùm ratione credendi, fidelibus debito modo applicẽtur; adeoque conditio, sine qua, iuxta legem Dei ordinariam credenda omnia & singula à non credendis discernere non possent.

Conclusio 4. causa seu ratio obiectiua, in quam resoluitur iudicium euidens de credibilitate fidei, sunt motiua, quæ ad fidem concipiendam necessaria sunt: cùm tamen interim fides ipsa, seu fidei certitudo, in ea, veluti in causam seu rationem assentiendi, minimè resoluatur, sed solum velut in conditionem applicantem obiectum fidei, quandò primùm suscepitur. Ratio primæ partis assertionis est; si enim quærã, cur fides de obiecto tã obscuro & arduo tibi credibilis visa est; seu quod idem est cur in animum induxeris, fidem tàm arduã acceptare? rectè respondebis, quia ita mihi proposita est, vt grauissimis motiuis & argumẽtis facta sit euidenter credibilis. Ratio verò secundæ partis conclusionis est, quia assensus diuinæ fidei in id, tanquam in conditionem resoluitur, quod necessariò prerequirit per modum alicuius conditionis, quia vnumquodque resoluitur in aliud eo modo, quo ab illo, vel ex illo generatur, atqui assensus diuinæ fidei generatur ex prædicto hoc iudicio de euidentia credibilitatis, & ex ipsis motiuis diuinæ fidei, quatenus ista sunt quædam conditiones prærequisitæ necessario ad assensum diuinæ fidei primo ingenerandum; igitur id, in quod vltimate resoluitur assensus fidei, non vt rationem formalem, nec vt regulam credendorum, sed solummodò, vt conditionem prærequisitam ad generationem huius assensus, sunt prædicta motiua credibilitatis, & prædi-

ctum iudicium de eorum euidentia.

Ex istis omnibus conclusionibus necessario præmittendis pro explicatione præsentis difficultatis manifestè sequitur, quomodo Catholici non committant circulum vitiosum, dum Ecclesiam statuunt pro supremo controuersiarum iudice; & interrogati, cur credant Deũ v. g. esse Trinum & vnum, respondent quia Deus reuelauit, & vlteriùs interrogati, cur credant Deum reuelasse, respondent, quia Ecclesia id illis dicit, & vlterius interrogati, cur credant Ecclesiæ, respondent quia Deus reuelauit illam esse firmamentum & columnam veritatis, seu esse infallibilem regulam proponentem credenda. Primum enim tali regressu non replicatur ipsamet ratio formalis obiecti fidei, sed motiua tantùm, & regulæ credendi, vt ex dictis constat. Deindè quia nobis absolutè loquendo tali regressu ad credendũ opus non est. Quasi videlicet nec vllum quãtumuis semper ab vniuersa Ecclesia receptum sacræ Scripturæ librum, nisi propter creditam iam antea fide diuina infallibilem Ecclesiæ authoritatem; nec hanc nisi propter Scripturam credere possimus: cum possit ex communibus motiuis fidei, quibus ipsa etiam Ecclesiæ authoritas, sed nondum vt infallibilis fide infallibili credita continetur, vtrumuis, & vtrumque absque vlla eorum necessaria inter se dependentia credi, vt communiter docent Theologi in tractatu de fide; potest enim ex duabus hisce regulis credendis, vtrauis per se separatim, & independenter ab alia, ita sufficienter proponi ex communis fidei motiuis, in quibus etiam Ecclesiæ authoritas velut in humanis summa continetur, vt ei tanquam euidenter credibili sine dubitatione fides adhibenda sit. Sed hic regressus, fideique resolutio quæ fit quo ad nos in Ecclesiam vt proponentem & applicantem nobis obiecta credenda, habet solummodò locum in eo qui iam suscepit fidem, & cui illa retenta exoritur quędam dubitatio circa particulares quasdam materias; vnde propriè loquendo non est circulus, sed est ex iam admissis tanquam indubitanter veris resoluere assensum circa ea, quæ possunt aliquã dubitationẽ ingenerare.

Et potest explicari exemplo sumpto à Mathematicis, qui ex postulatis probant sæpenumero suas conclusiones, imò posteriores per priores, nec tamen dicuntur committere aliquem circulum, & est valde in omnibus disciplinis familiare, ex iam concessis probare aliud, nec id vitio ijs tribuitur tanquam admittentibus aliquem circulum; quare cum nos omnes Catholici admittamus Ecclesiam regi à Spiritu Sancto, habereque authoritatem, qua est constituta à Deo infallibilis regula & iudex credendorum, dum assensum nostræ fidei circa aliquod particulare obiectum resoluimus in hanc authoritatem Ecclesię non censemur propriè committere circulum, sed sic resoluendo procedimus à re minus nota quo ad nos, ad rem magis nobis notam, qui modus probandi censetur optimus ab omnibus Philosophis. Quod idem penitus dicendum est, dum rursus ad probandam Ecclesiæ authoritatem & infallibilitatem recurrimus ad scripturam illam docentem, & commendantem, tantum enim ad scripturæ testimonium recurrimus, quandò nobis agendum est cum ijs, qui scripturas admittunt, idque potius argumento ad hominem, aut ex concessis ab aduersario, quàm argumento fundato in aliquo notiori principio: cùm si nobis esset disputatio cum negantibus scripturas, alia via procederemus: cùm enim disputando cum hæreticis ostendimus infallibilitatem & authoritatem Ecclesiæ ex sacris litteris, non propriè asserimus causam istius nostræ cognitionis (est enim Deus reuelans) imo nec impulsiuam; non enim præcisè credimus Ecclesiam esse infallibilem, quia scriptura dicit, quasi si id taceret, non crederemus, sed ex alijs multis motiuis, quæ nos excitant ad assensum credibilitatis circa Ecclesiæ infallibilitatem formandum.

Adde

Adde tertiò apud Aristotelem 1.Poster. cap.3. & Philosophos, circulum in ratiocinando nec vocari, nec culpari, nisi quandò ab eodem prorsus ad idem, nulla interim vtriusque variatione quo ad notitiæ rationem interueniente, fit regressus. Quod tum demum contingit, quando consequens ex antecedente illatum, nulla alia, præterquam antecedentis notitia fultum & probatum, mox iterum ad sui antecedentis probationē assumitur. Sic enim planè idem respectu eiusdem, foret prius & posterius, aut certè notius & ignotius; sic idem ex seipso probaretur, vt optimè Aristoteles contra veterum quorumdam errorem loco citato argumentatur. Secus est, quandò consequens alio quodam diuerso medio innotescit, atque sic demum ad sui antecedentis probationem assumitur; tunc enim nec Aristoteles, nec vllus Philosophorum negat, fas esse regressu in argumentando vti. Neque verò sic absurdis superius adductis, aut alijs quibuscumque vllus aperitur locus, neque ipsi etiam Aristoteli insuetum fuit, tali modo ratiocinandi vti; quandoquidem ex diuisibilitate motus probat diuisibilitatem temporis, & è cōtra; & rursum æternitatem motoris ex æternitate motus & contra, vt videre est apud eumdem 6. Physior. text. 37. & 38. & 8. Physic. text.53.

Rem autem in nostro casu sic se habere, ita manifestum fit. Primò, quia quandò interrogati, cur credamus Deū esse incarnatū, respondemus quia Deus reuelauit, & vlterius interrogati, cur credamus Deum reuelasse, respondemus quia Ecclesia nobis id proponit; talis circulus est in diuerso genere causæ, est enim à causa formali assensus diuinæ fidei, ad causam ipsius acceptationis fidei: nam causa formalis assensus est diuina reuelatio, causa verò, qua sum inductus, & persuasus vt acceptarem hunc & istum articulum vt à Deo reuelatum, est diuina authoritas Ecclesiæ. Vel secundò quandò ex infallibili Ecclesiæ propositione, persuadetur alicui fides, siue totius scripturæ diuinæ, siue certæ tantum alicuius partis, aut mysterij, de quo dubitat, iā certè illa Ecclesiæ propositio, qua talis, infallibilis non creditur (etiam loquendo de motiuis credēdi) ex ipsius Scripturæ, quæ suadenda est, infallibili authoritate; sed vel ex cōmunibus fidei motiuis in priore casu, vel ex alterius cuiusdam libri Canonici iam antea explorata authoritate, in posteriore. E conuerso quando ex aliquo scripturæ loco v.g. Matth. 16. 1. Timoth. cap.3. suadetur infallibilis Ecclesiæ in proponendo authoritas: iam pro argumento fidem suadente, non adhibetur Scriptura, pro vt præcisè ex Ecclesiæ infallibili authoritate & propositione discitur; sed vt vel ex alijs Scripturæ locis, vel ex communibus motiuis fidei, quibus ipsa, vt diximus, Ecclesiæ authoritas quidem, sed non vt infallibilis, & infallibili fide credita continetur, rectissimè creditur.

Et certè quoties alicuius veritatis assensus externo medio nititur, nil penitus obstat, quo minus ille ex vno medio conceptus, vicissim ad eiusdem medij assensum concipiendum assumatur; modo seorsim vtraque eiusmodi veritas aliunde sufficienter credibilis reddatur, atque sic demum in probando mutuas sibi inuicem operas præstent. Cuius rei exemplum familiare habemus in politia humana circa legum promulgationem, ad quam requiritur tanquam ratio formalis authoritas legislatoris, deinde in ministro promulgante, vel denuntiante talem legem, requiritur fidelitas omnimoda, non quidem factiua legis, sed tanquàm scribæ signantis, & discernentis quænam sit lex vera, & legitima, ne decipiatur populus proponendo ei vnam legem pro alia; vndè notarijs datur authoritas à Rege, & à lege, vt credatur ei, quod ipsi signauerint; sicque res adhuc se haberet, si Deus duobus Prophetis reuelaret quæpiam, & in his ipsis etiam vtrique, vtrumque verum esse prophetam, addita vi sufficiente, qua singuli sua eiusmodi vaticinia sufficienter

ter credibilia redderent, vel per miraculorum patrationem, vel aliqua alia simili via; tum demum vicissim vnus alteri testimonium meritò perhibere posset. Quod aliqui de facto iam quodammodo accidisse putant in Christo Domino, & Ioanne Baptista, quorum vterque, cum suis dictis iam antea sufficientem fidem, tùm ex sanctitate vitæ, tùm ex miraculis astruxisset, rectissimè alter alteri veritatis testimonium perhibere potuit, ita vt Christo fides haberetur ob testimonium Ioannis, tanquam ob motiuum fidei, iuxta illud Ioannis 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*; qua de causa etiam Christus testimonium Ioannis pro se allegauit Ioannis 7. Et vicissim Ioanni, ob authoritatem Christi, quæ à parte rei erat ipsissima credendi ratio, iuxta illud Lucæ 7. *Et omnis populus audiens* (testimonium Christi de Ioanne) *& Publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis*, de quo vide dicenda lib. 3. sect. 2.

Quemadmodum igitur nullus est circulus in lege humana, & in obtemperando legi, quia lex iubet, quæ à ministris proponitur, & quia à ministro publico promulgatur, quem lex authorizat, ita neque in credendo scripturā, aut aliquod aliud fidei mysterium, quia Deus reuelauit, & Deum reuelasse Ecclesia dicit, non committitur circulus vitiosus, quia tam Scripturæ, quam Ecclesiæ authoritas in diuersô genere causæ se habent modis statim explicatis; & sicut hæretici non possunt reprehendere mutuum testimonium, quod Christus Dominus, & S. Ioannes Baptista de se inuicem tulerunt, nec condemnare discipulos vtriusque, qui propter vtriusque elogium eos tales crediderunt, quales Magistri se inuicem prædicabant; ita nec possunt calumniari Catholicos, quod etiam propter testimonium Scripturæ talem credant & Ecclesiam, & è contra propter testimonium Ecclesiæ talem credant esse scripturam; & responsum quod dabunt hæretici, pro vitando circulo tàm in prædictis, quam in alijs similibus casibus; illud etiam facile applicabitur pro vitando circulo circa Ecclesiam, & Scripturam.

Sic tantùm abest vt Catholici, in admittendo Ecclesiam pro supremo controuersiarum iudice, cōmittant aliquem circulum vitiosum, quin potius hi ipsi aduersarij, qui illum nobis obijciunt, illi inquam, ipsi sint, qui in *circuitu ambulant*, & in sua credendi ratione circulum ineluctabilē habent; quod sic ostendo, dum enim inquirimus ab ipsis, vnde constat hanc scripturam, cui tanquam puro Dei verbo se credere dicunt, esse veram ac legitimam, & non corruptam? vnde hoc discernunt? vel ex ipsa scriptura, vel ex alio principio præter Scripturam. Si ex ipsa Scriptura, iam petitur principium, & in fidei resolutione proceditur à re minus nota ad rem æque aut minus notam, & proinde insufficientem, vt possit esse vltima fidei regula & iudex; nam æque ignota est infallibilitas ipsius Scripturæ sacræ (præcisa authoritate Ecclesiæ) ac est ignota propositio per illam probanda, cū non possit aliundè probari hanc Scripturam sacram esse sacram, nisi ex ipsa traditione Ecclesiæ & eius declaratione, vt supra probauimus.

Si respondeant ex alio principio præter Scripturam, eius veritatem colligi, in primis iam non statur puro Dei verbo, sed ad aliud principium deuoluimur; & inquiro quodnam sit illud principium vnde hoc infallibiliter iudicatur, & scitur; vel enim hoc illis proprio, & priuato vniuscuiusque spiritu constat, vel quia sic acceperunt à Iudæis, eorumque Synagoga, cui primum tradita est Scriptura, vel quia illam acceperunt ab Ecclesia nostra visibili, vel tandem ab illa sua Ecclesia inuisibili, quam fingunt. *Primum* stare non potest, quia si proprio Spiritui credendum est, cōtradicitur ipsi Scripturæ 1. Ioannis cap. 4. vbi dicitur: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi*

Pseudo-

Pseudoprophetæ exierunt in mundum; & eadem adhuc redit difficultas, vnde probandi sunt isti spiritus? & cum tot sint spiritus & sententiæ quot capita, & inter se valde dissentiant, & opponantur, multò maior orietur confusio, & incertitudo, cum non sit maior ratio cur credatur vni, quam alteri cunctis allegantibus se habere verum spiritum, fideique conformem: si autem proprium vnusquisque sequitur iudicium, iam tot erunt fides, & tam contrariæ, quot sunt sententiæ & capita.

Si *secundum*, quomodo credunt Synagogæ & non Ecclesiæ? Vnde constat Synagogam errare non potuisse in tradendis scripturis, cum iam sit eiecta, & repudiata, potuisse verò Ecclesiam à Christo fundatam, & institutam; & cum Euangelium, & nouum testamentum à Synagoga accipere nō potuerint, iam saltem in illo tradendo Ecclesiam errare non posse habebimus, aut si potest errare, non sunt ipsi certi, quod in nouo testamento purum & incorruptū habeant Dei verbum. Si *tertium*, iam fatentur quod nos intendimus, Ecclesiā scilicet nostram, quæ sola est vera, pro vt suis se notis satis prodit, errare non posse in tradendis & proponendis veris scripturis, si ideo illis credunt, quia ab Ecclesia acceperunt, siue quod idem est, quia illarum veritas & infallibilis authoritas ab omnibus omnium sæculorum hominibus fuit recepta & approbata, in hoc enim apertè recurritur ad Ecclesiam, quæ est illa omnium sæculorum congregatio. Si *quartum*, in primis non constat quæ sit ista Ecclesia inuisibilis, nisi sint proprij vniuscuiusque spiritus, & sic reditur ad primam difficultatem; vel quidquid aliud sit, restat eadem difficultas, vndè constet illam inuisibilem Ecclesiam deficere nō posse, & habere nunc verum Dei verbum, sinceramque eius intelligentiam, sicut obijciunt nostram defecisse paulatim, & inaduertenter; quod si posse deficere concedant, vnde habent quod non defecerit? quare vndequaque se vertant hæretici, perplexos & confusos in sua fide manere necesse est; suaque in credendi ratione circulum ineluctabilem vitare non possunt, quamdiu Ecclesiæ authoritatem dignoscendis diuinis Scripturis, controuersijsque circa illas dirimendis non adhibent; quod aliunde nulla ipsi adducere possunt motiua, quibus vtrumque eorum, quod circulariter credunt, per se sufficienter credibile reddant. Motiua enim communia fidei nostræ recipere nō possunt, nisi reliquam etiam pariter fidem nostram recipiant; propria non habent & si quæ habere sibi videntur, præ nostris valent nihil; adeo vt vlla prudenti ratione ijs moueri ad credendum quicquā (multò minus aliquid fidei nostræ contrarium) nullatenus possint; quandò longè amplioribus fidei nostræ motiuis ad credendum non mouentur; de quibus fusius agetur infra libro 4.



SE-

SECTIO SEPTIMA.

De varijs notis opinionum, vel propositionum falsarum ad doctrinam Sacram spectantium.

CAPVT PRIMVM.

De propositione hæretica.



VM eadem sit contrariorum ratio, & disciplina; postquam in superioribus egimus de locis Theologicis quo ad gradum certitudinis, & veritatis, quem faciunt in probationibus ad doctrinam fidei pertinentibus, nunc breuiter agendum est de varijs censurarum speciebus, vel gradibus, quibus Summi Pontifices, & Concilia notant diuersas opiniones, & propositiones falsas ad eamdem fidei doctrinam spectantes. In Concilio enim Constantiensi sess. 8. articulis Vvicleffi apponuntur respectiuè hæ censuræ, *notoriè heretici, & à Sanctis Patribus reprobati; alij non Catholici, sed erronei; aly scandalosi, & blasphemi; quidam piarum aurium offensiui: nonnulli temerarij, & seditiosi.* Quas easdem censuras apponit idē Concilium Constantiense sess. 15. propositionibus Ioannis Hus, excepto illo verbo: *blasphemas*: desumuntur etiam ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. edita contra aliquas propositiones Michaelis Baij, & nouissimè ex constitutione Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. D. Innocentij diuina prouidētia Papæ X. contra quinque propositiones Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, quas respectiuè dicunt, *esse hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, blasphemas, impias, contumeliosas, diuinæ pietati derogantes, immittentes offensionem in aures pias.*

His alij addunt propositionē *proximā heresi, proximam errori, & suspectam de errore.* Imò si de propositione non solùm infra hęresim, sed in rigore dānabili sermo sit, addendæ erunt propositiones, Iudaica, Pagana, Athea. Nam propositio dicens, Christum nondum venisse, sed venturum, non est hæretica, cum religionem Christianam non retineat, pro vt hæretici omnes retinent, sed erit propositio Iudaica. Quæ verò asserit plures esse Deos, non erit Iudaica, cum non retineat vetus testamentum, sed Pagana inducens idololatriam; ad quod genus reduci possunt propositiones propriæ Mahometismi, quæ nec Christianam, nec Iudaicam religionem sequuntur, sicut & sectam illam communiter Theologi docent ad Paganismum reduci. Denique propositio negans omnem Deum est Athea; de his tamen modo sermo non est, sed tantùm de propria hæresi, siue quod idem est de propositione hæretica, & de alijs infra hæresim.

Incipiendo igitur à propositione hæretica, notandum est non esse idem, aliquam propositionem esse hæreticam, & eum qui illam asserit esse hæreticum. Vt enim alibi Deo dante dicetur, vt errans censeatur hęreticus: debet esse pertinax: cum tamen propositio hæretica sit in se talis ob suam falsitatem, siue asseratur cum pertinacia, siue ex ignorantia sola, ita vt qui eam tenet, paratus sit suam opinionē falsam deponere, & mutare,

tare, si ita Ecclesiam iubere cognouerit. Sic doctores communiter diuidunt hæresim, in hæresim formalem, & obiectiuam. Formalem vocant peccatum illud actuale, à quo aliquis formaliter denominatur hæreticus: Obiectiuam verò, obiectum illud quod falsò creditur, vel asseritur ab hæretico; v.g. in eo, qui docet in Christo duas esse personas, datur hæresis formalis, nempè actus quo illud affirmat: hæresis autem obiectiua est obiectum illud falsum, quod affirmat: ipsa verò assertio, seu loquutio externa, qua id profertur, licet sit obiectum voluntatis internæ hæreticæ, non tamen dicitur hæresis obiectiua, sed hæresis formalis externa, quæ denominatur hæresis, & peccaminosa ab ipsa voluntate interna hæretica, & mala: quare si voluntas interna non esset mala propter ignorantiam, vel inaduertentiam, voces externæ non essent hæresis formalis externa, sed solum materialis. Obiectum tamen ipsum semper est hæresis obiectiua, nec, vt iam notauimus, hoc pendet à culpa affirmantis, quia obiectum semper opponitur veritati reuelatæ, quod sufficit ad hæresim obiectiuam. Quemadmodum enim obiectum fidei dicitur simpliciter fides, pro vt de mysterijs, & articulis in Symbolo Athanasiano contentis subditur: *hæc est fides Catholica, &c.* ita de obiectis contrarijs dici potest simpliciter, & absolutè, *hæc est hæresis.* Verum quidem est, hanc denominationem semper inuoluere ordinem ad hæresim formalem possibilem: nam asserere de obiecto illo, quod sit hæresis, est dicere, quod sit obiectũ contradicens obiecto à Deo reuelato, & sufficienter ab Ecclesia proposito, atque adeò aptũ, vt terminet hæresim formalem in illud affirmante, nisi ignorantia, vel aliquid aliud per accidens excuset. Non tamen est necesse, quod actu supponat hæresim formalem actualem, vt dicatur hæresis obiectiua actualis, sed sufficit quod sit obiectum tale, vt ex se sit aptum ad terminandam formalem. In præsenti dum agimus de propositione hæretica, difficultas non procedit de propositione formali hæretica, siue de his, quæ requiruntur ex parte subiecti, vt homo censendus sit hæreticus, sed tantum de propositione obiectiua, siue de his quæ requiruntur ex parte obiecti, vt propositio sit hæretica.

Circa quod communis est doctorum sensus, propositionem hæreticam à Patribus intelligi eam, quæ contradictoria est, alicui propositioni fidei per se, & directè in quacumque materia siue speculatiua, siue practica: ita vt hæretica neget, quod propositio à Deo reuelata, & ab Ecclesia definita vt talis affirmat, aut illa affirmet, quod ista negat. Proindeque non requiritur, quod obiectum hæresis opponatur articulis fidei, sumpto nomine *articuli* strictè, pro vt significat præcipua quædam fidei dogmata, quæ continentur in symbolis, sed sufficit quod opponatur cuicumque veritati, quam fides Catholica credit, quæcumque illa sit; Qua in re cum omnes doctores consentiant, primum est difficultas inter illos, an ad propositionem hæreticã ex parte obiecti requiratur, quod obiectum negatum sit reuelatum à Deo reuelatione communi toti Ecclesiæ? Affirmatiuam enim partem tenere debent omnes illi qui dicunt reuelationem priuatam non credi eodem habitu fidei infusæ, quo reuelationes communes; negatiuam verò, qui oppositum docent. Verùm quicquid sit de hoc, an dissentiens rei reuelatæ sibi à Deo priuata reuelatione sit hæreticus, vel non; an incurrat pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas vel non, de quibus videri possunt doctores in tractatu de fide; existimo sufficere ad propositionem obiectiuè dumtaxat hæreticam, quod obiectum negatum sit reuelatum à Deo quacumque reuelatione. Eo enim ipso opponitur secundum se veritati reuelatæ, quod sufficit ad hæresim obiectiuam independentem à culpa affirmantis, vel negantis.

Secunda difficultas est, quid Concilia & Summi Pontifices intelligant, dum

dum aliquas propositiones *notoriè*, vel *manifestè hæreticas* vocant; aliqui enim vt Lorca in tract. de fide, putant ideo ita vocari, quia hæresis non potest esse, nisi sit notoria, & manifesta, atque ideo, quando aliæ propositiones dicuntur erroneæ, non addi *notoriè*; quia error potest esse notoriè, & non notoriè. Verùm hæc glossa non satisfacit, quia si de ratione intrinseca omnis hæresis est, quod sit notoria, frustra adderetur illa particula, sufficeretque dicere simpliciter esse hæreses: præterquam quod in communi modo loquendi, quando dicimus aliquid esse notoriè falsum, plus volumus dicere quam falsum, vt satis per se patet. Melius igitur alij docent hæresim manifestam, seù notoriam aliquid addere supra hæresim non manifestam. Primò quia potest aliquando esse hæresis occulta, non quia sit purè mentalis, sed talibus verbis significata, vt illam proferens habeat ansam tergiuersandi, & negandi se dixisse hæresim, sed potius loquutum se in sensu Catholico, quæ solent dici propositiones hæresim sapientes, hoc est de quibus est suspicio, quod afferantur in sensu hæretico, qui sensus, & hæresis ipsa obiectiua est hęresis manifesta, sed voces, quibus significatur, sunt ambiguæ, & non est manifestum quod proferantur in sensu hæretico. Sic in Concilio Constantiensi Vviclefi articuli dicuntur notoriè hæretici, quia voces ipsæ, modusque loquendi illius nullum relinquebant locum ambiguitatis de sensu hæretico per eum significato. Rursus secundò ipsa etiam hæresis obiectiua dicitur aliquando hęresis notoria, & manifesta, quia non sunt opiniones doctorum circa illam, an sit hęresis, sicut contingit esse circa alias, quas aliqui doctores dicunt esse hęreses, alij negant.



CAPVT II.

De propositione erronea.

PRo intelligentia difficultatis animaduertendum est, erroneam in fide, vel doctrina fidei propositionem latius patere, quam hæreticam: etsi enim omnis propositio hæretica sit erronea, non tamen omnis erronea est hęretica; vnde rectè notant aliqui erroris vocem sumi posse dupliciter, primò veluti genericè, & secũdum quod attribuitur cuilibet propositioni falsæ in qualibet materia, nam qui falsum pro vero credit, errat à vero, & decipitur; secundo magis strictè, ac veluti specificè accipitur, pro vt est censura specialis infra hæresim: quicquid enim alij dixerint, certè tam in Concilijs, quam in Summorum Pontificum Bullis, condistinguitur propositio erronea ab hæretica, communiterque Theologi censuram illam mitiorem existimant, & quę non attingat hęresim. Iam ergo non agimus de errore aut de propositione erronea in prima acceptione nimis lata, & generica, cum in eo sensu hæresis etiam sit error, vt satis ex se patet; sed tantum agimus de illa in secunda acceptione, & provt conueniunt doctores esse censuram specialem, infra hæresim, & ab illa distinctam. Hic enim factum est, quod sæpius alias, vt nomen genericum speciei ignobiliori approprietur.

Quomodo autem differant inter se hęresis & error, secundum quod sunt notæ falsitatis in doctrina fidei, siue quod idem est, secundum quod constituunt varios, ac diuersos gradus propositionũ in materia, seu doctrina fidei perniciosarum, & censuræ nota affectarum, non omnes eodem modo explicant. Primò enim aliqui cum D. Antonino 2. p. tit. 12. cap. 4. dicunt, errorem esse hæresim sine pertinacia prolatam, accedente autem pertinacia fieri hæresim. Sed hic modus explicandi communiter reijcitur, & meritò, quia pertinacia se tenet ex parte subie-

subiecti, non ex parte obiecti; hæ autem censuræ, vt superiori capite iam notauimus, & supposuimus, non tendunt ad iudicandum crimen in concreto, sed propositiones secundum se, atque adeò solum ratione sui obiecti. Secundû quod fidei inquisitores petentes à suis qualificatoribus Theologicis censuras propositionum, nihil dicunt de pertinacia, aut culpa auctorum, sed iudicium exigunt solùm de propositione secundùm se, an sit hæretica, vel erronea, vel temeraria, &c. Alij ergò secundo docent propositionem hæreticam esse, quæ opponitur veritati reuelatæ non demonstrabili, v.g. *Deus non est Trinus*, erroneam verò, quę opponitur veritati Catholicæ demonstrabili, v. g. *Deus non est*, vel *Deus non est vnus*. Sed neque hoc defendi potest, quia quodlibet obiectum reuelatum, quantumuis aliunde ratione naturali demonstrabile, non potest sine hæresi negari, v. g. existentia Dei, immortalitas animæ rationalis, &c. quæ qui negaret absolutè, & sine vlla limitatione, esset procul dubio hæreticus, & incurreret omnes hæreticorum pœnas. Si autem obiecta hęc non essent diuinitùs reuelata, quantumcumque demonstrari possent ratione naturali, nec sine culpa negari possent, adhuc non pertinerent ad fidem, quæ credere non potest quidquã, nisi propter authoritatem, vel testimonium primę veritatis reuelantis, atque adeò qui ea negaret non peccaret contra fidem, & per consequens non esset hæreticus, cum omnis hæresis sit infidelitatis species.

Tertius explicandi modus est aliorum, qui dicunt errorem esse, qui deficit ab vna, vel altera conditione requisita ad hæresim perfectam: ad hanc enim requiritur, quod certissimè, & indubitãter opponatur alicui propositioni, quæ certissimè etiam, & indubitanter pertineat ad fidem. Vndè quando vel oppositio non est ita certa, vel non est ita certum, quod sit de fide propositio, cui opponitur, tunc deficit ex ea parte ab hæresi, & est error: ita id explicant plures doctores, quos refert, & sequitur Lorca 22. disput. 40. num. 7. qui erroneã propositionem definit eam, quæ opponitur quidem fidei veritati, sed non oppositione omnino certa, & indubitata. Verum neque hic etiam modus explicandi plenè satisfacit; quia eiusmodi propositiones magis propriè videntur esse proximæ heresi, quàm errores: participant enim substantiam hæresis, quæ est oppositio immediata cum fide; vnde etiam ab hęresi non tam in ipsa substantia, quàm in modo, hoc est, in certitudine an sint hæreses, differunt, & ideo vocari possunt proximę hęresi, quatenus non ab omnibus, sed à pluribus æstimantur hęreses. Quę differentia cum non sit intrinseca, sed extrinseca, proueniens videlicet à iudicio aliquorum negantium esse hęreses, quod sufficit vt in foro externo ille non condemnetur absolutè vt hęreticus, quia potest se tueri opinione aliquorum negantium, quod opponatur fidei; cùm, inquam, hęc differentia sit solùm extrinseca non sufficit, ad constituendam propositionem erroneam, secundùm quod est species quędam censurę distincta ab hęresi, proximumque post illam gradum tenens.

Quartus igitur, illeque probabilior, & melior explicandi modus est, quod error, vel propositio erronea propriè sit, quę cõtradictoria est, & opposita doctrinę ab Ecclesia definitę, seu quã nõ tantùm vt probabilem, sed vt certam & indubitatam asserit Ecclesia. Quia enim nõ solas à Deo reuelatas veritates Ecclesia definit tenendas, sed etiã aliquas alias vt sequenti libro suo loco dicemus; idcircò eæ propositiones sunt non hæreticę, sed erroneę in fide quę opponũtur illis, quas non vt reuelatas, sed vt cõmuni doctorũ consensu examinatas, & certas probat, & tenet Eclesia, ita vt quemadmodũ propositio hęretica opponitur directè authoritati Dei reuelantis, ita erronea opponatur authoritati Ecclesiæ, quam diuinæ quidem subordinatam, sed ab ea diuersam esse suppono ex dicendis sequenti libro. Vel aliter, quod in idem ta-

tamen coincidit: propositio erronea est illa, quæ non opponitur immediatè, sed mediatè solùm doctrinę fidei, quatenus negat immediatè propositionem, quæ non est de fide, sed conclusio tantùm Theologica, necessariam tamen habens connexionem cum propositione de fide. Cuius explicationis bonitatem colligo primùm ex eo quod propositio erronea minor est, quàm hæretica, hic enim factum esse supra notauimus, quod alias sæpius, vt nomen genericũ speciei ignobiliori attribueretur; communis autem doctorum sensus est, per hæreticam propositionem intelligi eam, quæ directè, & immediatè opponitur fidei, vel obiecto formaliter reuelato; ergo per erroneam debet intelligi illa, quæ non immediatè, sed solùm mediatè, non directè sed indirectè opponitur fidei, quatenus negat immediatè propositionem, quæ non est de fide, sed conclusio solùm Theologica, necessariam tamen habens connexionem cum aliqua præmissa de fide.

Secundò cum hę propositiones, quę opponuntur conclusionibus Theologicis, siue quod idem est doctrinæ apud omnes Catholicos communi sensu indubitanter receptæ, quia vident illam valde connexam cum doctrina fidei, merẽtur censuram aliquam Theologicam, nec sint hæreticæ, cum non negent formalitèr, & expresè aliquid reuelatum; debent habere aliquam aliam censuram ab hæresi diuersam; non potest autem alia congruentior inueniri: quàm erroris nota, quia negant id, ex quo negato conuinci potest negare etiam fidei obiectũ; & propterea, licet propositio directè dumtaxat opposita conclusioni Theologicæ euidenter deductæ ex aliquo fidei principio non sit hæretica, quo ad praxim tamen videntur omnes doctores conuenire, quod puniendus sit vt hęreticus, qui illam negat, si quidem præsumitur talis, non enim pręsumitur negare præmissam euidentem, qua semel adhibita per bonam, & euidentem etiam consequentiam infertur conclusio Theologica, sed reuelatam, & ideo negare conclusionem. De quo vide Cardinalem de Lugo tractatu de fide disput. 20. sect. 3. num. 70. vbi rectè notat, id torum arbitrio, & prudentię iudicum relinquẽdum esse, qui attentis circumstantijs personę si sit docta, vel indocta, & rudis, loci, occasionis, & materiæ si sit abstrusa, & difficilis, ac alijs omnibus, possunt magis vel minus pręsumere animum hęreticum.

Tertiò error in fide, opponi debet aliquo modo cum ipsa fide, sed non potest opponi directè, & immediatè negando doctrinam fidei, aliàs esset hæresis, & non error dumtaxat, prout de illo in pręsenti loquimur, ergo saltem debet opponi, negando aliquid cum illa connexum, quodque propter talem connexionem pro certo & indubitato recipiatur ab omnibus Catholicis. Adeò vt, si cõmunis ille fidelium consensus aliũde oriretur, & non ex connexione rei illius cum principijs fidei, non esset propriè erronea doctrina, vel propositio, quæ rem illam negaret; sed aliã censuram haberet ex infra adducendis, sicque coincidunt illę duæ sententiæ, quarum vna dicit errorem esse, qui negat propositionem Theologicam, altera verò, qui negat doctrinam aliquam ita receptam communi Ecclesiæ consensu, vt nullus pius, ac verè doctus de ea dubitare audeat; & licet non sit expresè reuelata, aut definita, est tamen Catholica, secundum quod Catholicum idem est ac vniuersale, doctrinaque illa proindè, quam tota Ecclesia indubitãter profitetur, Catholica appellari potest, licet non sit expresè reuelata. Cum enim temeraria etiam, vel scandalosa propositio aduersetur doctrinę, quam omnes indubitanter tenent; alioquin non esset temeraria vel scandalosa: secunda sententia, regulaque ab illa adducta pro dignoscendis propositionibus erroneis, debet intelligi de illis, quæ aduersantur doctrinę apud omnes Catholicos communi sensu indubitanter receptæ, quia vident illam valde connexam cum doctrina fidei. Exemplum afferri solet in negante Beatissi-

tissimam Virginem resurrexisse, seu in corpore, & anima esse assumptam: quod licet non inueniatur expresse reuelatum aut definitum, pertinet tamen ad doctrinam Catholicam, eumque sibi certitudinis gradum apud Catholicos comparauit propter connexionem magnam, quã habet eum doctrina fidei. Ex eo enim quod Beata Virgo fuerit vera Dei mater, sequi videtur eam in corpore, & anima assumptam fuisse in cælis.

Iterum ex Concilio Tridentino, quod quam fidei doctrinam fidelibus tenendam proponit partim in capitibus, partim in canonibus, tradere videtur cum eo discrimine, vt quæ in canonibus traditur, sit omnino per se fidei diuinæ, eique contraria doctrina sit hæretica, nisi aliud ipsa Synodus significet; quæ verò non in canonibus definitur, sed solummodo in capitibus explicatur, sit doctrina Ecclesiæ, & ei opposita sit censenda erronea. De quo vide Melchiorem Canum in lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. vbi Synodum Tridentinã, cui tunc ipse interfuit cum hoc discrimine aliquas propositiones damnasse testatur.

Quia autem conclusio Theologica deduci potest tam ex vno principio fidei & altero euidenti lumine naturali, quàm ex duplici præmissa de fide, quod diximus huc vsque de propositione erronea, debet intelligi de propositione negante conclusionem Theologicam primo modo; si enim negaret conclusionem euidenter deductam ex duplici præmissa de fide, iam esset hæretica, quia conclusio illa, licet vt conclusio formaliter, & pro vt infertur ex principijs reuelatis nõ sit actus fidei, vt in hoc eodem libro supra diximus; obiectum tamen materiale illius potest credi per actum fidei, & cõtinetur formaliter in obiecto præmissarum, quod est reuelatum. Quare propositio negans illud obiectum non erit erronea sed hæretica.

CAPVT III.

De propositione hæresi proxima, vel errori.

Stabilito semel in superioribus capitibus, quid sit propositio hæretica, quid erronea; iam facile est explicare, quid sit propositio hæresi proxima, vel errori. Vt enim propositio hæretica à Patribus intelligitur ea, quæ contradictoria est alicui propositioni fidei indubitanter tali per se, & directè; ita propositio hæresi proxima cẽsenda est illa, quæ opponitur doctrinæ, quę licet reipsa, vel secundum se sit de fide, quia immediatè à Deo reuelata; quoad nos tamen non est omnino certò, sed tantùm probabiliter, & vt plerisque videtur de fide. Potest enim aliquando eadem propositio esse hęresis reipsa, & tamen affici hac censura, & iudicari proxima hęresi. Quia cùm hæc censura inuratur propositioni illi, quæ opponitur certò doctrinæ, quã non omnes sed plures existimant esse de fide, vel quam non omnes sed plures putant opponi doctrinę indubitatę de fide, & sępe contingat veram esse opinionem dicentium eam propositionem opponi fidei, vel contrarium esse de fide; sequitur, vt quoties ea opinio vera sit, toties hęc propositio sit verè, & à parte rei hęresis; alioquin opinio docens contrariũ esse de fide, vel eam propositionem verè opponi fidei, non esset vera, sed falsa contra suppositionem. Erit ergo tunc reipsa hęretica illa propositio, in iudicio tamen vltimo fidei censores non debent iudicare illam, vt hæreticam simpliciter, & sine addito; sed debent dicere eam plurium iudicio esse hęreticam, sed quia alij pauci id negant, esse iudicandam proximam heresi. Quarè hęc censura non tam videtur intrinseca ipsi propositioni, quam extrinseca propter diuersa doctorum iudicia, quorum aliqui eam dicunt esse hęresim, alij negãt, quam varietatem, & controuersiã significamus, dum dicimus esse proximã hęresi.

Aduertendum est tamen *primò*, ex communi doctorum consensu, non sufficere, vt aliqua propositio iudicetur proxima hęresi, quod vnus aut alter doctor eam dicat esse hęreticam. Cum enim aliqui sint procliues, & faciles ad censuras acerbiores, sic sequeretur plures propositiones vocari hęreticas, vel hęresi proximas, quas tamen alij temerarias dumtaxat, vel fortasse nulla censura dignas existimant. Vnde rationabiliter illa sola propositio censenda est hæresi proxima, quam licet non omnes, plures tamen graues doctores, & cũ graui fundamento dicunt esse hæreticam; paucis in contrarium reclamantibus, & ex aliquo leui fundamento; quod dico, quia si pluribus, iisque grauissimis doctoribus asserentibus ex aliquo graui fundamento aliquam propositionem hæreticam, darentur ex alia parte plures doctores non minus graues, quique ex non minus graui fundamento docerent non esse hæreticam; iam in tali casu non esset iudicāda vt hæresi proxima, sed vtraque quo ad nos intra probabilitatis limites manere deberet. *Secundò* notandum est ex communi pariter doctorum consensu, propositionem modalem non esse proximā hæresi, ex eo quod propositio categorica, seu de *inesse*, sit proxima hæresi: exemplum habetur in hac propositione: *Paruuli non habent iustitiam inhærentem*; quam aliqui dicunt esse dũtaxat proximam hæresi, quia multi communiter dicunt in Concilio definitam esse iustitiam inhęrentem vniuersaliter de omnibus. Non tamen erit proxima hæresi propositio modalis dicens; *Non est de fide, nec definitum, quod paruuli habeant iustitiam inhærentem*: quia hęc non negat obiectum ipsum proximum fidei, nempè iustitiam inhęrentem paruulorũ, sed solum gradum certitudinis illius veritatis, qui gradus potest esse sub opinionibus, licet obiectum ipsum directũ non possit in dubium reuocari.

Quod pertinet modo ad propositionem errori proximam, dicendũ est quod sicut propositio erronea est illa quę opponitur directè conclusioni Theologicę apud omnes Catholicos communi consensu indubitanter receptæ ob euidentē, & necessariam quam habet cum aliquo fidei principio connexionem; ita propositio errori proxima erit illa, quę opponetur conclusioni, quę à plerisque, licet non ab omnibus, ęstimatur Theologica. Quēadmodū enim si quis negat propositionē, quæ plerisq; videtur esse de fide, nec posse consequenter sine hęresi negari, propositio negans dicitur hęresi proxima; sic quando negatur propositio, quæ plerisque videtur esse conclusio Theologica, nec posse sine errore negari, propositio negās erit errori proxima, eum eadem omnino sit vtrobique cum proportione ratio: quare quod de propositione proxima hęresi iam dictũ fuit, illud idem proportione seruata debet applicari propositioni errori proximę. Quia autem tripliciter fieri potest, vt plerique putent conclusionem aliquā esse Theologicam, atque adeò sine errore negari non posse; hinc etiam tripliciter videtur posse reperiri propositio errori proxima. Primò, quando negat conclusionem, quę euidenter sequitur ex vna pręmissa euidenti, & altera, quam plerique, licet non omnes existimant esse de fide. Secundò, quando conclusio negata deducitur ex vna indubitāter reuelata, & altera euidenti, per consequentiam tamen, vel illationem, quam non omnes, sed plerique iudicant euidentem, aut necessariam. Tertius modus addi potest, quando negat conclusionem, quę euidenter infertur ex vna præmissa indubitanter reuelata, & altera, quā plerique, licet nō omnes, iudicant euidentem. Sicut enim solēt esse opiniones aliquando reflexæ circa probabilitatem aliarum opinionum, an talis opinio v. g. sit, vel non sit probabilis; ita aliquando sunt opiniones, non circa veritatem alicuius sententię, sed circa eius euidentiam, an scilicet sit, vel non sit euidens: & in eo casu dici potest, conclusionem euidenter illatam ex vna de fide, & altera, quam plerique euidentem putant

putant, esse talem, vt propositio eam negans censenda sit proxima errori. Cęterum vt conclusio tàm illata ex vna præmissa de fide, & altera probabili quantumuis per euidentem consequentiam, quam ex vna reuelata, & altera etiam euidenti, sed non per illationem euidentem, sed tantùm probabilem; vt, inquam, talis conclusio non est propriè in vllius sententia Theologica, ita propositio illam negans neque error, neque proxima errori dicenda est.

Etsi autem comparatione facta inter propositionem hęresi proximam, & propositionem errori proximam, grauior sit primæ, quam secundæ censura, vel nota; quæri potest vtra sit grauior censura propositionis, an erroneæ, an proximæ hęresi? Respondet Eminentiss. Cardinalis de Lugo loco iam citato omnibus pensatis grauiorem esse censuram erroris; cuius rationem affert, quia qui dicitur hæresi proximus, solùm significatur, quod in aliquorum sententia, vel opinione sit hæreticus, quæ tamen opinio falsa esse potest, & ideo nō inuenitur in eo necessaria, sed contingens dumtaxat cum hæresi connexio. Vbi qui negat conclusionem Theologicam, deductam euidenter ex præmissa certa de fide, & ex alia præmissa euidenti lumine naturæ, quæ conclusio sine errore negari non potest, eo ipso inuenitur habere necessitatem ad negandam præmissam de fide, quantum est ex parte obiecti negati, quia præmissa euidens necessitat ad eam non negandam, & aliundè constat non posse conclusionem esse falsam, nisi vna ex præmissis sit falsa: cum ergò illatio etiam sit euidens, atque adeò negari non possit, inuenitur necessitas, quantùm est ex parte obiecti nisi ignorantia excuset, ad negandam pręmissam de fide, quæ sola potest liberè negari. Ideoque eiusmodi error obstinatè retentus inducit in foro externo præsumptionem adeò vehemētem de hæresi, & maiorem, quàm inferat propositio hæresi proxima.

CAPVT IV.

De propositione sapiente hæresim, vel hæreseos suspecta.

Etsi aliqui Theologi confundant propositionem sapientē hæresim cum erronea, vt Simancas & alij, quos refert Suares de fide disput. 19. sect. 2. n. 16. nihilominus tamen longè probabilior est aliorum sententia, qui dicunt hanc censuram distinctam esse ab errore, & in gradu inferiori. Si quidem suspició est quid multo minus, quàm pręsumptio, vt satis per se patet; sed error concessus, vt iam notauimus, cogit ad negandum principium reuelatum, & ideo non solum suspicionem, sed præsumptionem magnam affert de hęresi; ergò propositio suspecta de hęresi, non solum est distincta ab erronea, sed etiam quid minus videtur significare quàm illa: quare etiam multo minus requiritur ad suspectum, quam ad errorem. Imo potest etiam distingui à propositione errori proxima, quia hęc à plerisque saltem, licet non ab omnibus iudicatur erronea, quod tamen iudicium non inuenitur in propositione suspecta, vel sapiente hęresim.

Iam ergò difficultas est in quonam hæ duæ censuræ consistant; breuiterque dico propositionem illam sapere hęresim, quæ cum hęretica verisimilitudinem habet. Vndè si quæ propositio ex hęretica probabiliter sequitur, vel ob eam quam cum illa connexionem & affinitatem habere videtur, vel ob alias circumstantias modo statim explicando, hęresim sapit. Ita videtur hęresim sapere ista propositio, *in Eucharistiæ Sacramento manet panis subsistentia*, quia videtur, valdè affinis cum ista hęretica, *in Eucharistia manet panis substātia*. Propositio verò suspecta hęreseos est illa, quæ aliquando ab hęreticis ad errorem & hęresim suam occultandam vsurpatur, quomodo Nestoriani B. Virginem appellabant Dei susceptricem, & Deum cum

cum Christo adorandum esse aiebant, Semiarriani filium Deo Patri esse similem in substantia, siue homiousion, non homousion: Quare licet parum addat sapiens hęresim supra propositionem suspectam: potest tamen aliqua inter illas inęqualitas considerari. Vtraque quidem dat occasionem timendi, nę lateat hęresis; neutra dat fundamentum sufficiens alicui iudicandi absolutè esse hęresim, vel errorem: dat tamen sufficiens fundamentum ad suspicandum, vel timendum quod author illius propositionis habeat apud se aliquam hęresim, vel errorem, ex quibus illa propositio oriatur. Verùm cùm hoc fundamentum non consistat in indiuisibili, sed habere possit latitudinem secundùm magis, & minus, hinc secundùm illum excessum distingui possunt duo censurarum gradus: aliquandò enim fundamentum, siue propter verba, siue propter materiam, siue propter locum, tempus, personam loquentis, & alias circūstantias, tale erit, vt probabiliter iudicari possit, aliquam aliam hęresim esse in authore, ex qua hęc alia propositio vel assertio procedat: aliquandò verum fundamentum non erit tantum, sed solum sufficiet ad simplicem suspicionem. In primo casu poterit propositio vocari *sapiens hæresim*, quia sapor magis indicat substantiam vel naturam rei, quæ sentitur, & in eodem sensu poterit dici *olens hæresim*, quia etiam odor ostendit naturam rei odoriferæ. In secundo autem casu poterit appellari *suspecta*, quia non sufficit ad iudicium probabile ferendum, quod author sit hęreticus, sed tantùm ad suspicionem, & timorem aliquem absque temeritate concipiendum; quæ censura minor erit, quàm prima de sapiente hęresim.

Hinc infero primò, quod sicut datur propositio sapiens hęresim, vel suspecta de illà, quia fundamentum pręstat maius, vel minus iudicandi, vel suspicandi, quod author habeat in corde aliquam hęresim, licet propositio non sit hęretica; sic dari propositionem, quæ sapiat errorem, vel sit suspecta de illo, quatenus cum proportione pręstat fundamentum maius, vel minus iudicandi, vel suspicandi, quod author habeat aliquem errorem, nempe aliquod dogma contrarium conclusioni Theologicæ: quæ censura minor erit, quam sapientis hęresim, vel de illa suspectæ, & eodem modo cum proportione debita explicanda est. Infero secundò fieri posse, vt in vno tempore aliqua propositio sit hęresim, vel errorem sapiens, aut de illis suspecta, quæ in alio tempore nullam sapiat, quemadmodum ante Nestorij hęresim sine hęreseos nota Christus homo deifer & diuinus à Catholicis dictus est, post eam verò ea propositio hęresim sapere videretur; & sic de alijs pluribus.

CAPVT V.

De propositione malè sonante, & piarum aurium offensiua.

Circa præsentem difficultatem diuersa doctorum placita reperio; præterquàm quod enim aliqui putant has duas censuras in eamdem coincidere; alij etiam illas non distingunt à sapiente hęresim; nec malè sonantem à scandalosa. Nihilominus tamen longè probabilior est opposita sententia, quod hęc omnia sint diuersi censurarum gradus, aut species: Etsi enim vna, & eadem propositio possit multiplici nota affici, & esse simul malè sonans, piarum aurium offensiua, scandalosa, hęresim sapiens, & sic de cæteris; imò licet huiusmodi censuræ, si in latiori significatione, & solùm iuxta proprietatem vocum accipiantur, possint facilè coincidere; nam propositio sapiens hęresim proculdubio malè sonat; & pias aures offendit: sicut etiam omnis hęresis est error, latè, & communiter sumpto nomine erroris; possunt tamen distingui in ordine ad diuersa connotata; & hæc eadem nomina fieri quasi propria consequenter, ad significandas aliquas particu-

ticulares propositionum damnabilium species, vel qualitates ad inuicem distinctas.

Et in hoc sensu propositio *malè sonans* est illa secundum aliquos, quæ est æquiuoca,& habet sensum etiam catholicum proprium, sed frequentius voces illæ vsurpantur in sensu hæretico; additque Suares etiam si sit significans æquè sensum Catholicum, & non Catholicū, & ideo tam grauem non mereatur censuram, non excusari propterea ab omni censura, quia imprudenter sine explicatione, aut limitatione profertur. Vel secundum alios propositio malè sonans est, quæ sensum habet congruentem fidei, verba autem incongrua; siue quod idem est, quæ non dat audientibus fundamentū iudicandi, vel suspicandi quod proferens habeat in corde hæresim, vel errorem aliquem circa fidem, sed solum peccat in abusu vocum diuersarum ab vsu communi, quo solent à fidelibus vsurpari: v. g. si quis dicat. *In Deo sunt tres essentiæ relatiuæ*; hæc propositio nullam habet hæreseos suspicionem in proferente, omnes enim credunt, cum non asserere tres essentias in Deo, quas Catholici negant, sed solum tres subsistentias relatiuas, quas tamen non deberet significare nomine *essentiæ relatiuæ*, quia nomen essentiæ applicatum est à doctoribus Catholicis ad id solum significandum, quod commune est omnibus Sanctissimæ Trinitatis personis. Ita vt tota huius censuræ malitia non sit in sensu verborum, nec argumentum animi infidelis, sed tantùm in verbis, quia sunt in ea significatione parum aut nihil vsitata, quam ob causam absonant auribus; vndè aliqui ortum esse putant commune illud in scholis proloquium, quod *ex verbis inordinatè prolatis enascitur hæresis*, quod Sanctus Thomas 2. 2. quæst.11. art. 2. & ante ipsum Magister Sententiarum in 4. distinct. 15. refert ex Hieronymo in epistola ad Damasum, dum dicit: *Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet*. Non quod variatio sola verborum vitiosa iuxta regulas grammaticæ, sed retinens adhuc sensum Catholicum reddat propositionem hæreticam: sed tantùm quod variatio verborum, quæ prima facie appareat leuis, & retinens eumdem sensum; vel possit interdum occultare sensum hæreticum, vel saltem esse periculosa, propter sensum alium, quem magis sonare videtur. Vt si quis dicat *Filius est suppositum aliud à Patre*: Catholicè loquitur quia solum significat distinctionem in persona. Si autem alius id ita referat. *Filius est suppositum, & aliud à Patre*: occultat hæresim, significans filium esse aliud à Patre simpliciter loquendo, quod est significare distinctionem non solùm in persona, sed etiam in essentia, sicque ex leuiuscula verborum immutatione occultatur, & incurritur hæresis. Si tamen non intenderet hunc sensum, sed solùm quod filius sit suppositum,& quidem suppositum aliud à supposito Patris, non obesset quidem variatio illa; esset tamen periculosa propter sensum alium, quem magis sonare videtur. Vndè patet propositionem malè sonantem non solum distingui à sapiente hæresim, sed etiam esse censuram tam ab illa, quàm à suspecta inferiorem.

Propositio verò piarum aurium offensiua secundum aliquos est illa, quæ, non tàm doctos ipsos, quam pios offendit, quia licet aliquem eius sensum bonum & catholicum docti intelligant, pij tamen eo quem præ se fert sensu offenduntur. Melius tamen alij notant has pias aures debere esse prudentes, & doctas, nam imprudentes, imperitos, & maleuolos offendit aliquandò propositio, quæ doctos, prudentes & beneuolos non offendit, & hæc non debet dici piarum aurium offensiua. Illa igitur propositio propriè pias aures offendere dicenda est, qua indecorum aliquid Deo, vel Sanctis, non tamen falsum asseritur; vt si actiones humanæ Christi omni homini necessariæ, vel eius membra explicentur nominibus obscænis. Idem est, si de

de ſtatu Eccleſiaſtico, cæremonijs ſacris ſanctiſque viris dicantur ridicula, quibus modeſtus auditor rubore ſuffunditur; vndè aliqui volunt hanc propoſitionem diſtingui à maleſonante, quia hæc addit aliquid in ordine ad religionem; aduertuntque alij, quod licet hic gradus culpa minor ſit, quàm malè ſonantis, quantùm ad falſitatem, quia ſine falſitate, & ſine incongrua ſignificatione vocis poteſt propoſitio offendere pias aures, in genere tamen moris eſſe grauiorem, quia procedit ab animo procaci, & effrenata lingua.

Verùm cum hæ differentiæ ſint merè accidentales, ſeque potius teneant ex parte ſubiecti, quam obiecti, vel materię quàm formæ, tenendum eſt cum Eminentiſſimo Cardinali de Lugo loco ſuperius citato, hanc cenſuram differre in rigore à malè ſonante, quia malè ſonans abutitur vocibus extra communiorem ſignificationem, eas applicando ad minus vſitatam: quare eius indecentia conſiſtit in vſurpatione vocum, quæ habent malam ſignificationem, & falſam, licet non vſurpentur ad illam, ſed ad aliã veram. At verò propoſitio, quæ ſolum offendit pias aures, vſurpat voces in ſola propria, & vſitata earum ſignificatione, & nihil falſum dicit, nec vocibus habentibus aliam ſignificationem falſã, ſed tamen dicit id, vel tali modo, vt fidelium pietatem, & reuerentiam, ſi non extinguat; ad minus ex ſe tepidiorem reddat: & ideo aures piæ horrore huius imminentis tepiditatis, auditis ijs vocibus offenduntur. Quare cum huius cenſurę malitia, vel indecentia conſiſtat tàm in eo quod dicitur, quàm in modo, quo dicitur, quatenus vtrumque poteſt offendere pias aures, dupliciter etiam poteſt reperiri propoſitio piarum aurium offenſiua; aliquando quidem ex reipſa, quæ dicitur, quæ licet ſit in rigore vera, non debebat tamen dici, quia propter infirmitatem, & conſuetudinem humanam, non audiuntur ſine offenſione omnia, quæ in rigore vera ſunt: Exemplum inter alia eſſe poteſt, ſi aliquis non ſine graui fundamento putans debere ex breuiario expungi narrationem aliquam, vel circumſtantiam hiſtoriæ, tanquam minus veram, diceret, *Eccleſia nobis fabulas, & apocrypha narrat*: vel ſi indulgentias aliquas ſine ſufficienti cauſa conceſſas fuiſſe ſciens, diceret, *eas indulgentias eſſe ridiculas, & fabulas aniles ſolis pueris proponendas*. Aliquandò verò peccatur in modo ſolum, & vocibus indecentibus, quibus res alioquin veræ enarrantur, vt in exemplo ſuperius adducto de Chriſti membris ſanctiſſimis, vel actibus neceſſarijs & naturalibus per obſcęnas voces ſignificatis, vel ſi aliquis diceret, *Magdalena meretrix, Mathae vſurarie, & auare, Petre periure, & apoſtata orate pro nobis*: & ſic de cæteris, quę cum vix vnquam ſine blaſphemia non hæreticali proferri poſſint, merito in malitia morali ſuperant alias propoſitiones malè dumtaxat ſonantes, quæ eiuſmodi irreuerentiam in Deum, vel ſanctos non importante.

CAPVT VI.

De propoſitione blaſphema, impia, & iniurioſa.

CVm propoſitio blaſphema dicatur talis à blaſphemia, ſecundùm quod blaſphemia eſt locutio falſa contra res ſacras per modum conuitij, ſic propoſitio blaſphema erit illa, quę irreuerentiam vel iniuriam contra Deum, vel ſanctos, vel res ſacras inanimatas continet. Etſi enim doctores communiter definiant blaſphemiam, quod ſit conuitium in Deum, quia formalem rationem blaſphemię deſumunt ex contumelia, & inhonoratione contra Deum, non tamen per hoc maledicentia cõtra eius ſanctos, & res ſacras extranea eſt à blaſphemia, ſed formaliter eſt blaſphemia, quia ſicut Deus laudatur, & honoratur tàm in ſanctis ſuis, quàm in cæteris rebus ſacris, ad eius gloriam inſtitutis, & ordinatis, ita & in illis contemni, vituperari, & inhonorari, dicendum eſt, cùm maledicun-

cuntur: si quidem maledicentia in hæc omnia redundat in dedecus & contemptum Dei.

Vt autem blasphemia quatuor modis committi potest: primò, affirmando aliquid de Deo quod illi non conuenit: Secundò, negando quod ei conuenit. Tertiò, nominando irrisoriè, & turpiter sine reuerentia ea, quę illi conueniunt. Quartò, tribuendo creaturę quod soli Deo, aut eius sanctis conuenit. Quadrupliciter etiam videtur posse reperiri propositio blasphema. Insuper vt blasphemia est duplex hęreticalis, seu qualificata, & simplex seu non hęreticalis, ita etiam propositio blasphema, alia erit hęreticalis, quando scilicet in ea negatur vel affirmatur aliquid contra fidem, vel melius quando simul cum iniuria, & irreuerentia contra Deum, vel sanctos iungitur error contra fidem; alia verò simplex seu non hæreticalis, quando solùm peccat contra reuerentiam Deo vel sanctis, aut rebus sacris debitam: exemplum in rebus sacris inanimatis adducit Cardinalis de Lugo: quod per iocum non sine blasphemia dixisse fertur Elisabetha impia Henrici Regis ex Anna Bolena filia;; quę cum de more, adepto regno, vngeretur oleo sacro, postea sub papilionem parumper ad regales vestes induendas diuertens, nobilioribus circũstantibus ancillis dixisse fertur; *Abite, ne fator huius olei vos offendat*, vt refert Sanderus lib. 3. de Schismate Anglicano paulo post initium. Sed de his plura videri possunt apud authores suo loco citandos infra libro 4. qui de rebus ad sacrum inquisitionis tribunal pertinentibus scripserunt.

Propositio vel doctrina impia est illa, qua verus Dei cultus euertitur, vel minuitur; potestque etiam extendi ad eam, qua cętera pietatis, & præsertim misericordiæ erga proximos opera impediuntur; multoque magis si debita erga rempublicam, vel parentes officia dissuaderet; qualis erat Pharisæorum doctrina, quos Christus Dominus redarguit Matthæi cap. 15. qui vt oblationes templi in proprium vtile vergentes augerent, eas præferebant pietati erga parentes, filiosque impiè, licet pietatis prætextu, à debita pietate auertebant.

Iniuriosa denique, vel contumeliosa propositio ea est, quæ alicui aut statui, aut personę illustri iniuriam facit, & alterum lędit; dixi alicui statui, aut personæ, quia si iniuria fit in Deum, vel sanctos, aut res sacras, non tam erit iniuria, quam blasphemia. Vndè ad propositionem iniuriosam præcisè secundũ quod est talis, requiritur quod iniuria sit contra alios, quorum honori consulit merito Ecclesia prohibens, & seuerè puniens libellos famosos contra principes etiam sæculares, aut contra personas publicas, contra ordinem religiosum, contra Prælatos, Cardinales, & alios. Etsi enim aliquando in talibus casibus nihil contra fidem mediatè vel immediatè dicatur: plura tamen dicuntur contra charitatem, iustitiam & alias virtutes, quarum indemnitas pertinet etiam ad Ecclesiæ curam, quæ sicut non prohibet solum libros contra fidem, sed etiam eos, qui sunt contra bonos mores, ita potest linguam coercere ab eiusmodi propositionibus, quæ grauissimè bonos mores perturbare possunt, licet nullam prorsus hæresis suspicionem secum inuoluant.

CAPVT VII.

De propositione temeraria, scandalosa, Schismatica, & seditiosa.

PRimum ad propositionem temerariam requirunt omnes, quod sit in materia propriè Theologica; nam quæ solum est talis vel in materia Philosophica, vel Mathematica, v. g. erit quidem temeraria in eiusmodi scientijs, non tamen dicetur temeraria simpliciter, & absolutè, secundùm quod de illa loquimur in præsenti, definiturque proindè, quod sit illa, quæ communi doctorum sensui opponitur, aut quę contra docto-

res Theologos sentit sine sufficienti fundamento, quale esset, si magni ponderis ratio, vel alicuius hominis docti, & grauis authoritas, qui rem accuratè discussisset, pro ea etiam parte staret. Talis erit, si aliquis dicat, diem iudicij futurum intra vnum, aut alterum annum, vel plerosque sanctos sine peccato originali fuisse conceptos: etiam si Beatam Virginem exceperis, multis tamen hoc priuilegium velle concedere temerariū videtur. Ita videntur esse temerariæ, quæ plerosque sanctos Apostolis in gratia pares omnino faciunt, vel etiam negant historias pias communiter ab Ecclesia receptas, & propositas, v.g. quod Christus Dominus Angelico doctori D.Thomę apparuerit, illique dixerit, *bene scripsisti de me Thoma*; quibus etiam placet addere illas, quę propositiones vel opiniones nonnullas acerbiori, quàm par est censuræ nota afficiunt.

Verùm cùm in rigore omnis etiam propositio hęretica, vel erronea hoc pacto sit temeraria, si quidem sine sufficienti etiam fundamento opponitur cōmuni doctorum sensui; loquendo de ista censura secundum quod ab alijs distinguitur, & apud censores Theologos aliquid minus significat, quam propositio hęretica, vel erronea, ad illam requiritur, quod non sit negatiua fidei directè, vel indirectè, nec in reipsa, vel in vocibus sit suspicio contra fidem, sed tātum quod in rebus non reuelatis, & tamen ad Theologiam vel pietatem spectantibus opponatur sine fundamento communi doctorum, & fidelium sensui; Sicque temeritas nihil aliud esse videtur quàm imprudentia quædam in opponēdo se communi aliorum sensui sine fundamento in materia Theologica; quòd sufficit vt inter alias censuras Theologicas annumeretur; etsi enim propositio merè temeraria non neget fidem, nec conclusionem Theologicam; negat tamen temerè & imprudenter aliquid ad Theologiam spectans, & ad doctrinam communem circa res, quæ ad pietatem, & salutem pertinent; quam doctrinam & communem fidelium sensum, multum refert indemnes conseruare, & coercere immoderatam pro libito opinandi licentiam, & temerè asserendi quicquid cuilibet arridet, ex quo paulatim gradus fit ad audendum etiam circa alia, quæ propius ad fidem accedunt.

Solùm superest dubium, an propositio temeraria sit, quæ non habet pro se Patres, vel Doctores graues ita sentientes, quæ vocari solet temeraria priuatiuè, an verò illa solum, quæ habet contra se Patrum vel Doctorum sensum communem, quæ dici solet temeraria positiuè. Nam Suarez 22. vtramque dicit esse dignam censura, licet mitiori, quæ est solùm priuatiuè, quàm quæ est etiam positiuè: Hurtado verò ibidem negat, cam censuram competere temerariæ solùm negatiuè, sed dici debere improbabilem. Vtramque sententiam ad controuersiam de nomine reuocat Cardinalis de Lugo: quatenus illæ, quæ appellantur temerariæ, solùm priuatiuè, aliquid habent etiam de gradu positiuo, licet in hoc differant ab alijs, quod Patres, & Doctores de ijs explicitè & in particulari non fuerint locuti sicut de alijs, sed tantùm implicitè, & in communi. Vndè statuit pro optima regula ad dignoscendum, an propositio aliqua sit temeraria, quamuis de ea Patres, vel Doctores explicitè loquuti non fuerint; diligenter attendere, quid dixissent Patres vel Doctores interrogati de hac propositione in particulari, quantum ex reliqua eorum doctrina colligere possumus. Si enim semel constat, eos licet de facto propositionem hanc non expressérint; negaturos tamen illam fore, si eis proponeretur, hoc sufficit, vt censeatur temeraria, cum sit contra habitualem saltem Patrum, & Doctorum sensum, qui ita fuerunt, & sunt habitualiter dispositi, vt interrogati ita formaliter responderent: quando verò manemus dubij & ancipites lectis eorum scriptis, & operibus, quid dixissent, vel dicturi sint, si hoc explicitè proponatur, non debet cēseri temeraria, licet non habeat positiuè,

pro

INDEX ALPHABETICVS

Præcipuarum rerum in hoc primo Bibliothecæ Theologicæ tomo contentarum.

Primus numerus paginam: secundus columnam indicat.

A



B

C

INDEX.

Cyre-

Propo-

Testi-

T

V

Veri-

FINIS.

REGESTVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes sunt Duerniones, præter †, quæ est ternio, & Qq, quod est folium simplex.



ROMAE, Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

pro se communem sensum, quia nec ab actuali, nec ab habituali doctorum sensu recedit.

Propositio *scandalosa*, vt aliquid distinctum addat supra iam dictas censuras, intelligi debet, quæ præstat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando auditores ad peccata, vel auocando eos ab exercitio virtutum; tales sunt propositiones enumerantium incommoda, vel pericula status religiosi, item piorum exercitiorum, vndè tepescunt homines, & ab illis abhorrent. Item si quis populo ad venerationem Eucharistiæ, vel ad sepulchrum alicuius sancti concurrenti dicat, *quis scit an hæc hostia sit consecrata. Quis scit, an hoc sit corpus illius sancti, & non sit corpus alicuius malefactoris loco illius suppositum*? Quæ omnia, & similia, licet in aliquo vero sensu possint non esse contra fidem; generant tamen scandalum, & remouent homines ab exercitio pietatis. Plura adducunt exempla tam Suarez loco citato, quam Antonius Cordubensis lib. 1. quæst. Theol. quæst. 17. §. 20.

Propositio *Schismatica*, secundum quod schisma distinguitur ab apostasia, & hæresi, atque non tàm opponitur fidei quàm charitati, quæ vnionem Ecclesiæ inter membra cum capite commendat, quam vnionem scindit, & diuidit schisma, talis, inquam, propositio est illa, quæ viam aperit diuisioni corporis mystici, vel Ecclesiæ, aut illam quomodocumque promouet. Sunt qui propositionem *seditiosam*, à schismatica non distinguant; verum, licet omnis propositio schismatica sit seditiosa, cum tamen non omnis è contra seditiosa sit schismatica, dicendum est, esse censuram ad schisma inferiorem, quatenus ad seditionem dumtaxat contra principes temporales, vel ad tumultus in republica excitandos conducere potest; vndè talis propositio, nisi aliundè opponatur doctrinæ fidei, vel communiter apud doctores receptæ, non videtur esse censura Theologica; Potest tamen Ecclesia meritò eiusmodi propositiones prohibere, vt superiori capite diximus de iniuriosis, licet non videantur ad fidei doctrinam pertinere.

CAPVT VIII.

De propositione superstitiosa, & periculosa, aliisque pluribus.

Propositio superstitiosa est, quæ superstitionem asserit, vel enuntiat, vndè secundum quod ex D. Thoma 2. 2. quæst. 92. tres numerantur superstitionis species, videlicet idolatria, Diuinatio, & Vana obseruantia, multiplex etiam est propositio superstitiosa; maiorique proindè, vel minori censura digna, pro vt includit hæresim aut errorem in fide, vel non, sed tantùm simplicem superstitionem.

Periculosa autem propositio est illa, quæ absolutè & generaliter dicit licitum esse, & fieri posse, quod tamen vix, aut nullatenus fieri potest sine peccato: vt quod solus cum sola sine periculo peccati potest manere in eodem lecto: item quod sine ieiuniis, & abstinentiis homo potest esse perfectus: verum cum eiusmodi propositiones præstent occasionẽ ruinæ spiritualis, inclinando auditores ad peccata, vel auocando eos ab exercitio virtutum; rectè putant aliqui hanc censuram coincidere cum scandalosa.

Sunt & aliæ plures qualitates propositionum; nam quædam dicitur vana, quædam arrogans, stulta vel insana, Phantastica, rigorosa, seu dura, larga, & huiusmodi secundum causas, vel effectus suos. Sed vt bene notauit Lorca 22. disp. 46. non sunt censuræ Theologicæ, imò nec significant qualitatem propositionis, nisi aliquid magis in particulari adiiciatur. Quorum omnium qui maiorem sibi notitiam comparare voluerit, præter authores inferius lib. 5. citandos qui de fide scripserunt, videri possunt Turrecremata, Albertinus, Simancas, Alphonsus Castro contra hæreses, Melchior Canus de locis Theologicis, Antonius Corduba lib. 1. qu. 17.

Sebaſtianus Medices, Franciſcus Bordonus in ſacro Tribunali iudicum in cauſis ſanctæ fidei cap. 2. vbi poſt ſingularum ſupradictarum cenſurarum explicationem, ſpecialiter inquirit; Primo. Qualis propoſitio ſit hæc? Sanctus Franciſcus non fuit Stigmatizatus à Christo? Secundò. An negans Mariam Virginem conceptam ſine peccato originali ſit hæreticus, vel ſaltem ſuſpectus. Tertiò. Qualis propoſitio: Defunctus in Purgatorio non manet vltra viginti annos; Quartò. An aſſerens repetendas eſſe confeſſiones factas regularibus ſit hæreticus; Quintò. An dicens non eſſe peccatum quod verè eſt peccatum ſit hæreticus.

Vltimò tandem ſolet propoſitio aliqua iudicari *improbabilis*, quæ licet præciſè, qua improbabilis non ſit digna cenſura Theologica, præſertim si verſetur in materia merè ſpeculatiua, & ex qua nullum fidei præiudicium mediatè, vel immediatè immineat; plerumque tamen pertinet ad iudicium inquiſitorum fidei, quatenus si eſt in materia morali, poteſt aliquod damnum inferre bonis moribus.

Finis Libri Secundi.





Sebastianus Medices, Franciscus Bordonus in sacro Tribunali iudicum in causis sanctæ fidei cap. 2. vbi post singularum supradictarum censurarum explicationem, specialiter inquirit; Primo. Qualis propositio sit hæc? Sanctus Franciscus non fuit Stigmatizatus à Christo? Secundò. An negans Mariam Virginem conceptam sine peccato originali sit hæreticus, vel saltem suspectus, Tertiò. Qualis propositio: Defunctus in Purgatorio non manet vltra viginti annos; Quartò. An asserens repetendas esse confessiones factas regularibus sit hæreticus; Quintò. An dicens non esse peccatum quod verè est peccatum sit hæreticus.

Vltimò tandem solet propositio aliqua iudicari *improbabilis*, quæ licet præcisè, qua improbabilis non sit digna censura Theologica, præsertim si versetur in materia merè speculatiua, & ex qua nullum fidei præiudicium mediatè, vel immediatè immineat; plerumque tamen pertinet ad iudicium inquisitorum fidei, quatenus si est in materia morali, potest aliquod damnum inferre bonis moribus.

Finis Libri Secundi.





